48661/B.

N. II.

W. Vienna Dec 21 '01

39. D 8506

PRÆLECTIONES PHISICO-MEDICO INSTITUTISTICÆ,

Sive

DISSERTATIO

DE

PRINCIPIIS RERUM,

Et vel maximè

MICROCOSMI PHISICIS,

In qua

Peripatetico-Galenicorum, Mechanicorum, Pneumocoſmicorum, Traducianorum, & Philoſophiæ Moſaicæ Cultorum, Placita & Hypotheſes breviter & candidè proponuntur, modeſtè, nihil poſitivè decidendo, examinantur.

In Uſum Juniorum Philiatrorum Pragenſium elaborata.

Operâ & Studiò

JACOBI SMITH, Nobilis Hiberni, Equitis Aurati, & Comitis Palatini Pontificii, Philoſ. & Medic. Doctoris, Auguſtiſſimi Romanorum Imperatoris CAROLI VI. Regis Catholici, &c. Conſiliarii & Archiatri, olim Inſtitutionum Medicarum, modò Praxeos Medicæ, in Alma Cæſarea, Regiáque Univerſitate Carolo-Ferdinandea Pragenſi Profeſſoris Regii, & Primarii, Facultatis Medicæ Senioris.

VETERO-PRAGÆ,

In magna Aula Carolina, Typis Georgii Labaun, Univ. Typ. An. 1740.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

Approbatio Theologica.

R*Equiſitus, attentè & diligenter volvi & revolvi* Prælectiones Phiſico-Medico-Inſtitutiſticas, ſive diſſertationem de Principiis rerum &c. *Authore illuſtri Viro Jacobo Smith, Nobili Hiberno, Equite Aurato.* (*plen. Tit.*) *opus ſane inveni operoſum, & limatum, quo, Clariſſimus Author in copia brevis, & ſubtilis, inque ſumma brevitate dilucidus, tam ſua, in diverſarum Hypotheſium Hiſtoria, ſinceritatis, quam maturi in Examine Judicii præclara literato Orbi exhibet ſpecimina. Itaque præter multiplicem eruditionem, reperi in hoc opere viri celeberrimi, magnum animi Candorem, modeſtiam, &, quod Caput eſt, ſummam cum Fide Catholica concordantiam: quæ propter illud in magnum tùm Medicorum, tùm Philoſophorum Emolumentum typis digniſſimum cenſeo. Dabam in Collegio Immaculatæ Conceptionis RR. Patrum Hibernorum Ordinis S. Franciſci Strictioris Obſervantiæ ad S. Ambroſium Pragæ, die 20. Menſis Novembris Anni 1739.*

Fr. JACOBUS GRIFFIN, SS. Theologiæ Lector Emeritus, & Actualis.

I*Dem, Ego de hoc præclaro ac Doctiſſimo opere, quod attentè perlegi, ſentio; die, Menſe, & Anno ſupra ſcriptis*

Fr. ANTONIUS MURPHY, SS. Theologiæ Lector Actualis ibidem.

P*Ralaudatum opus relegi, Nobiliſque Authoris pietate ac ſcientia omnino dignum Judicavi; præterquam, enimvero, quod moribus Fideive nihil diſſonum ſapiat, exquiſitam eruditionem, ſolidum ſubactumque judicium ſingulari cum modeſtia conjunctum undequaque ſpirat, quocirca Politioris Philoſophiæ Cultoribus pergratum fore, Autumo. Datum Pragæ 21. Novembris 1739.*

Fr. FRANCISCUS HIGGIN, in Præfato Collegio Controverſiarum Fidei olim Profeſſor.

APPROBATIO MEDICA.

R*Evidi Librum cui Titulus* Prælectiones Phiſico-Medico-Inſtitutiſticæ &c. *in quo moderni ævi Philoſophorum & Medicorum circa Principia Corporum primaria & ſecundaria, Hypotheſes ſolidè & fundatè enucleantur, cumque omnibus Philoſophiæ & Medicinæ Studioſis utiliſſimus, eapropter eum dignum cenſeo, ut omnium oculis utiliter ſubjiciatur. Actum Pragæ Die 25. Novembris.*

LUDOVICUS HENRICUS VOSS
Phil. & Med. Doctor, Facultat. Med. p. t. Decanus.

IMPRIMATUR,

Die 30. Novembris 1739.

WENCESLAUS XAVERIUS
NEUMANN DE PUCHHOLTZ
J. U. Doctor, Sac. Cæſ. Reg. Cath. Maj. Conſiliarius, Facult. Jurid. Senior & Univerſitatis p. t. Rector Magnificus.

PRÆFATIO AUTHORIS
AD LECTOREM

SI admirabilia & Occultiſſima hominis veræ Macrocoſmi Epitomes, Myſteria, verborum Argutiis ſagacique Mentis Oculo perpendamus, Machinam hanc humoroſo-ſpirituoſam, ex Limo Terræ factam, & Anima Deiformi informatam ab Anteſignanis noſtris haud inconcinne Microcoſmum & omnem dici Creaturam concludamus oportet. Quippe mente una & indiviſibili facultatum inſeparabilium triade ſtipatâ, Creatori triuni quodammodo aſſimulatur, ratione & intelligendi ſubtilitate Angelos proxime accedit, humoribus & ſpiritibus intima quæque Corporis Organici vivificantibus, Solis ejuſque lucis per omnia & ſingula Macrocoſmi irradiantium, naturam affectat, ſenſu

& motu locali bruta animantia, vegetatione Plantas, Corpore denique ſive parte externa ſe paſſive habente, inanimata reſpicit. Inter compartes exquiſitiſſimi hujus Cæleſtium omnium & terreſtrium Nodi, ex arcano & ſpeciali Immenſi rerum Conditoris decreto, ſtatutum eſt Commercium hujuſmodi, ut ipſe ex Natura immortali ſimul & mortali contextus, utriqueſuæ Origini ſatisfacere queat Cæleſtia orando & mirando, terrena incolendo & gubernando. Hoc ut melius & ſecurius præſtare poſſit homo, *ipſum Dei digitus,* rectum *fecit &* temperatiſſimum: *in ſtatu enim Originalis Innocentiæ tàm Excelſus erat ejus honor, ut per Sanctum Sapientiæ Divinæ ſpiritum* (a) Immortalitatis dono *condecoratus, totus immortalis exſtiterit, ipſis Angelis æquandus, ejuſque Anima individuæ Trinitatis Imago, tanta pollebat dignitate, & perfectionis ſublimitate, ut, licet Carnis umbraculô velata, tota pura, opera Dei, variaque ejus Magnalia, internos Naturæ receſſus & progreſſus, ex ſpeciali Divinæ Providentiæ infuſione ſubtiliter rimari & penetrare potuerit. Hanc, eheu! humanæ animæ felicitatem, ſubitò ita interrupit tenebroſa luteæ conſortis moles, eam mediante ſpiritu ſanguinis Aëreo à Creatoris ſui Divinorumque contemplatione, ad Carnis illecebras in tantum Alliciens, ut homo* Spiritus Sancti Templum, (b) *& durante Originali innocentia omni Creaturæ præponendus, Mali Angeli tenebrarum Præſidis,* cujus invidià Mors introivit in Orbem Terrarum (c) *Scabellum fit, ex immor-*

(a) Sap. 2. (b) S. Paul. (c) Sap. 2.

immortali mortalis & velut Putredo veteraſcens, (*d*) *vix enim* orimur, morimur, *ex juſto & ſciente* Peccator ignorans, *ipſo bruto Nocivior, ex Paradiſo in Lachrimarum Vallem totus quantus, confuſus ejicitur; denique ex felici &* temperatiſſimo *ſit homo miſerrimus & male ſanus, inter* alia, *Morborum Myriadibus in ejus ruinam & vitæ interitum horatim Dietimque conſpirantibus, ita afflictus, ut, teſte Sancto Aug. & Experientia docente,* ægrotare incipimus mox ubi naſcimur. *Hiſce rité perpenſis, cùm* Medico *ab Altiſſimo in hunc ſinem* Creato, (*e*) *nemine refragante, incumbat, conjuratis hiſce œconomiæ humanæ hoſtibus pro poſſibili occurrere,* principiis obſtare, *mediaque congrua & apta pro iiſdem tempeſtive averruncandis, ne* ſeró Medicina paretur, *judicioſé & prudenter ſeligere, parare, & ordinare, Par imo neceſſe eſt ut ſe ipſum noſcat, adeoque ut Medicinæ Theoricæ Corporis humani, vivi, ſani, & morbidi, ſcientiæ, nec minus materiæ Medicæ, quam, tanquam Armamentarium, ex quo tela adverſus lethiferos morborum Inſultus depromuntur, triplex Regnum abundé ſuppeditat, Notioni aquirendæ, improbo labore ſtudioque indefeſſo invigilet, quarum gnarus, tanto meliorem & ſolidiorem ſibi formare poterit Theoriam, ſolida ratione & experientiá fidâ ſuffultam, veram praxeos clinicæ clavem, quâ rite perſpecta, multi in praxi Medica evitari poſſunt & detegi errores, quâque à Naturæ Miniſtris neglecta, ne dicam ſpreta, cum maximo erroris formidine, magiſque Empiricè quam*

 judi-

(d) Job. 14. (e) Eccleſ. 38. v. 1.

judicioſé & ſcientificè practicantes, ſolidæ Theoriæ defectum nimis ſero ſapientes agnoſcent, lugebuntque. Harum plenioris & exactioris Notitiæ ſine prævia competente Phiſicæ Generalis & Experimentalis notione implicantiam, in ipſo Studii Medici limine obſervabit quivis judicioſus Philiater ſcientiæ, & arti Apollineæ omnium Nobiliſſimæ nedum utiliſſimæ ſeriò inſudans. Quemadmodum enim ſine Phiſiologiæ Medicæ, Pharmaciæ præſertim á Chymia rationali illuſtratæ, & Anatomes ope, Exilem obtinet Medicina Majeſtatem, nemo Cordatiorum facilè abnegabit harum, non ſecus ac aliarum Univerſæ Medicinæ tam Speculativæ quam Practicæ partium Ideam, ignoratis ſpretiſque Phiſicæ Generalis variis, iiſque curioſis, Recentiorum inventionibus & experimentis Mechanico-Chymicis excultæ, principiis, in ignorantiæ tenebris involvi, involutamque nunquam ſine præhabita ſcientiæ Entis naturalis competenti notione in lucem evolvi vel clarè percipi poſſe. Adeoque quod olim in Phiſicæ laudem applicandum dixerit Cicero, nempe quod ſit Animorum ingeniorumque quoddam pabulum, conſideratio contemplatioque Naturæ, *haud obſcurè indicat Phiſicæ ſtudium & Argumenti dignitate, & rerum varietate, ſuâque in omnes artes fæcunditate, commendatiſſimum, adeo Medicinæ Sacris neceſſarium eſſe, quòd tritum & ab omnibus (niſi forte ſciolis & ſemidoctis) in Phiſicorum & Medicorum Scholis receptum ſit dicterium,* ubi deſinit Phiſicus ibi incipit Medicus. *Perſpexitque olim Antiquiſſimus hoc Naturæ & Medicinæ Parens Hippocrates, qui aureum*

Phi-

Philiatris hocce reliquit monitum, conare ut Phiſicus evadas. (*f*)

Hanc, Phiſices experimentalis à pleriſque hujatibus Medicis uſque ad mea tempora multum neglectæ ne dicam ſpretæ, pro meliori Medicinæ Theorico-Practicæ notione acquirendâ, neceſſitatem, ſerio perpendens, & à Philiatris aliquot cordatioribus tam Diſcipulis, & Condiſcipulis (inter hos viguit Vir Eruditiſſimus Joannes Jacobus Geelhauſen olim Inſtitutionum Medicarum, poſtmodum Praxeos Profeſſor Regius, & Practicus celeberrimus, ante biennium mortuus Almæ hujus Univerſitatis Rector Magnificus,) quàm maxime verò à Spectabiliſſimo meo olim Magiſtro, pie defuncto Leonardo Ferdinando Meiſner, Facultatis Noſtræ Seniore digniſſimo, & Praxeos Medicæ Profeſſore Regio Primario, humaniter & iteratò requiſitus, ut Prælectiones meas Phiſico-Medico-Inſtitutiſticas de Principiis rerum, & vel maxime Corporis humani vivi Phiſicis, quas olim quâ Inſtitutionum Profeſſor meis Auditoribus Initiantibus in Recentiorum Principiis & Placitis nequaquam fundatis, in Auditorio Medico tradidi, publici juris faciam; ad ipſorum pro mea tenuitate votis, meæque propriæ intentioni, ſatisfaciendum, me tandem reſolvens, eas typis dare amplius differre nolui, ſperans fore ut Diſcipuli mei hiſce imbuti, tanto facilius ſecretiora maximéque abdita tám Phiſicæ ſpecialis, quám Theoriæ & Praxeos Medicæ Myſteria, ad votum rimari, & ab Hypotheſium præjudiciis declinare poſſint, unáque ſeriò animadvertant, prima rerum Exordia non tàm à Philoſophis inventa quámquæſita, altius

in

(f) lib. de Steril, cap. 18. §. 1.

in Naturæ penetralibus occulta latere, quàm, ut, vel ulla induſtriâ vel cogitatione erui poſſint; quamdiu enim Creationis modus nos fugit, (fugiet autem quamdiu in hac lachrymarum valle viatores erimus) tamdiu, in penitiorem & verè evidentem principiorum naturalium cognitionem nos non perventuros facile credendum; quoniam vero Principia ſecundaria & Mechanica, tàm, rerum Mundi hujus aſpectabilis, quibus diverſimode combinatis, Corpus à Corpore differt, quàm hominis (ſi animam excipias) de quo ſpecialiter futurus ſermo, juxta unanimem Philoſophorum & Medicorum conſenſum eadem ſunt, licet de iis, ob diverſarum Hypotheſium de Primariis, & veluti Metaphiſicis Corporum Principiis, quibus corpora omnia ſecum invicem conveniunt, præjudicium, in claſſes ſecti diverſimode opinentur; pro faciliori Phiſiologiæ Medicæ captu, ommiſſis logomachiis, nec non brevitatis cauſa plurimorum veterum commentis, quæ, niſi forte ſaniori quam obvio ſenſu, & Authorum menti, magis conformi explicata, (hoc aliis qui plus habent otii ad rationis trutinam expendendum relinquo) referre eſt refutare; nihil enim ut ait Tullius lib. 2. de divinatione tam abſurdè dici poteſt, quod non dicitur ab aliquo Philoſophorum. *Diſſertationem hanc in qua ſubtilis Peripati & Galenicorum, non ſecus ac Cartheſianorum, Atomiſtarum Modernorum, Pneumocoſmicorum, & Traducianorum, de primis rerum Exordiis placita & Hypotheſes breviter proponuntur, & modeſtè examinantur, collatis candidè argumentis in utramque partem fortioribus & captu faciliori-*

lioribus, ſaltem mihi notis, nihil poſitivê decidendo, prænotare haud inconſultum, nec meis Auditoribus ingratum fore, puto, tàm pro clariori Inſtitutionum Medicarum & praxeos clinicæ explicatione, faciliori Tyronùm hujatum captu, quám maximè vero, ut ab Hypotheſibus (denuo repeto) quibus nihil magis veritati & certitudini in medicina contrariatur, pro poſſibili præſcindamus; ſalvo ſemper melius ſentientium judicio, & benevoli Lectoris in nullius Magiſtri verba jurantis, veritati magis quâm Authoritati aſſentientis, remque penitius, ſine præjudicio perpendentis, Aurea libertate.

Cum ob ſufficientis otii defectum, non pauci in hoc opuſculum tàm typi, quâm calami, errores præter meam intentionem irrepſerint, idem corrigere, correctumque cum annexo ſupplemento de Chymicorum Principiis, & Elementis quatuor vulgaribus, eorumque qualitatibus tactilibus dictis, reimprimi curare, mihi, (niſi Deus aliter mecum diſpoſuerit) firmiter propono.

Si Lector Candidus, aurei, Sancti Auguſtini, moniti, (Rerum inquiſitorem, non vocabulorum opificem, oporteat eſſe ſapientem) *haud immemor, haſce meas lucubrationes nunc in lucem prodeuntes, quas ob temporis anguſtias, praxim in vaſta hac Triurbe laborioſam, correſpondentiam Epiſtolarem, variaque Munia Academica, nec ſufficienter coctas, nec reviſas, craſſo & ſimplici filo feſtinans, ſæpiuſque interruptus exaravi, veritati quæ ſimplicitate gaudet, magis quam verborum fuco inſudans, æquo animo, & judicio meis conatibus & intentioni propitio contemplari velit,*

mihi

mihi haud facile vitio vertet, ſi non paucis mendis & literatorum correctionibus egeat hoc opuſculum, cùm graviſſimorum doctiſſimorumque Virorum opera, nec omnibus numeris adeo ſint abſoluta, ut Emunctioris literaturæ virorum criſi & cenſuris non ſubjiciantur. Hoc, ad minus, ſolatii me exinde conſecuturum mihi perſuadeo, quod alios ſolertiores, & longe melius talentatos ad ulteriorem veritatis indagationem ſtimulando, indirectè ſaltem in Scholæ Medicæ cedat emolumentum. Hoc ad majorem Sui Nominis gloriam faxit DEUS ter optimus, ter maximus. Valeas itaque Lector candidiſſime, atque levidenſe hoc tenuitatis meæ pignus, fac, æqui bonique conſulas, tuumque etiam judicium benignè interponas

Dabam Pragæ Bohemorum Kalendis Martii

Anno 1740.

PRÆ-

PRÆLECTIONUM PHISICO-MEDICO INSTITUTISTICARUM.

CAPUT I.
De Materia rerum primordiali.

SECTIO I.
De Materia prima Ariſtotelica.

§. I.

MAteriam & formam unitas dari, veráque ac ſola eſſe principia compoſitionis compoſiti phiſici primaria & inſenſibilia (ut cum ſcholis loquar,) Neoterici paſſim cum Ariſtotelicis tenent, (cum de privatione tanquam tertio cum materia & formâ *generationis* juxta Ariſtotelem principio, nihil ſpeciale preſens inſtitutum concernens, dicendum occurrat, ab ulteriori ejuſdem examine ſuperſedeo , contentus pro

hac vice aſſerere, non gratis à Neotericis dubitari, an carentia formæ Auguſtum principii nomen meretur) de harum vero quidditate & conceptu non parum inter ſe diſſentiri videntur.

§. 2. Materia rerum prima Ariſtotelica ut à ſecunda diſtincta & ab omnibus formis quarum eſt capax præſcindens, quam omnes ita appellant, explicat nemo, quæque à nonnullis non inepte prout notat Du Hamel in ſuo conſenſu veteris & novæ philoſophiæ, deſcribitur: *Terra inanis & vacua, abyſſus tenebroſa, entis larva & ſimulachrum, nihil actu & omnia poteſtate, formarum omnium avida & nullius tenax, generationis & corruptionis ſubjectum cum ipſa ſit ingenerabilis & incorruptibilis*, ab Ariſtotele & ſequacibus dupliciter definitur, lib. 7. Metaphyſicorum dicitur id *quod neque eſt quid, neque quantum, neque quale, neque aliquid eorum quibus ens determinatur*, id eſt, ut vulgo interpretantur, neque ſubſtantia ſenſibilis, nec determinata quantitas, nec qualitas, nec ens prædicamentale.

§. 3. Hanc definitionem tanquam valde confuſam, obſcuram & negativam, quâ à materia removentur illæ perfectiones, & melius explicatur quid non ſit materia quam quid ſit, per conſequens regulis bonæ definitionis quæ definiti clarior explicatio eſt minus conformem, non parum convellunt recentiores. Taceo hanc negativam materiæ definitionem æque animæ rationali, ſubſtantiæ ſecundum ipſum peripatum incompletæ, & omni formæ ſubſtantiali, ac materiæ primæ competere.

§. 4. Hinc merito aliam definitionem addidit Ariſtoteles lib. 1. Phiſicorum cap. ultimo his verbis, Materia eſt *primum ſubjectum uniuscujuſque rei ex quo inſito & remanente fit aliquod totum per ſe & non per accidens, & in quod ultimum, ſi quod interit, abit.*

§. 5. Licet hæc materiæ notio eam ſufficienter explicare videtur in ordine ad compoſitum phiſicum, ſemper tamen fit petitio principii, amplius enim quæri poteſt quid rei ſit illud ſubjectum? cui quæſtioni nec Ariſtoteles, nec Diſcipuli huc uſque ſatisfeciſſe videntur: aſſerendo enim materiam primam eſſe ſubſtantiam phiſicè incompletam, & puram potentiam phiſicam excludentem omnem actum phiſicum, imò ſecundum Thomiſtas actum exiſtentiæ & ſubſiſtentiæ propriæ, hoc Neotericis videtur obſcurum per obſcurius explicare, quinimo acriter contendunt nullas offerri poſſe rationes ſufficientes, quæ ſubſtantiæ ejuſmodi exiſtentiam etiam probabiliter ſuadeant, adeoque ſubſtantiam phiſice incompletam inconceptibilem eſſe.

§. 6. Talis enim ſubſtantia (ajunt) in nullo prædicato abſoluto entitatis ſuæ eſt incompleta, non materialitatis aut ſpiritualitatis, non in prædicato materiæ & formæ, hæc enim, (ſaltem alterutrum horum) perfecte participat, per conſequens eſt completa.

§. 7. Si dicatur ſubſtantiam eſſentialiter ordinatam ad completionem & compoſitionem compoſiti phiſici, cujus etiam ex ſua eſſentia pars eſt, jure merito dicendam phiſice & eſſentialiter incompletam, *pars enim incompletionem ſonat.*

§. 8. Replicant Neoterici, præmittendo 1. corpus phiſice ſimplex, ſive ſubſtantiam materialem entitative multiplicem, extenſam, diviſibilem ſine omni forma phiſicâ completam, non magis implicare, quam ſubſtantia ſpiritualis entitative una, inextenſa, & indiviſibilis, penetrabilis, phiſice ſimplex, & completa, hoc ipſi ſaniores peripatetici concedunt, qui contrarium tuentur, aſſignent rationem invicte demonſtrativam, quare omnipotentiam divinam in uno præ altero ita coarctent, Limiténtque.

§. 9.

§. 9. Secundo ſcire velint ſine Logomachiis, quare ſubſtantia ejuſmodi ſeu corpus phiſice ſimplex (ſi daretur) non poteſt illeſa completione, una cum forma conſtituere unum per ſe, æque ac corpus humanum in ſe & abſolute in *eſſe corporis*, phiſice completum, quod tamen juxta ſcholas unà cum anima rationali conſtituit totum per ſe phiſicum, (rectius ni fallor compoſitum phiſicum) nempe hominem, *ineſſe corporis inquam*, corpus enim humanum ſuam corporeitatem nullatenus ab anima rationali incorporea deſumit, imò nec à materia ſola (ſi ipſi peripato credendum) ut corporis comparte.

§. 10. Eodem modo de anima rationali, imo vel Angelo, aliove ſpiritu quocunque poſſibili completo (Deo ſic abſolute volente nulla videtur implicantia) una cum materia vel potius corpore phiſico, compoſitum phiſicum conſtituente ratiocinandum.

§. 11. His præmiſſis ajunt, ſi ideo pure ſubſtantia quæcunque eſſentialiter & *abſolute* dicitur vel dicenda incompleta, quia ordinatur cum alia comparte ad conſtituendum compoſitum phiſicum, non ſolum corpus phiſice ſimplex poſſibile completum, unà cum forma, vel ſubſtantia ſpiritualis completa v.g. Angelus aliuſve ſpiritus poſſibilis completus una cum materia, compoſitum phiſicum conſtituentes, verum etiam corpus humanum ineſſe corporis phiſici abſoluti (hoc nullatenus ut dictum ab anima rationali mutuatur) etiam pro incompleto habendum, quod & ſanæ rationi, & Hipotheſi poſſibilitatis ſubſtantiæ materialis completæ, phiſice ſimplicis contrariatur.

§. 12. Incompletio enim corporis humani vel corporis cujuſcunque, etiam ſimpliciſſimi poſſibilis, reſpectu totius quod una cum ſua reſpectivè forma conſtituere poſſunt, nullatenus concernit illorum *eſſe abſolutum*, (quod ſerio notandum) bene vero illorum *eſſe reſpectivum* ſeu in quantum debent compartes agere & compoſitum aliquod conſtituere.

§. 13.

§. 13. Cum igitur quævis ſubſtantia poſita in ſtatu exiſtentiæ, eſſe ſuum habeat completum phiſicum, ſine implicantia phiſice incompleta in ordine ad ſe ſeu ſecundum *eſſe ſuum abſolutum* dici nequit, licet in ordine ad compoſitum, phiſice ſit incompleta.

§. 14. Hoc etiam animæ rationali valde applicabile quæ corpori vel unita, vel (ſi ſeparata) unibilis, ſi conſideretur in ordine ad *compoſitum* etiam in ſtatu ſeparationis phiſice incompleta eſt, in ordine vero ad ſe ſeu in quantum ſubſtantia ſpiritualis, tam completa & ſimplex quam Angelus vel alius ſpiritus creatus poſſibilis, prædicatum enim ſpiritualitatis tam perfecte participat quam Angelus.

§. 15. Hiſce rationibus moti recentiores plerique materiam primam in ſenſu peripati prorſus rejiciunt tanquam implicans & quid immaginarium, eſſet enim corpus phiſice ſimplex, (per conſequens non compars corporis perfecte ſimplicis pro ut illi imaginantur) cum omnes habeat proprietates corporis phiſice ſimplicis & completi poſſibilis, nimirum magnitudinem, diviſibilitatem, impenetrabilitatem, figurabilitatem &c. quam, proprietatum harum radicem, materialitatem nimirum, independenter ab omni forma ſubſtantiali phiſica diſtincta, plus ad corporis phiſice ſimplicis poſſibilis completionem non requiritur, cur enim corpus quodcunque ſenſibile eſt, & dicitur extenſum, impenetrabile, & diviſibile, niſi quia materiale & *entitative multiplex*, cur è contra ſpiritus inextenſus, penetrabilis, & indiviſibilis, niſi quia immaterialis, & *entitative unus* extenſione carens.

§. 16. Si dicant quantitatem eſſe proprietatum allegatarum radicem; quæritur, quænam & ipſius quantitatis radix? nunquid ideo corpus eſt quantum ſeu extenſum ſecundum ipſos, quia eſt materiale & entitative multiplex, adeoque materialitas omnis extenſionis radix, vel (ut cum illis loquar) ipſa radicalis extenſio eſt.

§. 17.

§. 17. Aſt objicient, materiæ deeſſe ſpeciale conſtitutivum corporis, formam nimirum ſubſtantialem phiſicam ſine quâ, materia corpus dici nequit.

§. 18. Reſpondent RR. non formam de qua capite ſequenti, ſed materialitatem, quam, materiam à forma phiſica diſtincta mutuari, nemo dicet, dare corpori diviſibilitatem, extenſionem, & impenetrabilitatem, verbo omnium corporis phiſice ſimplicis proprietatum radicem eſſe, ex quo concludunt materiam rerum primordialem quæ omnia habet in ſe, requiſita, ad corporis perfecte ſimplicis & completi poſſibilis integritatem, pro tali ſecundum *eſſe* ſuum *abſolutum*, vel pro chimera reputandum; adeoque formam corporeitatis, materiæ, ſecundum Scotiſtas, coævam, vel aliam quamcunque aſſignabilem una cum materia, corpus in eſſe corporis conſtituentem ab ejuſdem materialitate realiter & phiſice diſtinctam prorſus eſſe ſuperfluam, corporeitas enim à materialitate non realiter & phiſice, tantummodo *nominaliter*, ſicut corpus ſimplex à materia diſtinguitur.

§. 19. *Confirmatur* ſicut Ens ſpirituale in potentia materiali virtualiter contineri nequit, nedum ex eadem juxta peripatum educi, æque parum in materia prima peripatetica utpote ente ab intrinſeco non operativo, contineri poteſt vel ex eadem educi ens ab intrinſico operativum, (tales cenſentur ab Ariſtotelicis formæ ſubſtantiales, hinc actus phiſici audiunt ſicut materia potentia phiſica,) non enim minus, imo multo magis, opponuntur operativum & non operativum quam materiale & ſpirituale.

§. 20. Objicit plerumque ſubtilis peripatus, cum juxta tritum axioma ex entibus completis non fit *unum per ſe* ſed per accidens, ſubſtantiæ eſſentialiter totum phiſicum quod eſt unum per ſe, conſtituentes, neceſſario ſunt entia phiſice incompleta, non metaphiſice, cum omnia ſua habeant prædicata eſſentialia.

§. 21. Reſpondent RR. Subſtantias totum phiſicum conſtituentes, ſi ſpectentur quatenus debent ſubire officium partis, ſeu *ſecundum eſſe ſui reſpectivum*, ut ſæpius dictum, induere aliquam incompletionem, quæ tamen nullatenus concernit illorum *eſſe abſolutum*, hinc cum dicitur ex entibus completis non fieri unum per ſe, intelligendum ex entibus *ſecundum eſſe ſui reſpectivum* completis, aliter ſimpliciter & rotunde negant Neoterici plerique hoc axioma quod nullo ſtabili fundamento nititur, imo (ajunt) falſitatis in compoſito Theandrico arguitur, quis enim inficiabitur, *Verbum Dei Carofactum* ex duabus ſubſtantiis phiſice completis conſtans, compoſitum Theandricum quod eſt unum per ſe, conſtituere.

§. 22. Si replicando dicant, inter compoſitum phiſicum & Theandricum hanc eſſe diſparitatem, quod binæ partes compoſitum Theandricum conſtituentes ſunt quidem ſubſtantiæ phiſice completæ, at non Eſſentialiter ordinatæ ad conſtituendum unum per ſe, ſecus vero de compoſito phiſico ſentiendum, cujus partes eſſentialiter ordinatæ ad totius phiſici compoſitionem etiam eſſentialiter ſunt & debent eſſe incompletæ. Reſp. RR. fieri petitionem principii, uſque dum invictè demonſtrent 1° binas compoſiti phyſici compartes, eſſentialiter ad totum per ſe phiſicum ſecundùm *eſſe entitatis ſuæ abſolutum*, ordinatas eſſe, 2dò eaſdem, licet ſecundum *eſſe ſui reſpectivum* incompletas, ut ſæpius inſinuatum, ſecundum eſſe *abſolutum* etiam ſubſtantias eſſe debere eſſentialiter incompletas.

§. 23. Inſuper, in hoc diſtinguunt recentiores unum ſive totum per ſe phiſicum ab uno per accidens, quod unius per ſe unitas pertinet ad eſſentiam ejuſdem phiſicam, vi cujus totum phiſicum eſt unius naturæ prædicamentaliter, ſeu phiſice acceptæ, totius vero per accidens unitas ab Eſſentia ejuſdem phiſica non exigitur, cum ens per accidens ſit unius naturæ ſolummodò prædicabiliter ſeu logicè ſumptæ, ſolo nomine

B (ajunt)

(ajunt) ens, ac proin Ens logicum ; unitas naturæ prædicamentalis in hoc formaliter conſiſtit , quod dicat Eſſentiam Indiviſibilem in plura ſui, idque vel ob ſui ſimplicitatem, ut natura ſpiritualis, vel ob ſui compoſitionem ex partibus phiſicis Eſſentialiter unitis & in commune totius bonum conſpirantibus, ut homo ex corpore & anima unitis , compoſitum Theandricum ex verbo & humanitate Hyyoſtaticè unitas, eſſentialiter reſultans: nec homo in plures homines nec Chriſtus in plures Chriſtos dividi poteſt.

§. 24. Si dicas unitatem naturæ prædicabilis etiam in ſuo conceptu formali æque dicere Eſſentiam indiviſibilem in plura ſui.

§ 25. Reſp. Unius per accidens Eſſentiam Logice quidem in plura ſui poſſe dici indiviſibilem, in ſe tamen re ipſa & phiſice diviſam, quia eſt realiter & phiſice compoſita ex pluribus naturis ſeu Eſſentiis, quæ vel nullatenus, vel ſaltem non Eſſentialiter ſunt unitæ phiſice, ſed meræ vel aggregatæ, ut in acervo lapidum, vel ordinatæ, ut in exercitu, taceo acervum in plures poſſe dividi acervos, exercitum magnum in plures exercitus, ſecus verò de toto phiſico ſive magno ſive parvo ratiocinandum ut ante inſinuatum. Aliam quamcunque definitionem unius per ſe, tanquam arbitrarie in ſcholis introductam rejiciunt communiter Neoterici.

§ 26. Nec obſtat aſſerere, animam rationalem, ſi dicatur ſubſtantia phiſicè completa, nullatenus ab Angelo diſtingui, quis abnegabit Angelos ſecundum Entitatem ſuam à ſe invicem differre, imò juxta probabiliorem forte ſententiam Angeli unius chori ab alterius chori Angelis v. g. Seraphini à Cherubinis, hi à Thronis &c. ſpecie de facto differunt, ommitto Deum poſſe innumeras Angelorum Hierarchias ſpecie diverſas creare, adeoque hic nihil ſequitur abſurdi.

SEC-

SECTIO II.

De Materia prima ſecundum Cartheſium, & Gaſſendum.

§. I.

CArtheſii diſcipuli aliquot inter quos Regis & Purchotius, ſicut eſſentiam ſpiritus eſſe cogitationem, ita Eſſentiam materiæ primæ ſeu corporis juxta illos ſimpliciſſimi, eſſe extenſionem actualem trina dimenſione commenſurabilem, adeoque materiam & extenſionem eſſe voces Synonimas, acriter contendunt; unum enim (ajunt) & idem ſunt, eodem modo concipiuntur, id primum in Corpore cognoſcitur, & eſt, quod ſit extenſum, eorum eadem eſt Idea, ſicut extenſionis, ita & materiæ aut nulla prorſus habetur Idea, aut concipitur trina demenſio, quocirca ubicunque trina dimenſio reperibilis, ibi neceſſariò eſt corpus aut materia, reliquis enim detractis ut duritie, colore, ſoliditate, & fluiditate, dummodo in longum latum & profundum pateat, corpus erit, hiſce dimenſionibus ſublatis, ratio vel Idea corporis nulla remanebit; adeoque extenſio licet ut abſtractum ſonat, ſolummodo apparens eſt, & concretum ſignificat nempe rem extenſam vide Clariſſ. Purchotium & alios paſſim.

§. 2. Ipſe verò Cartheſius rectius (ni fallor) in ſuis principiis & meditationibus, ait, materiam eſſe ipſam rem extenſam trina dimenſione commenſurabilem, ex quo inferendum extenſionem actualem juxta ipſum eſſe potius gradum materiæ differèntialem & à ſpiritu diſtinctivum, quàm ipſam materiam, à qua, ratione ſolummodo diſtinguitur; (diſtinctionem *realem* inter rem & rem, *modalem* inter rem & modum contingentem & ſeparabilem, *rationis* verò, inter rem & modum inſe-

inſeparabilem & eſſentialem, cum diverſimode concipiantur, admittit Cartheſius) idem de ſpiritu & cogitatione ſentit.

§. 3. Verùm, præterquam quod corporis mathematici & phiſici Ideam confundant plerique è Cartheſianorum familia, Geometriæ utpote aſſveti mathematica, ſicut doctus peripatus phiſicam quaſi in metaphiſicam extenuans, notiones metaphiſicas & generales (quas pro libitu confundunt & dividunt, quibuſque indiviſa ſubtiliter ſecant, & quæ ſola differunt cogitatione, diverſa putant) ad naturæ explicationem transferunt, ſuam Hypotheſim de materia & extenſione quæ diſcipuli putant eſſe Synonima, facilius explicant quàm invictè demonſtrant.

§ 4. Primo, nunquam evincent extenſionem eſſe modum ad apparentiam & abſtractum aliquod concretum ſignificans, ſi enim ſit concretum phiſicum, aſſignetur & ejus abſtractum, cum concreta nec ſunt nec qua talia concipiuntur ſine abſtractis, imò, quis non videt ut optimè notat Dagoumerus, extenſionem tam eſſe abſtractum & realem modum rei extenſæ, quàm durationem rei durantis, extenſionem tantam habere relationem ad ſuum ſubjectum rem nempe extenſam, quantam habet duratio ad rem durantem, quæ, ſi modus foret apparens & non verus, concretúmque ſignificaret, duratio foret ipſa ſubſtantia & res quæque durans duratio dici poſſit, quo nihil abſurdius; adeóque cum extenſio concipitur, non materia ſubſtrata ſeu res extenſa ſed rei extenſæ modus concipitur, quod ipſe Cartheſius in hoc à ſuis diſcors, optimè prævidit.

§. 5. Aſt id primum (inquiunt) in corpore cognoſcitur & eſt, quod ſit extenſum, nec unum ſine altero concipi poteſt ſecus in re durante reſpectu durationis.

§. 6. Antequam huic objectioni ſatisfiat notandum non ideo entia eſſe indiſtincta, vel eandem eſſe eorum Ideam, quia unum non poteſt concipi, quin concipiatur & aliud, hoc illuſtratur

ſtratur in relatis v. g. patre & filio, quæ licet diſtinctiſſima ſunt & ideas habent plane diverſas, nihilo ſecius horum neutrum qua tale poteſt concipi ſinè altero, *relata* enim formaliter ſumpta (juxta tritum ſcholarum axioma) *ſunt ſimul tempore, natura & cognitione:* imò nec Deus intuitivè omniſcius unum poteſt concipere, quin aliud licet diſtinctum & longè diverſum concipiat. His præmiſſis,

§. 7. Reſp. 1. dato licèt non conceſſo, materiam non poſſe concipi ſinè extenſione aut è contra, exinde nullatenus inferendum, eandem eſſe utriuſque ideam, eadémve magis eſſe Synonima, quàm ſit duratio & res durans, quarum neutra qua talis ſine altera concipi poteſt, magìs quàm res extenſa qua talis, ſinè extenſione, licet enim major ſit inſeparabilitas materiam inter & extenſionem, quàm durationem inter & rem durantem, quæ ab hac vel illa duratione disjunctive ſumpta quotidie ſeparatur, non exinde inferenda extenſionis & rei extenſæ indiſtinctio: homo enim & humanitas ſunt eſſentialiter inſeparabiles, & tamen ſecundùm metaphiſicos etiam Cartheſianos diſtincti, cum diverſi ſint eorum conceptus, definitiones diverſæ, diverſi termini.

§. 8. Secundo: Non deſunt doctiſſimi Viri moderni qui cum majori parte ſubtilis peripati, eſſentiam materiæ non tam in extenſione actuali qua corpus per miraculum (ajunt) orbari poteſt, quàm in extenſionis exigentia, alii in diviſibilitate & impenetrabilitate, alii in partium quæ ſubſtantiæ ſunt pluralitate (ut fusius infra dicetur) reponentes, hujus argumenti vim prorſus enervant. Corporis enim eſſentia ut inter alios optimè notat doctiſſimus du Hamel, potiùs ex ipsius materiæ affectionibus inter ſe collatis inveſtiganda, quàm ex idea ſenſuum præjudiciis efformatâ, quod & ipsius Carthesii dubitationem pro basi ſuæ philoſophiæ ponentis, & celebriorum ſequacium doctrinæ conforme, qui paſſim in ſuis ſcriptis præ-

prædicant ſe experiri ſenſus fallaces eſſe, ſeque ex ſenſuum teſtimoniis vel de rerum exiſtentia certos fieri non poſſe, (addo & ego) multo minùs de rerum eſſentia & natura ſensibus imperceptibili, non aliter enim ſcimus naturam corporis in extensione poſitam, niſi quod nullum corpus niſi extenſum viderimus, eadem ratio militare videtur pro corporis impenetrabilitate, divisibilitate, & figurabilitate.

§. 9. Præterea prius oculo mentis concipimus corpus ſensibile habere partes à partibus diſtinctas quàm eas *extra ſe tendi*, aut dividi, aut impenetrabiles eſſe, ex quibus rationabiliter inferendum ideam corporis remanere ipſa extensione cum reliquis accidentibus detracta vel per intellectum, vel per miraculum, per conſequens materiam rerum primordialem & extensionem actualem non eſſe Synonima.

§. 10. Confirmatur, quis facilè concipiet nihilo plus eſſe ſubſtantiæ in auro, plumbo, Antimonio, aliove corpore graviori metallico quàm in eadem mole plumarum, aquæ, aeris, vel ignis, licet eædem ſint ubique dimenſiones. Quiſve (niſi forte Cartheſii fautores nonnulli) omnipotentiam divinam tam arctè limitare præſumet, ut globus terraqueus, imò mundus, hic aſpectabilis & juxta probabiliorem ſententiam finitus, ſalva manente integra ejuſdem ſubſtantia non poſſit *Deo ſic abſolutè volente* intra limites & magnitudinem pomi v. g. vel globi eburnei alteriuſve corporis aſſignabilis etiam minimi & ob parvitatem inſenſibilis reduci & coarctari, vel ſinè additione ſubſtantiæ, in duplo, imò centuplo magìs extendi quàm actu extenditur? profectò hic non aliam video implicantiam quàm quæ ex pura Hipotheſi aſſerentium ſed nihil minùs quàm invictè demonſtrantium, materiam & extenſionem actualem eſſe eadem, reſultare videtur. Hoc admiſſo, nemo niſi cæcutiens concipiet extenſionem vaſtam globi terraquei vel Orbis, conditi quæ in caſu ſimilis coarctationis neceſſario de-

deſineret eſſe ſicut quilibet modus à ſuo Modificato ſeparabilis, & ſubſtantiam Mundi integram manentem eſſe vel Synonima vel realiter indiſtincta.

§. 11. Pro Coronide in ipſa Cartheſianorum præſertim Catholicorum Sententia, extenſio actualis corporis glorioſi Chriſti in ligno crucis pendentis, ſex (ponamus) pedes longitudine æquans, in quolibet Euchariſtiæ fruſtro minimo vel deſinit eſſe, vel ſaltem ita minuitur ut prorſus inſenſibilis reddatur, ſalva tamen & integra manente Corporis & Sanguinis Chriſti ſubſtantia, ut de fide eſt, (hoc ipſi Evangelici *conſubſtantiationem* admittentes non facilè inficiantur) ex quo ſic ratiocinari licet, extenſio ſex pedalis in Euchariſtia ceſſans vel eſt de Eſſentia Corporis Chriſti, vel non, ſi primum Corpus Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ, cuilibet fruſtro minimo hoſtiæ conſecratæ correſpondens, eſt actu ſex pedes longum & proportionate largum & profundum, quod nec ipſi dicent, alias eſſet trina dimenſione commenſurabile ſicut in ligno Crucis pendens, ſi extenſio ſex pedalis ſeu determinata, trina dimenſione commenſurabilis non eſt de Eſſentia Corporis Chriſti, etiam determinati, cum ſit ejuſdem Eſſentiæ cum minima extenſione (ſi quæ ſit) ſub larva ſpecierum in hoſtia poſt conſecrationem remanente, quare una præ altera, vel ulla prorſus extenſio, dicatur Corporis Chriſti natura? hic (ni fallor) idea corporis Mathematici ab idea corporis phiſici diſtincta, quas plurimi perperam confundunt, tam planè illuſtratur, quàm rei obſcuritas permittit, extenſio enim ſexpedalis in Euchariſtia ceſſans, (idem de extenſione globi terraquei vel mundi aſpectabilis in caſu coarctationis alterutrius in magnitudinem limitatam pomi vel atomi ſenſibilis, ut dictum, ceſſante, ſentiendum) eſt corpus mathematicum a Geometra, quamdiu materiæ immerſa, menſurabile, corpus vero ſicut & Sanguis Chriſti in Euchariſtia realiter præſentia &

mini-

minime à Geometra menſurabilia pro corpore phiſico vel pro nullo reputanda, de extenſione interna plura ſuo loco.

§. 12. Nec cum fundamento poteſt dici extenſio actualis gradus materiæ differentialis & ſpecifice diſtinctivus, cum 1. aliis, motui corporum nempe, qui sicut divisibilis ita & extenſus juxta ipſum Carthesium, vacuo philoſophico (si daretur,) & ſuo modo, cogitationibus à materia diſtinctis competat, imò ipſæ ſubſtantiæ ſpirituales virtualiter extenſæ dicuntur, ſeu diffusionem quandam ſpiritualem & indivisibilem habent mediante qua extenſo menſurabili correſpondeant, & Clariſſimus Dagoumerus Philoſophiæ Profeſſor in Universitate Parisiensi digniſſimus, nec infimus Carthesii fautor, acriter contendit in ſua Metaphisica pag. 276. Parisiis edita ſubſtantiæ ſpiritualis Extensionem eſſe actualem, quæ licet, indivisibilis *partes habet extenſionis extra partes extenſionis*, verum, paucos aut prorſus nullos habet in hoc vir doctiſſimus Fautores, prout penitius ſuo loco examinabitur.

§. 13. Secundo: Nondum invictè demonſtratum extensionem actualem eſſe modum materiæ inſeparabilem, imò contrarium hodiedum sicut olim nervosè propugnatur, per conſequens multo minùs convincit Carthesius extensionem eſſe gradum materiæ differentialem.

§. 14. Ingenuè cum Dagoumero fatendum, si non alia eſſet materiæ notio, quàm ut dicatur ſubſtantia extenſa, nullam aſſignari poſſe notionem perfectiorem & clariorem quàm sit extensionis significatio, verùm hæc corporis Mathematici ut dictum non phisici idea, quæ non confundenda.

§. 15. Epicurei moderni quorum antesignanus Gaſſendus diſertiſſimus, non aliud per materiam intelligunt, quàm congeriem atomorum ſeu corpuſculorum extenſorum & indivisibilium (de quibus plura proprio loco) hæc ipsius *plenum* conſtituunt, ultra quod *vacuum* ſeu ſpatium tanquam locum ex-

extenſum ab atomis penetrabile in quo ſunt omnia, admittunt, ipſas verò atomos utpote extenſas & inſectiles, impenetrabiles eſſe affirmant, hinc extenſionem impenetrabilem ſeu impenetrabilitatem eſſe gradum materiæ differentialem concludunt.

§ 16. Præter rationes contra Carthesianos breviter & recenter allatas etiam contra extenſionem impenetrabilem ſaltem actualem militantes, cùm eatenus fatentibus Gaſſendiſtis quælibet attomus eſt impenetrabilis quia indiviſibilis, vel juxta celeberrimum *Corde moi*, quia quælibet earum eſt una ſimplex ſubſtantia, clarum, impenetrabilitatem præſupponere alium gradum, ſe priorem à quo fluat, adeoque non eſſe gradum materiæ differentialem.

§ 17. Inſuper impenetrabilitas ab indiviſibilitate & unitate ſubſtantiæ malè deſumitur, cum ſpatium juxta ipſos extenſum & indiviſibile etiam ſit penetrabile, ſubſtantiæ pariter ſpirituales ſunt indiviſibiles & earum unaquæque, una ſubſtantia, & penes penetrabilis, quis etiam non videt in eorum ſententia atomos æquè à ſpatio, ac ſpatium ab atomis penetrari, & unam partem ſpatii cum altera comparatam, ab eadem eſſe tam impenetrabilem, quàm ſit una atomus ab altera, imò nemo facilè fingere poteſt partes ſpatii Juxta Atomiſtas, eſſentialiter extenſi poſſe poni intra ſe invicem penetrativè, ſecus verò de corporibus ſentiunt celebriores Philoſophi cum plurimis Theologorum, affirmantes, ea divinitus poſſe penetrativè poni in eadem parte ſpatii vel loci, hinc, quid ſibi per extenſionem impenetrabilem volunt non ita facilè concipi poteſt.

SECTIO III.
De Materia Primordiali ſecundùm Dagoumerum.

§. I.

CUm ex hactenus allegatis conſtet¹, materiam ſecundùm omnes eſſe Subſtantiam ex qua res corporeæ gignuntur, & à ſubſtantia Spirituali differe, non meliùs quàm à proprietatibus utrique convenientibus, gradus utriusque differentiales tanquam proprietatum fons & origo detegi poſſunt, adeóque cùm ſpiritus ex eo quòd ſit phiſicè & mathematicè indiviſibilis, nullásque partes habeat transponendas, merito à Philoſophis dicitur *Subſtantia entitativè una* ſeu quæ caret partibus quæ ſubſtantiæ ſunt, & quivis fatetur materiam eſſe diviſibilem, ejúsque partes poſſe transponi, iis addi, & ab iis detrahi poſſe, Clariſſimus Dagoumerus aliàs Cartheſij Fautor, definit materiam ſeu ſubjectum primum omnium formarum Phiſicarum *Subſtantiam entitativè multiplicem* hinc *pluralitatem partium quæ Subſtantiæ ſunt* verbo *materialitatem* eſſe gradum materiæ differentialem & ſpecificum, omniúmque ejus attributorum & modificationum originem, non infundate contendit.

§ 2. Per hanc partium pluralitatem, tum à Spiritu inextenſo & partium experte, tum ab atomis Epicureorum extenſis & phisicè inſectibilibus, ſeorsim ſumptis, nec non à quibuslibet modificationibus sivè Spiritus, sivè materiæ diſtinguitur; quæ, præſertim, ſi materiales, licèt plures habeant partes, non tamen quæ Subſtantiæ ſunt, hæcque partium quæ ſubſtantiæ ſunt *pluralitas*, radix eſt extensionis ſensibilis, divisibilitatis, impenetrabilitatis, figurabilitatis &c.; Priùs enim concipimus materiam

teriam habere partes à partibus diſtinctas, quàm eas extendi, vel dividi, aut impenetrabiles eſſe, ex hac denique ſequitur quòd materia ſit omnium formarum & affectionum mechanicarum, quarum productionem præcedit & deſtructionem ſubſequitur, ſubjectum commune ingenerabile & incorruptibile.

§ 3. An hæc pluralitas partium cum extensione & impenetrabilitate radicali peripateticorum, ſeu (ùt ajunt) exigentiâ actualis vel extensionis vel impenetrabilitatis coincidat, per me licet, litem non intentabo.

§ 4. Poſſit quis objicere 1. priùs eſſe, aliquid in natura ſua conſtitui quam eſſe multiplex; & ordinem doctrinæ exigere ut priùs inquiratur, quid ſit res, quam quot duplex ſit, adeóque pluralitatem partium qua aſſeritur materia entitativè multiplex non aſtruere ejus naturam & eſſentiam.

§ 5. 2dò Cùm ipſum compoſitum ſit ſubſtantiale & entitativè multiplex, eadem definitio ſoli materiæ non competit.

§ 6. Ad 1. reſpondet Dagoumerus verum eſſe, priùs aliquid in natura ſua conſtitui, quam eſſe multiplex, niſi multiplicitas partium ſit gradus differentialis & ſpecificus entis, cujus natura indagatur, ut in præſenti caſu, hinc, non poteſt nec debet priùs in natura ſua conſtitui ſimplex, quàm dicatur multiplex, idem de quantitate, cùm dicitur *amplitudo entis & copia*, & quávis quantitatis ſpecie ſentiendum, quid enim extenſio permanens, (aït Dagoumerus) niſi permanens poſitio partium extenſionis extra partes extenſionis, vel duratio, niſi poſitio partium durationis extra partes durationis.

§ 7. Ad 2. compoſito ratione materiæ, ſeu potius materiæ compoſiti phiſici competit dici & eſſe ſubſtantia entitativè multiplex, nullatenus ratione formæ, quæ, ſi ſubſtantia ſpiritualis ùt anima rationalis, vel brutorum juxtà quoſdam, non habet partes quæ ſubſtantiæ ſunt, multò minùs, ſi for-

ma ſubſtantialis ſeu juxta Neotericos eſſentialis, ſit complexio modorum, & non ſubſtantia materialis, quæ tamen non eſt materia, prout vult peripatus, de qua capite ſequenti.

§ 9. Cùm omnes, de materiæ primordialis conceptu inter ſe litigantes, unanimiter tamen admittant, eam partibus entitativis & divisibilibus conſtare, licet de partium homogeneitate vel heterogeneitate, & divisibilitate, an nimirum finitâ, infinitâ, vel indefinitâ, multum inter ſe diſſentiri videntur, hæc Dagoumeri de materia notio, conceptu reſpectivè facilior, nec adeò cavillationibus obnoxia mihi hucusque, aliis Neotericorum ſententiis longè præferenda videtur.

CAPUT II.

De Forma rerum Phiſica.

SECTIO I.

De Forma Rerum Inanimatarum.

§. 1.

EXdenſiſſimis materiæ tenebris aliquantulum expediti, ejus compartis formæ nimirum, naturam & quidditatem, ortum & interitum, pro poſſibili rimemur.

§. 2. Forma ideò dicta quòd perficiat, ornet & formet materiam cujus eſt actus vel primaria perfectio, cùm ab omnibus tam Veteribus, quàm Recentioribus Philoſophis unanimiter admittatur, in quæſtione an ſit, utpote in ſcholis ſufficienter agitata, non immorabor, de ejus verò quidditate & natura contentioſiſſimè inter ſe diſputant Phiſici in diverſas claſſes diviſi.

§ 3. Peripatus formas diſtinguit in ſubſtantiales & accidentales, per has intelligunt, quòd Neoterici vocant partium Mechani-

chanicas affectiones, magnitudinem, motum, texturam, ſitum, configurationem &c. quibus adjungunt qualitates quatuor tactiles tanquam primas, & ſecundas ab his ortas, de quibus ſuo loco.

§4. Formam ſubſtantialem, dicunt eſſe principium quoddam intrinſecum cum materia conſtituens totum phiſicum, quod, etiam ab omnibus aliis diſtinguit, activum & productivum motûs & quietis, aliarúmque corporis operationum, & ab Ariſtotele definitur *actus ſubſtantialis unum per ſe cum materia conſtituens.*

§5. Hæc iterum duplex, alia ſpiritualis, anima nimirum rationalis, quâ ſolus nobilitatur homo, alia materialis, quæ in viventibus anima audit, in rebus inanimatis forma ſubſtantialis de qua præſens ſermo.

§6. Hanc dicunt eſſe ſubſtantiam materialem, incompletam, à materia realiter diſtinctam, (ſupernaturaliter, ajunt, poſſit forma ſeparata exiſtere) non creatam, ſed eductam è gremio materiæ, quæ purè paſſivè, illam recipiendo, nihílque quod illi ſit intrinſecum conferendo, ſe habet, à qua tamen dependet forma tam in fieri, quàm in conſervari, hinc arguunt animam rationalem, quæ per ſe exiſtit & operatur ſeparata, è ſinu materiæ non erui, ſed à Deo creari.

§7. Hæcque actio, quâ forma è fecundo materiæ ſinu educitur, reſpectu formæ dicitur *eductio*, ratione compoſiti quod gignitur, *generatio*, reſpectu materiæ *mutatio*, eandem deſtrui dicunt ſeu deſinere eſſe non verò annihilari, quando & quoties novæ in materia introducuntur diſpoſitiones formæ advenientis, contrariæ diſpoſitionibus formæ deſinentis. His ſubſcribunt Galenici.

§8. Si hæc forma (ajunt) non eſſet ſubſtantia à materia diſtincta, nulla corporum generatio, nulla corruptio, quid enim novi (ſi denegetur talis ſubſtantia) res acquirit cùm gignitur, majorem forte molem, vel novam accidentium congeriem, verùm

verum illa, accretio, hæc, alteratio quædam & nullatenus generatio dicenda, hinc, niſi nova, eáque ſubſtantiàlis forma acceſſerit, nihil gignitur, ab hac ſola habent compoſita Phiſica quod ſint talia, non à materia; aurum non ideo quòd ſit ſubſtantia trina dimenſione conſtans, omnibus corporibus æque competens, naturam & ſpeciem auri obtinet, nec accidentium congeries, ut volunt neoterici communiter, auro ſpeciem tribuit, ſublatis enim figurâ, ſitu, & magnitudine &c. Nihilominus aurum remanebit, à ſola igitur forma ſubſtantiali, hoc acceptum refert, quæ cùm à materia diſtinguatur eâque multò perfectior, Subſtantiæ nomen per Excellentiam ſibi vendicat, à forma ſola, materia in ſe vaga & iners, reducitur ad aliquam ſpeciem corporum, & ſic dat eſſe ſpecificum, cum ipſa, & non accidentium complexus, eſſentialem inducat differentiam, & cum materia conſtituat unum per ſe & non per accidens.

§ 9. Neoterici unanimiter formam hanc ſubſtantialem phiſicam peripateticorum prorſus rejiciunt, allegantes in corporibus vitæ expertibus (de viventibus alibi) non debere admitti formam, cujus eſſentia, origo, & operandi modus, plane ignoratur.

§ 10. 1° Quis ſecluſo omni præjudicio (ajunt) fundatè concipiet Subſtantiam aliquam in corpore Phiſico materialem, quæ tamen nec materia eſt nec ſpiritus, id eſt quæ nec entitativè multiplex eſt, nec entitativè una, nec propriè diviſibilis, nec indiviſibilis, ſi enim eſt indiviſibilis, erit ſubſtantia entitativè una, ac proinde vel ſpiritus vel atomus inſectilis; ſi diviſibilis, erit entitativè multiplex, per conſequens illius partes poſſunt tranſponi, ipſis addi vel detrahi poterit, proindéque nihil à mataria diſtinctum.

§ 11. Inſuper ajunt ſubſtantiam materialem aut corpoream quæ nec materia eſt nec corpus, tantum implicare, quantum

tum Subſtantia ſpiritualis [quæ non ſit ſpiritus]: ſicut enim ſpiritualitas, ſubſtantialis ,qua ſpiritus conſtituitur Subſtantia entitativè una, inextenſa,& indiviſibilis, eſt ejusdem , gradus differentialis, ità & materialitas ſubſtantialis quæ nihil aliud quàm pluralitas partium quæ Subſtantiæ ſunt, eodem jure gradus eſt differentialis materiæ , ipſam à Spiritu , atomo inſectili, & quibuscunque modificationibus etiam materialibus diſtinguens; nec faciliùs perſuaderi poterunt, mediam dari Subſtantiam inter corpus & Spiritum, quàm inter purum vivens & inanimè, Subſtantiam inter & accidens,imò vel inter creaturam & creatorem. Ex quibus concludunt formæ ſubſtantialis peripateticæ naturam & eſſentiam prorſus ignorari, adeóque pro non ente habendam.

§ 12. 2^{dò} Si originem ſpectes, licet nihil magìs tritum , nihil in Scholis vulgariùs , quàm prædictas formas tanquam ſubſtantias abſolutas è materiæ gremio educi , quid ſit illa eductio , & quo fundamento ſufficienti, à creatione cauſis ſecundis & naturalibus nullatenus competente, diſtinguatur , vel formæ deſtructio à vera differat annihilatione, minimè demonſtrant, quod enim fit ex nihilo ſecundum omnem entis rationem (talis eſt formæ materialis peripateticæ productio) potius dicitur creari, quàm educi.

§13. Aſt inquiunt ad creationem ſubjectum non conſpirat, ſicut in formarum productione. Regerunt RR. cùm ſubjectum ex quo forma educi dicitur, nihil formæ ſit juxta Peripatum, nec alia eſt ejuſdem potentia quàm ut puri ſubjecti vices obeat, & formas ſuſtentet, potius dicendum formas fieri ſecundùm omnem entis rationem in materia, verbo in ea creari, quàm ex ea educi, talis eſt animæ rationalis in corpore organico creatio. Taceo, rem ſinè præjudicio perpendenti imperceptibile eſſe, ſubſtantiam realem & abſolutam ex alia educi (ſi nomen eductionis ut à creatione diſtinctæ in genuino

nuino & obvio ſenſu ſumatur) in qua antea non præcontinebatur, quomodo enim (Clariſſimi Duhamel verba ſunt) *res ex alia in qua non erat actu eruitur? niſi fortè putes aurum ex fodina vel crumena, in qua tantum eſt poteſtate, actu elici poſſe*; nec ipſe Peripatus dicit formas ſubſtantiales in ſubjecto purè paſſivè ſe habente, ante earum eductionem præextitiſſe, (ſi aliquid præextiterit, id erit aſſignandum) aliàs non de novo educerentur, ſed quæ antea occultæ erant, priùs jam manifeſtarentur, hinc illa diſtinctio productionis ex nihilo ſui, nihilo ſubjecti, gratis & ſinè fundamento fingitur & in ſcholis (ajunt) introducitur ad evitandam difficultatem, cùm entitas productionis ex nihilo ſui, ſive in, ſive extra ſubjectum ſit ſemper eadem.

§. 14. Reſpondent Peripatetici formas materiales fieri quidem in materia ſed ab ea dependenter tum *in fieri*, ità ut exigant fieri & ſuſtentari in materia, tum *in conſervari* & *operari*, ſecus verò animam rationalem, quæ licèt in materia prædiſpoſita fiat, ab ea tamen quoad operationes proprias non dependet.

§. 15. Contra inſurgunt Neoterici paſſim, allegantes talem exigentiam nullatenus vel impedire vel immutare creationis actum, cùm & ipſa anima rationalis licèt creata, fit, & etiam ipſis fatentibus exigit fieri in materia, imò Thomiſtæ communiter contendunt formas elementorum in prima rerum creatione non eductas fuiſſe è ſinu materiæ, ſed unà cum ea concreatas, & alii paſſim concedunt formas quæ educuntur v. equi, poſſe creari, remanente ſemper dependentia formarum creatarum a ſubjecto ut extra id nec eſſe connaturaliter, nec operari poſſit.

§. 16. Inſuper conſiderata ſumma formæ materialis a ſubjecto dependentia quâ majorem nequit habere accidens phiſicum non vident RR. quo fundamento ſolido poſſit dici forma differre ab accidentibus phiſicis, quæ per hoc ſolùm

tanquam

tanquam per propriam differentiam & conſtitutivum in eſſe accidentis conſtituuntur, quòd habeant ſummam à ſubjecto dependentiam, hinc ex eſſentia ſua ſunt *entia in alio*, *per ſe* enim *exiſtere*, & *ſummè dependere à ſupjecto*, quod plane idem eſt, ac *in alio exiſtere*, ſunt oppoſita. Cùm igitur forma materialis à ſuo ſubjecto, tum in fieri & conſervari, tum in operari dependeat, & talem plane dependentiam à ſubjecto habent accidentia phiſica, nec majorem habere poſſunt, clarum, illam potius dicendam ens in alio per conſequens accidens phiſicum, quàm ſubſtantiam.

§. 17 Denique formis materialibus ſicut accidentibus competit definitio accidentis tam à Porphirio, nempe *adeſſe*, & *abeſſe poſſunt*, ſubjecto ſinè ſubjecti (materiæ ſcilicet) interitu, quàm ab Ariſtotele in Prædicamentis allata, eſt enim forma materialis, *in aliquo*, nempe in materia *& non ut pars illius ſubjecti, nec ſeorſim ab eo, in quo ineſt, fieri poteſt.*

§. 18. Nec obſtat, materiam dici reſpectu formæ materialis ſubjectum ſuſtentationis & *informationis* non verò *inhæſionis*, ſicut dicitur ſubjectum accidentium.

§. 19 Quis ſemoto præjudicio rem perpendens, inficias ibit formas materiales eodem modo quô accidentia, dependere à ſuo ſubjecto, nempe tum *in fieri* tum *in conſervari*, quæ maxima ut dictum dependentia eſt, & quâ major in alterutra dari nequit, hinc nudè aſſerere formas materiales ideò non eſſe accidentia, quia illorum ſubjectum à quo tantum dependent quantùm & ſicut accidentia, non eſt ſubjectum accidentium ſed formarum materialium, & accidentia ideò eſſe talia, quia illorum ſubjectum eſt inhæſionis ſeu accidentium, videtur plane arbitrarium, minúſque firmo ſtare talo.

§. 20. Nec obſcurior eſt notio eductionis formarum materialium, quam, earum in deſtructione compoſiti phiſici interitus, qui à vera annihilatione cum ſufficienti fundamento di-

ſtingui nequit, cùm enim annihilari eſt deſinere eſſe ſecundùm totam entis rationem, clarùm eſt formam materialem (ſi ſubſtantia ſit abſoluta) taliter deſinentem eſſe, verè annihilari. Dices remanere ſubjectum.

§. 21. Verùm ſi deſtrueretur (Deo abſolutè volente) anima rationalis remanente ſubjecto, vel forma materialis à ſubjecto etiam remanente, priùs ſeparata, & una æquè ac altera, (nemine contradicente) annihilaretur, quod convincit remanentiam ſubjecti nullatenus officere annihilationi, cùm igitur, nulli aſtruunt formas materiales à Deo creari vel annihilari, nec penes cauſas ſecundas ſit taliter deſtruere, multò minùs producere, juxta tritum illud Philoſophorum receptum *ex nihilo nihil, in nihilum nîl poſſe reverti*, vi agentium naturalium, evidens eſt formarum Peripateticarum originem & interitum hucuſque ignorari, *nihil enim* (út pulchrè notat Clariſſimus Dagoumerus) *abſurdius fingi poteſt, quàm ſubſtantiam*, (addo ego ſimplicem) *generari aut corrumpi, Magiſtrum ſuum Ariſtotelem audiant, ſubſtantiæ nihil eſt contrarium, ſubſtantia non perit oppoſitione contrarii*, hæc ille.

§. 22. 3° Modus operandi hujus formæ plane neſcitur, dicere enim illam agere variis facultatibus, quas illi occultas vocant, qualis eſt facultas attractiva ferri in magnete, antipathia, ſympathia, facultates attractivæ & concoctivæ Galenicorum, &c. eſt occultum per occultiùs explicare, nec verbis aptioribus, fateri poſſunt influxum formæ materialis abſolutæ à ſe neſciri, audiatur Clariſſimi du Hamel in ſuo tractatu de conſenſu veteris & novæ Philoſophiæ lib. 11. cap. 11. pag. 637. de forma, cenſura, *iſta ſanè diſputatio* (de forma nimirùm) *ſemper mihi viſa eſt perobſcura, & neſcio an id Peripateticorum culpâ contigerit, qui neglectis ſenſibus, rationis quædam figmenta & ſubtiles argutias conſectantur: quæ ſunt ante oculos poſita contemnunt, abdita quædam & nullo intellectu comprehenſa optant*

magis

magis quàm inveniunt, materiam quæ ſit pura potentia, & formam fingunt à materia diſtinctam, ſinè quâ tamen eſſe non poſſit, eductam ex eadem materia in qua actu non erat, ex nihilo ſui, ùt ajunt, prodeuntem, nec creatam tamen, quæ ſubſtantia ſit nec poſſit ſubſiſtere, materiæ inhæreat, neque accidentis rationem habeat, entitas quædam ſit non creata, non genita, ſed educta è ſubjecto tenebroſo informi, omni perfectionis experte. Hoccine eſt Philoſophari an divinare?

§. 24. His & pluribus aliis argumentis quæ hìc inſerere nec vacat nec opus, convicti Neoterici, judicant corpora vitæ expertia ſivè quæ ſimplicia à peripato dicuntur, ut elementa vulgaria, ſive ex iis compoſita, non aliud eſſe, quàm materiam primordialem reſpectu elementorum, vel ipſa elementa ſeu prima miſcibilia in mixtis alterata, ſed non corrupta, reſpectu mixtorum, affectionibus mechanicis ita inſtructam, ut pro harum diverſitate oriatur ſpecifica corporum diverſitas, adeóque formam *abſtractivè* ſumptam eſſe merè reſpectivam ſeu modalem, & conſiſtere in certa, ſpeciali, & determinata totius corporis ſingularûmque partium diſpoſiitione, harmonia, & proportione, verbo, modorum complexione, *abſtractivè* inquam, quia forma *concretivè* ſumpta utpote ā partibus eſſentialibus ſpecificè inſtructis indiſtincta, & non abſtractiva totam rei quidditatem abſolvit, non enim compoſitum Phiſicum eſt ſola forma, nec animatum ſola anima dicendum.

§. 25. Forma abſtractivè ſumpta utpote modus è materia prodit, ſeu potiùs eam ab agente fieri concipimus, cum materia ab eadem formatur, ex Ariſtotele cap. de qualitatibus *non fit rotunditas, ſed res rotunda*, eodem modo de omnibus modis Phiſicis, inertibus præſertim, judicandum.

§. 26. Hæc, corpora vitæ expertia, pari modo, quo ſola accidentium collectio & materiæ diverſitas artefacta,

diſcernit, *nec minor eſt*, ait prælaudatus du Hamel in ſuo tractatu de conſenſu vet. & novæ Phil. pag. 635. *inter horologium & domum, quam inter lapidem & metallum, differentia, in utrisque eſſentiæ vel naturæ diverſæ*, pag. 636. *& ſanè ut ferrum diverſis figuris inſtructum, varias actiones edit, ſic materia variè conformata diſtinctas actiones exerit, nec magis neceſſe eſt formam à materia, quàm figuram à ferro ſecernere, atque ùt ait Ariſtoteles 2. phiſic. textu 12. 19. forma non eſt ſeparabilis niſi ſecundùm rationem ùt Simitas* (inquit) *quæ â naſo auferri nequit.*

§. 27. Hæ forma abſtractivè ſumpta diſtinguitur realiter reſpectivè ſeu modaliter, à materia, reſpectu cujus poſſit dici *qualitas modalis*, cùm ab ea poſſit abeſſe vel adeſſe ſine ejus interitu, licèt non conſervari ſeparata, reſpectu compoſiti, quod ut cauſa formalis cum materia conſtituit in tali eſſe, eſt *eſſentialis*, imò juxta quosdam recentiores dicitur modus illius ſubſtantialis licèt non ſit ſubſtantia, in quantùm una cum materia in genere cauſæ formalis dat compoſito eſſe ſubſtantiale, non aliter (quod notandum) quam unio inter materiam & formam quæ ſecundùm multos Modiſtas peripateticos eſt modus ſubſtantialis reſpectu compoſiti, quam tamen negant eſſe ſubſtantiam, imò reſpectu materiæ contendunt eſſe accidens modale.

§. 28. Forma taliter concepta ſufficit ad explicanda rerum naturalium phænomena, hacque poſita in certa ſpecie ponitur, & ſublatâ tollitur totum phiſicum vitæ expers.

§. 29. Exemplis res fit clarior, tamdiu lactis ſpecies integra permanet, quamdiu particulæ oleoſæ & pingues cum ſeroſis exquiſitè permiſcentur ac uniuntur, quam primum verò ac ſeroſæ partes, ramentis partium pinguium & oleoſarum intermixtæ, à nexu ſolvuntur, ipsisque pars pinguior ſupernatat, tunc ſpecies lactis interit, ac caſeus, butirum, & ſerum

pro-

prodire incipiunt, ſic vitrum ex arena & ſale fuſis, æs ex cupro & lapide calaminari colliquefactis, cinnabaris nativa ex Mercurio & ſulphure in viſceribus terræ, ſicut cinnabaris artificialis ex iiſdem ſpagiricè ſublimatis, per ſolam partium transpoſitionem & texturæ varietatem exoriuntur.

Diluuntur Objectiones.

§. 30. 1° Tametſi forma Neotericorum eſſentialis nec generatur propriè nec corrumpitur, exinde (ajunt) haud inferendum, nullam fieri veram generationem & corruptionem ſubſtantialem, quis enim non videt compoſitum phiſicum vitæ expers eſſe terminum generationis æque ac compoſitum humanum, licèt ejus compartes non magìs generantur quàm compartes hominis, qui tamen juxta ipſum Peripatum verè generatur & corrumpitur. Terminus enim alterationis, ùt à generatione diſtinctæ ſunt qualitates ad eſſentiam corporis non ſpectantes, ùt, cum cera ex molli fit dura, aut è contra, aqua ex calidâ fit frigida, ſi verò ùt in generatione aut corruptione fit, aut omnia pereunt accidentia, aut ſi quæ ſuperſint, non ſufficiant ut corpus ſenſibile dici poſſit idem, v. g. cum ex ligno fit cinis vel carbo, tunc alteratio degenerare videtur in generationem novi compoſiti, aut prægreſſi corruptionem. Ex quo non infundate inferendum, diſcrimen, alterationem inter & generationem ſubſtantialem, petendam eſſe potiùs à terminorum, quàm entitatis ipſarum actionum, quæ fortè ſecundùm magìs & minùs ſolumodò differunt, diverſitate, in quo nihil abſurdi putant non pauci Recentiorum aſſerentium, diſcrimen alterationem inter & generationem in eo tantùm eſſe, quòd *generatio ſit mutatio intima, proindéque alteratio ultima.*

§. 31. 2dò Ex materia tanquam potentia & forma eſſentiali tanquam actu fit unum per ſe phiſicum, cùm ambæ compar-

tes

tes reſpectu totius ſint incompletæ & unum per ſe conſtituunt *unitate compoſitionis*, tam perfectum, quàm materia cum forma totali, ſeu Scotiſtarum in cadavere *Entelechia*, ex formis partialibus ſubſtantialibus, poſt mortem animalis reſiduis & formæ totalis naturam & rationem induentibus conflatâ, vel cum Thomiſtarum *forma Cadaverica* ex congerie accidentium poſt mortem animalis coaleſcente, & in cadavere, formæ ſubſtantialis vices ſupplente, illud enim & non aliud cenſetur à Neotericis unum per ſe (ut recens inſinuatum) cujus unitas pertinet ad eſſentiam phiſicam & ab ea exigitur, in hoc diſtinguitur ab uno per accidens cujus unitas ab eſſentia phiſica non exigitur, aliam quamcunque unius per ſe definitionem, tanquam inutilem & arbitrariam rejiciunt.

§32. 3ò Aſt dices forma ſubſtantialis v. g. auri eſt potiùs radix & principium accidentium, quàm eorum complexus, quibus ſublatis (ut ante dictum) aurum remanebit.

§. 33. Reſp. Præterquàm quòd entitas illa aut ſemiſubſtantia ſit imperceptibilis, nec quiſquam illam defendens, claram ejuſdem hactenus dedit ideam, cùm juxta ipſos forma nova non educitur niſi introductis prævìè diſpoſitionibus pro ejus eductione requiſitis, & diſpoſitionibus formæ deſinentis contrariis, non video quare ſublatâ prorſus texturâ & configuratione auri (quod non tam facilè ſit) vel cujuſcunque corporis, non deſtruatur auri eorúmve compoſitum, nec ulla aſſignari poteſt ratio ſolida, quare illa configuratio interna auri non ſit potiùs radix gravitatis ſpecificæ, ductilitatis, malleabilitatis, & coloris ejuſdem, quám ſemiſubſtantia non minùs occulta quàm ad explicanda rerum phenomena inutilis.

§. 34. 4tò Minùs fundatè concludunt aſſerentes, quemadmodum ad hominis compoſitionem, non ſufficit materia variis inſtructa affectionibus mechanicis, ità nec ad corporis cujuſcunqe naturalis compoſitionem, non advertentes corpus huma-

humanum compartem animæ rationalis licèt reſpectu hominis incompletam, eſſe in ſe corpus phiſicum, & *in eſſe* ſui *abſoluto* completum.

§. 35. 5^{tò} Objiciunt aliqui, qui cum ſuas opiniones rationibus ſuſtinere nequeunt, ad ſacræ Scripturæ authoritatem ſe convertunt cujus nomine (ajunt Neoterici) formiduloſos terrent, fidem docere totam ſubſtantiam panis & vini in Eucharistia poſt verba conſecrationis tranſubſtantiari, remanentibus *duntaxat* accidentibus, per conſequens accidentium congeriem non eſſe formam ſubſtantialem vel eſſentialem panis aut vini, alioquin non eſſet tota ſubſtantia utriuſque deperdita.

§. 36. Reſp. breviter, configurationem & texturam internam panis utpote ejus formam eſſentialem, facta conſecratione neceſſariò deſtrui, remanentibus figura, & ſitu externis, colore, odore, ſapore, &c. ſeu potiùs illarum *ſpeciebus* juxta phraſim Conciliorum & ſanctorum Patrum de quibus plura ſuo loco.

SECTIO II.

De Forma Vegetabilium.

§. I.

FOrma viventium quæ communiter anima dicitur, & in vegetabilibus *anima vegetabilis*, in animalibus brutis *ſenſitiva*, in homine *rationalis* audit, (hanc ultimam, ſolam animæ nomine nobilitari dignam, prætendunt non pauci e Cartheſii Aſſeclis) paſſim in ſcholis definitur poſt Ariſtotelem *actus primus corporis organici poteſtate vitam habentis.*

§. 2. Per actum haud dubiè intelligunt, perfectionem primam mentem nimirùm in homine, & actuoſum aliquod ac vitale principium ſeu ſubtiliorem ſubſtantiam in reliquis viventibus quo-

quorum corpora vario organorum apparatu ſunt inſtructa, quæque vitales actiones ſtatim ac anima informantur exercent, nempe nutritionem, accretionem, generationem, & in brutis ſenſationem & locomotionem. Quid rei verò ſit illud principium actuoſum maximè inter phiſicos & medicos ambigitur.

§. 3. Peripatus paſſim dicit animam (ſi rationalem exceperis) eſſe formam viventis ſubſtantialem, materialem, a materia tamen è cujus ſinu educitur diſtinctam, magíſque activam, quam ſit forma corporum vitæ expertium, in plantis primum & radicale principium nutriendi, creſcendi, & generandi, in brutis non tantum vegetationis, ſed etiam ſenſus, cognitionis materialis, appetitionis, & locomotionis, principium, de animæ ſenſitivæ diviſibilitate & indiviſibilitate Peripatetici in claſſes ſecti non parùm inter ſe litigant.

§. 4. Hæc animæ vegetantis & ſentientis notio generalis, ob rationes contra formas ſubſtantiales corporum vitæ expertium recens allatas, & æquè contra formas viventium ſenſu peripatetico conceptas, militantes, quas denuò recenſere, nè crambem bis coctam repetere videar, ſuperſedebo, hæc (inquam) notio plurimis modernorum Phiſicorum & Medicorum imperceptibilis & maximè confuſa videtur, qui corpus organicum, vegetabilium præſertim, ejusque animam, ex eadem efformari materia ajunt, ita tamen ut anima actuoſis potiſſimum conſtet particulis quæ paulatim è craſſiori materia emergentes una coeunt, ductus ſibi aptant idoneos, & characterem habent ſeu texturam ad præſcriptum formæ *Architypæ* ſeu ſecundùm Sanctum Thomam *ſimilitudinis idealis*, in mente divina exiſtentis efformatam.

§. 5. *Forma ſubſtantialis* inquit S. Doctor, in tractatu de formis, *nihil eſt quàm ſimilitudo ſeu participatio primi actûs rebus impreſſa. Cùm enim DEUS ſit agens per intellectum, oportet, ut omnium*

omnium quæcunque produxit in ſe præhabeat ſimilitudines ideales, & per conſequens in tantum perfici dicuntur, in quantum formarum idealium ſimilitudinem repræſentant, ut ſic in rebus materialibus non inveniatur ſolùm materia, verùm etiam formarum idealium aliqua ſimilitudo, quam alio nomine dicimus formam.

§. 6. Hæc anima quaſi flos corporis viventis ſeu ejus purior & ſubtilior eſſentia & complementum maximè actuoſum, cui reliquæ partes organa conſtituentes famulantur, quæque corpus organicum etiam forma eſſentiali cum rebus inanimatis communi præditum, naturâ archetypa, duce, regit, & tanquam proprium domicilium vi plaſtica efformat, quaque evaneſcente vegetabile vivere deſinit, non è gremio materiæ cujus & ipſa delibatiſſima portio, peripateticè educitur, ſed per traducem producitur: hic eſt ſpiritus ille actuoſus & vegetans in ſeminė vegetabilis tanquam in capſula incluſus & deliteſcens, quo novella planta vegetat, quique à majori planta exciſus, in minores per propagationem quandam traducitur.

§. 7. Vim hanc ſeminalem plantis in primordio *à Natura Archetypa* impreſſam ſatis ſuperque confirmat ſacer textus, Geneſis 1. verſ. 11. *Germinet terra herbam virentem & facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus ſuum, cujus ſemen in ſemet ipſo ſit ſuper terram.*

§. 8. Actuoſæ hujus ſubſtantiæ diverſis & nobis indefinite innumeris characteribus ſeminalibus dotatæ, portio, quæ in viventibus animæ nomen obtinet, à rebus vitæ deſtitutis ut foſſilibus, aere, & igne, non omnino excludendus, quod non paucis modernorum anſam dedit, plantis ſicut mineralibus vitam & animam denegandi, etenim materia mundi ſubtiliſſima ſive maxime actuoſa (ajunt) indeſinenti motu abrepta univerſam corporum naturam pervadit.

§. 9. Quoniam vero in rebus inanimatis nimis ſit diſperſa, nec in iis canales ſeu receptacula vel efformet vel inveniat, quibus uberius colligi, obvios humores protrudere, cæteráſque partes fortius oſcillare facit, nullos in ipſis motus vitales quales ſunt vera *nutritio* per intraſumptionem ut ſcholæ aſſerunt, *accretio*, aut *generatio* à principio interno proprio in illis gliſcente & circulante & ab eadem actuato producit, magis quam in ligno arido & è terra diu evulſo obſervare eſt; quod tamen materia mundi ſubtiliſſima pervadit, neque *lapis* ut bene notat Doctiſſimus du Hamel *lapidem gignit* tametſi forte lapidum & aliorum foſſilium ſua ſint ſemina ex quibus evolvuntur vel oriuntur, verum hæc ſemina, nec aliud ſibi quoad ſpeciem ſimile ſemen proprio interno principio efformant, nec ab aliis ejuſdem generis formantur.

§. 10. In Vegetabilibus verò maximam & planè ſtupendam cum animalibus analogiam habentibus, magnus eſt organorum apparatus, magnaq; omnium vaſorum plantam conſtituentium connexio & anaſtomoſis, quibus fit vitalis motus.

§. 11. Sicut enim ſanguis in animalibus à corde per arterias ad extremas partes fluens, ad cor per venas refluit, ità ſuccum nutritium in vegetabilibus perpetuò circuitu circumagi eoque motu continenter digeri ac depurari, à radicibus nimirum in ramos per fibras & tubulos *corporis lignoſi* dicti, attolli, & à ramis eo depurato ſufficienter nutritis per *corpus medullare*, ejúsque fibras medullares *utriculos* dictos ad partes inferiores pro earum nutritione remeare, excrementios humores per poros & corticem transudare, (hinc quarundam arborum gummata, reſinæ, lachrimæ,) recepta nunc eſt apud Phiſicos opinio, non tam conjecturis quàm variis iísque curioſis oculatiſſimi *Malpigii*, Doctoris *Grew*, Domini *Perault*, aliorum que Doctiſſimorum Virorum obſervationibus confirmata.

§. 12.

§. 12. Imò plantas ſuo modo reſpirare & vaſa habere ſpiralia *Tracheas* dicta, quibus aer reciproce ducitur & egeritur, contendit idem Malpigius, primum fieri aſſerens, cùm aer partim cum ſucco nutritio permixtus & rarefactus per fibras corporis lignoſi quas explicat, aſcendit; partim, tracheis exceptus, eas in majus volumen expandit, quo fibræ lignoſæ ſuccum nutritium ſurſum afferentes alternatim comprimuntur. Secundum fit, cùm fiſtulæ lignoſæ & vaſa ſpiralia ſubſidunt & conſtringuntur.

§. 13 Taceo varios plantarum morbos, tam tempore germinationis, mediæ ætatis, quàm maturitatis fructuum, & ſubſequentem interitum. Vide inter alios Chriſtiani, Sigismundi Eysfarth diſſertationem phiſicam de Plantarum morbis. Hæcque de Plantarum anima ſufficiant. Sit igitur.

CAPUT III.

De Accidentibus.

SECTIO I.

De Accidentibus in genere.

§. I.

IN omni tractatu de principiis rerum phiſicis fit mentio accidentium corpora afficientium & ad eorum conſtitutionem & integritatem ſuo modo pertinentium, tales ſunt tam *primariæ* corporis *affectiones*, mechanicæ dictæ, *magnitudo* nimirum, *figura*, *ſitus*, *motus*, & *quies*, quam *ſecundariæ* ex his reſultantes, & veluti compoſitæ quibus qualitatum nomen tribuitur, cujuſmodi ſunt qualitates quatuor tactiles ideo ſic dictæ,

ctæ, quod ſenſum tactus afficiunt, *Calor* ſcilicet, *frigus*, *ſiccitas*, *& humiditas*, quæ juxta peripatum primæ ſunt & ab Elementorum formis ſubſtantialibus deducuntur, in ſecundarum claſſe numerantur etiam lumen, colores, odores, ſapores ſoni &c. taceo innumeras qualitates *occultiores* dictas ut vis magnetica, antipathia, ſympathia, idioſincraſia, vires medicamentorum &c. pro clariori horum conceptu ſcholarum placita breviter & candide prius recenſenda.

§. 2. Nomine Accidentis latiſſime ſumpti intelligitur primo: quidquid Enti ſupra eſſentiam ſupervenit, ſive *neceſſario* ſive *contingenter*, ſic homini inter alia riſibilitas, & cuivis enti proprietas dicitur accidere, hinc rerum proprietates etiam metaphiſicæ & inſeparabiles *accidentia propria* vocantur.

§. 3. Secundo: Quidquid corpori ſupra Eſſentiam ejus phiſicam ſupervenit v. g. eſſe calidum, loco motum, indutum, hac duplici acceptione accidentia logica & metaphiſica cum phiſicis confunduntur.

§. 4. Tertio: Nomine accidentis à ſubtili Peripato intelligitur entitas vera diſtincta ab omni ſubſtantia, habens rationem formæ levioris conditionis, inſtituta ad ſubſtantiæ jam ſubſiſtentis perfectionem. Vide Authores peripateticos paſſim. Talis eſt quantitas reſpectu materiæ, calor igni adveniens & per ſui unionem compoſitum accidentale faciens, omnéſque qualitates de quibus ſpecialiter futurus ſermo, hinc accidens *entis ens* dicitur *aptum natum ut famuletur ſubſtantiæ*.

§. 5. Duplex habetur in ſcholis accidentis ut à ſubſtantia diſtincti, definitio, una ab Authore *Porphyriana* dicta quâ accidens dicitur *id quod ſubjecto adeſſe & abeſſe poteſt ſine corruptione ſubjecti* ſic calor (ajunt) poteſt adeſſe & abeſſe aquæ, ſine aquæ corruptione.

§. 6. Verum, cum hæc definitio non tantum accidentibus à ſubſtantia contradiſtinctis, ſed etiam logicis *ut armatum*, *cal-*

calceatum, *indutum eſſe*, ſeu armis, calceis, indumentis, atque aliis ejuſmodi ſubſtantiis innumeris, alteri ſubſtantiæ *per modum adjacentis* accidentibus, hinc ad illius eſſentiam minime pertinentibus per conſequens à definito longe aliis, conveniat, regulis bonæ definitionis minus conformis videtur.

§. 7. Altera accidentis definitio eſt *ens in alio* ſeu *alteri inhærens* quatenus per modum formæ accidentalis nimirum, ſubſtantiam afficit, & afficiendo denominat; hanc accidentis definitionem fundare videntur ſuper Ariſtotelis in Cathegoriis cap. 2. Effatum, *id in ſubjecto eſſe dico quod in aliquo quidem eſt, & non uti pars, ut ſit ſeorſim ab eo in quo eſt, fieri nequit.*

§. 8. Quis ſemoto præjudicio & contentionibus non videt hanc Ariſtotelicam accidentis definitionem æque formis rerum vitæ expertium eſſentialibus vel ſi mavis ſubſtantialibus, ac accidentibus convenire, ſunt enim in ſubjecto nempe materiâ à qua dependent tam *in fieri* & *conſervari*, quam *operari* quæ ſumma dependentia eſt, ſicut quodvis accidens, & non ut partes materiæ, nec ſeorſim à materia magis quam alia accidentia fieri poſſunt, ut capite præcedenti fuſius dictum, adeoque licet hæc definitio accidentibus phiſicis ſecundum Recentiores ſuo modo competere videatur, iiſdem in ſenſu Peripati formas ſubſtantiales ab accidentibus diſtinguentis, minus quadrat, cùm definito latius pateat; differentia enim inter *inhærentiam*, & ſummam à ſubjecto *dependentiam* qua major dari nequit, eſt phiſico cordato imperceptibilis.

§. 9. Accidentium phiſicorum alia, eaque perfectiora dicuntur *abſoluta*, & minime modalia quæ ſaltem per miraculum (ajunt) extra ſubjectum exiſtere poſſunt, ut quantitas, calor, color, ſapor &c. alia imperfectiora & *modalia*, quæ tam arctam habent cum ſubjecto connexionem, ut ab eodem ſeparata nec divinitus exiſtere vel conſervari poſſint, ut *figura*, *locus*, *duratio*, *ſenſatio*.

§. 10.

§. 10. Mitto alias accidentis diviſiones ut in *intentionale* qualis ſenſatio, cognitio, volitio, & *non intentionale* ſeu ut aliis placet *reale* à priori contra diſtinctum, quales ſunt qualitates tactiles &c. quæ mutationem phiſicam & realem ſubjecto inducunt, ejuſque in certas ſeries ſeu claſſes ut *quantitatis qualitatis, relationis* &c. quæ prædicamenta ſeu Cathegoriæ poſt Ariſtotelem audiunt, arbitrariam reductionem; cum meus ſcopus ſit intimius licet brevius naturæ & originis *quantitatis* & quidem continuæ permanentis quæ vulgo in lineam ſuperficiem & corpus Mathematicum ſeu ſolidum dividitur, nec non *qualitatis* ſeu (ut cum recentioribus loquar) corporis ut quanti, & qualis, ſcrutinium inire. Sit igitur

SECTIO II.

De Quantitate ſeu Magnitudine.

§. I.

QUantitas hoc ultimo ſenſu accepta ſeu Magnitudo quæ à doctiſſimo Maignano *quantum extenſum* vocatur, & à plurimis cum actuali extenſione confunditur, varie à Philoſophis, pro diverſa eorum de quantitate notione, deſcribitur; Peripatetici communiter qui volunt corpus ejuſque extenſionem eſſe mutuo divinitus ſeparabiles, dicunt quantitatem eſſe *accidens reale & abſolutum reddens corpus quod afficit menſurabile, figurabile, & extendi aptum in loco,* vel ut aliis placet, *corpori tribuens poſitionem partium extra partes cum aptitudine ad varias loci partes occupandas.*

§. 2. Hanc dicunt eſſe ſubjectum *quo* immediatum omnium qualitatum, aliorumque accidentium corporeorum, ipſum vero corpus extenſione actuali affectum eſſe ſubjectum *quod.*

§. 3, Corporis extenſionem, unam dicunt *externam* quâ corpus non ſolum partes ſuas habeat extra ſe poſitas in ordine ad ſe, verum etiam in ordine ad locum & corpora ambientia; hanc ajunt eſſe effectum quantitatis internæ, eamque recentiores appellant *menſuram ſubſtantiæ corporeæ.*

§. 4. Alteram *internam*, quæ eſt magnitudo corpori propria, quâ partes ſuas habeat extra ſe invicem bene ordinatas & diſpoſitas in ordine *ad ſe* præciſive, licet non in ordine *ad locum* & corpora ambientia, v. g. corpus hominis ratione magnitudinis ſuæ ſeu extenſionis internæ neceſſario habet caput extra collum, collum extra humeros &c. vel (ut aliis placet) habet caput & collum ita diſpoſita ut una pars non ſit altera, minime vero ratione hujus, ſicut extenſionis externæ, eædem partes variis loci & corporum ambientium partibus correſpondent.

§. 5. Internam magnitudinem, ſeu extenſionem quæ à nonnullis dicitur *quantitas aptitudinalis* aſſeverant eſſe accidens abſolutum tum à corpore phiſico, tum ab extenſione actuali externa diverſum & realiter diſtinctum.

§. 6. Hanc de quantitate ſententiam rejiciunt tam
Cartheſii aſſeclæ extenſionem(ut antea dictum)cum materia confundentes, nec non Gaſſendiſtæ aſſerentes eſſentiam corporis ſitam eſſe in impenetrabilitate ſi non actuali ſaltem exigentiali modificante extenſionem actualem, quam maxime vero Nominales cum ſuo Anteſignano Occamo, mordicus tuentes quantitatem internam materiæ vel corporis ab eadem non realiter diſtingui, externam verò diſtingui ab interna, ſeu potiùs quanto corporeo modaliter, cum per miraculum (ajunt) ſicut in Euchariſtiæ Sacramento, corpus quantitate externa ſpoliari non repugnet; ſequentibus ſuam aſſertionem probant.

§. 7. Primo: Nulla ratione vel experientia phiſica, nulla neceſſitate, nec revelatione conſtat, quantitatem internam

à

à materia diſtingui multo minùs ſeparari poſſe, conſequenter ubi nulla nec ſufficientia diſtinctionis realis motiva, ibi nulla à ſano philoſopho realis diſtinctio admittenda, multa vero dantur identificationis corporis & quantitatis internæ motiva, idem eſt utriuſque conceptus, ſicut enim corporis phiſici ità & quantitatis internæ conceptus eſt, neceſſario & immediate exigere impenetrabilitatem, ſeu extenſionem qua res impenetrabiliter extendatur.

§. 8. Si dicas corpus exigere impenetrabilitatem per quantitatem internam, adeoque non immediate; quærunt Nominales, per quam proprietatem vel exigentiam diſtinctam, corpus & ipſam prætenſam quantitatem internam exigit? ſi dicatur per aliam & hanc rurſus per aliam, quis non videt proceſſum in infinitum *quod natura neſcit*, quis non videt exigentiam exigentiæ in infinitum propagatam.

§. 9. Si dicatur corpus, quantitatem internam quam & aptitudinalem vocant, ſeu exigentiam extenſionis externæ, immediate ſine aliâ præviâ exigere; cur non & exigentiam impenetrabilitatis ſine alia prævia? nulla ſane ratio ſolida in contrarium adduci poteſt, conſequenter fruſtra ponitur quantitas interna ſeu aptitudinalis à corpore impenetrabilitatis immediata radice realiter diſtincta, per quam, impenetrabilitatem ſeu extenſionem impenetrabilem à ſe realiter diſtinctam exigat, *quod enim ex vi conditionis Eſſentialis habetur non aliunde emendicatur* ut optime notat celeberrimus Maignanus.

§. 10. Clariſſimum igitur (ajunt) ex hactenus dictis videtur, exigentiam impenetrabilitatis, ſine qua corpus ut à Spiritu diſtinctum nec eſſe, nec idea clara concipi poteſt, ipſamque quantitatem internam vel aptitudinalem, ſeu extenſionis externæ & impenetrabilis exigentiam ſolo nomine inter ſe differre, niſi magis deſpotice quam ſolide dicas aptitudina-

dinalem extenſionem tanquam proprietatem à radicali, quæ & ipſa radix impenetrabilitatis eſt, fluere.

§. 11. Confirmatur, corpus ſicut doctiſſimus Honoratus Fabri notat, eſt impenetrabile per impenetrabilitatem propriam, qua impenetrabiliter extenditur vel ſaltem extendi exigit, & quantitas prætenſa à corpore diſtincta, dicitur æque per impenetrabilitatem propriam impenetrabilis, hoc admiſſo, ſi quantitas interna à corpore ſit realiter diſtincta, duo impenetrabilia ſimul penetrantur.

§. 12. Si dicas, corpus ideo eſt impenetrabile, quia ipſi quantitas interna ineſt, quâ ſublatâ reduceretur ad indiviſibile.

§. 13. Replicat vir doctiſſimus, vel *ſolam quantitatem* exigere impenetrabilitatem propriam, quod nec ipſi dicent, cum in eorum Hipotheſi quantitas interna ſit accidens, ſubſtantiæ (corpori ſcilicet) cui inhæret cum ſumma exigentia immerſum, quod, conſequenter cum eadem penetrari exigit, vel *ſolum corpus*, hoc admiſſo, fruſtra admittitur ulla quantitas interna ab eo diſtincta, qua mediante impenetrabilitatem exigere dicatur.

§. 14. Inſuper, quemadmodum, durationem inter, & rem durantem, conſervationem, & rem conſervatam, nihil ſuperadditum mediat, ita nulla evincet ratio quantitatem internam à corpore realiter diſtinctam, eidem localiter extenſo tanquam corpus inter, & externam extenſionem medium, ſuperaddendam.

§. 15. Taceo nec quantitatis internæ, nec extenſionis externæ tanquam effectus ejuſdem, productionem, ad philoſophi captum explicabilem eſſe, æque enim inconceptibile eſt,

quomodo actu extenſum & diviſibile poſſit ſaltem naturaliter educi ex ſubjecto quod pro priori, vel demptâ prætenſa quantitate interna, inextenſum eſſet ac indiviſibile,(talis eſſet materia vel corpus in Hipotheſi quantitatis internæ diſtinctæ) quam, quomodo accidens ſpirituale ex ente corporeo educi poteſt, quod ſecundum cordatiores philoſophos, imò prætenſæ quantitatis internæ fautores, implicare videtur.

§. 16. Nec eſt quod dicas, ad extenſionis utriuſque eductionem ſufficere extenſionem entitativam ſubſtantiæ in quâ, quantitativa ſubjectatur.

§. 17. Quis (ajunt Nominales) non videt corpus eſſe entitative ſeu quoad ſuam entitatem vel partes entitativas extra ſe invicem poſitas extenſum, per conſequens habile ad præſtandum omnia quæ poſſet ficta quantitas interna diſtincta præſtare, adeoque hanc tanquam ſuperfluam omnino expungi oportere putant Nominales cum Neotericis paſſim.

§. 18. Adverſæ ſententiæ aſſertores, cùm, rationibus phiſicis ſuam de quantitate aſſertionem invicte demonſtrare nequeant, objiciunt inter alia, quantitatem internam panis & vini inter accidentia Euchariſtica à plurimis Theologorum numerari, à quorum ſententiâ utpote gravi & magis communi, non facilè recedendum.

§. 19. Reſpondent Nominales cum RR. nunquam ab Eccleſia definitum, quantitatem internam panis & vini ab ejuſdem ſubſtantia realiter diſtingui, Philoſophum igitur & Theologum Catholicum tutiſſima conſcientia poſſe, ab aliis in omni materia philoſophica fidem non concernente, ubi magis amica eſt & debet eſſe veritas quam Authoritas, recede.

cedere: Hinc nulli Theologorum præter quantitatis prætenſæ fautores, admittunt quantitatem internam panis & vini inter accidentia euchariſtica numerari.

§. 20. Quinimò ipſe Belarminus Eccleſiæ Romanæ Purpuratus à Clariſſ. Dagoumero in ſua phiſica generali pag. 52. citatus, poſtulat extenſionem internam & quidem actualem eſſe eſſentialem corpori, ita ut ſi tollatur, tolletur pariter & corpus. extenſionem externam modum eſſe corporis, divinitus ſaltem ſeparabilem (de qua plura in ſequentibus) tuentur Nominales.

SECTIO III.

De Qualitatibus Phiſicis in genere.

§. I.

NIhil in ſcholis uſitatius, nihil magis tritum quam qualitatis nomen, nihil fere obſcurius majoremve parit difficultatem quam ejus notio diverſimode à diverſis deſcripta, qualitatem definit Ariſtoteles libro Cathegor. cap. de Qualit. *id quo denominamur quales.*

§. 2. Hac definitione licet brevi & generatim vera, nihilo afficimur doctiores, quærenti enim quid & ipſum quale? ſi reſpondeatur eſſe id quod qualitate afficitur, & qualitatem eſſe id quô denominamur *quales*, vel magis ad particularia deſcendendo, calorem eſſe id quo ignis vel aliud ſubjectum calefacit, vel dicitur calidum, & calidum eſſe aliquid calore affectum, eſt obſcurum per æque obſcurum explicare.

§. 3. Plures in Ariſtotelicorum monumentis, qualitatis deſcriptiones legere eſt, quas brevitati conſulens ommitto, nihilo accuratiores, nec ab iiſdem unanimiter approbatas, quorum

non paucas citat Reverendiſſ: & Doctiſſimus Pater Petrus Arcedekine Epiſcopus Alladenſis in Hibernia, olim in Collegio R R. Patrum Hibernorum Pragæ; Sacræ Theologiæ Lector Emeritiſſimus in ſuo Curſu Philoſophico Pragæ nuper typis edito, ad quem Lectorem benevolum refero.

§. 4. Unam è plurimis quam Doctor Angelicus nobis prima ſecundæ quæſtione 49. exhibet, ubi ab eo finitur qualitas, *modus ſeu determinatio ſubſtantiæ*, cæteris anteponunt plerique recentiores, præſertim, ſi ly *contingens & accidentaria* addatur, quâ determinationes eſſentiales & inſeparabiles v.g. rationalitas & riſibilitas animal in homine ſpecificantes & determinantes. eique licèt eſſentialiter & neceſſariò, permodum tamen adjacentis & ſecundùm ſcholas *in quale quid. in quale neceſſariò*, advenientes, differentiæ nimirum eſſentiales rerum & proprietates Metaphiſicæ, à qùalitatibus phiſicis excluduntur.

§. 5. Hæ non immeritò differentiæ accidentales vocantur, materiam enim vagam & indeterminatam, qualitas ad agendum, patiendum, vel ad figuràm determinat.

§, 6. Si dicas eandem definitionem quantitati æquè ac qualitati convenire, non deſunt viri doctiſſimi qui contendunt, ùt antea dictum, quantitatem ſive extenſionem externam eſſe modum materiæ, quæ in quantùm materiam, ut variis loci partibus correſpondere poſſit, conſequenter ut *talem*, determinat, inter qualitates phiſicas ſaltem late acceptas numerari poteſt.

§. 7. Alii qualitatis generatim ſumptæ rationem in ipſa entis veritate, ſicut rationem quanti in ejuſdem bonitate & integritate perquirunt, *cujusque enim rei veritas* (ajunt) *id præſtat ut*

ut res talis ſit, qualis eſſe debet, quemadmodum ex bonitate ſuam quaque res integritatem repetit de hoc inter alios conferantur celeberrimi viri Maignanus, in ſua Philoſophia Entis, Cap. de quali, & du Hamel in ſuo opere Philoſophico de corporum affectionibus.

§. 8. De qualitatibus, omnibúſque accidentibus perfectioribus inter quæ quantitas à peripato numeratur, quæri ſolet utrum ſint entitates *abſolutæ* à ſubſtantia realiter diſtinctæ quæque per miraculum ſinè omni ſubſtantiali ſubjecto ſuſtentari queunt? prout magni Stagyritæ interpretes quibus ſe aſſociant Galenici & olim & hodiedum mordicus tuentur, an diſpoſitio tantùm ſeu ſubſtantiæ quàm afficit modificatio ſeu potiùs modus? prout poſt Democritum, Epicurum, & Platonem exiſtimant recentiores Phiſici paſſim, qui ſe Phiſicam magis experimentalem quam contentioſam colere profitentur.

§. 9. Imò horum non pauci opinantur, ſi peripateticis nuſquam propoſitum fuiſſet altaris Sacramentum, eos etiam concluſuros *inhærentiam actualem* accidentibus quæ abſoluta dicuntur ità èſſentialem eſſe, ut nec divinitùs ſinè ſubjecto, eſſe, nec ſeparata conſervari poſſint, magìs quàm accidentia quæ ab iiſdem *modalia* dicuntur, nec opus haberent ad ullam radicalem vel exigentialem inhærentiam recurrendi, adeóque in tali caſu accidentia quæ modo ſupponunt *abſoluta*, dicerent eſſe *modalia*.

§. 10. Antequam utriuſque placita breviter examinemus, prænotandum qualitates, ſecundùm recentiores, alias eſſe *actuoſas*, quæ in partium motu & profluviis ſubſtantialibus ſecundùm ipſos conſiſtunt & in obvia corpora motum aliquem & mutationem vel impreſſionem inducunt, ut calor, lux, odor,

dor, ſapor, ſonus, vis magnetica, electrica &c. & ab iiſdem deſcribuntur, *Effluxus ſubſtantiales, rem quam afficiunt aliter reddentes quàm priùs.*

§. 11. Alias *inertes & paſſivas*, quæque modales ſeu *modi inertes*, dici ſolent, rebus quas afficiunt nullam Poſitivam entitatem ſupperaddentes, ex partium certa magnitudine, contextu, motu, & ſitu reſultantes, quibus poſitis, ponuntur hi modi, & mutatis mutantur; ſic colorem, prout à Peripato concipitur, mutat opartium ſitu, mutatum videmus.

§. 12 Ecquis non videt vitriolum cæruleum, ſi in tenuiſſimum pulverem comminuatur album præ ſe ferre colorem, aquam limpidiſſimam & pellucidam vaſis continèntis colorem plerumque repræſentantem, concuſſam, in ſpumam albam abire, nivem vel grandinem congelatam, opacam fieri & candidiſſimam, quæ ſi liquefiant, priſtinam aquæ pelluciditatem & colorem induunt. Deſcribitur qualitas hæc iners & modalis *attributum rei conveniens, ei adveniens, quo affecta aliter ſe habet, quàm priùs.*

§. 13. Qualitatibus tam actuoſis, quàm modalibus competit definitio Porphiriana, poſſunt enim adeſſe, & abeſſe ſuis reſpectivè ſubjectis ſinè ſubjecti interitu, Ariſtotelica verò modis inertibus quodamodo convenire videtur, de hoc legi meretur Philoſophia vetus innovata Rever. Patris Franciſci Wallis Hiberni nondum impreſſa licèt typis digniſſima.

§ 14. Hiſce præſuppoſitis, contra accidentia abſòluta redeunt vix non omnia argumenta adverſùs formas ſubſtantiales capite prægreſſo allata, utriusque origo & uſus eadem involvuntut obſcuritate. Qualitates enim abſolutæ (idem de quantitate à corpore diſtincta ſentiendum) ſi darentùr, deberent creari vel produci, *primum* nec Peripatus ipſe dicit,

à ratione enim videtur alienum, lumen à ſole non proficiſci, nec calorem ab igne ſed à Deo creari, quaſi rerum procreationi deeſſent cauſæ naturales (de vi corporum motrice ſuo loco) *non generantur*, cum non conſtant ex materia, quod tamen juxta Peripatum neceſſariò requiritur ad gignitionem, ideò Teſte Ariſtotele, *non fit rotunditas, ſed res rotunda.*

§. 15. Nec educuntur, imperceptibile enim nè dicam impoſſibile eſt, ut aliquid educatur ex aliquo in quo antea non præcontinebatur vel præexiſtebat, cùm igitur qualitates peripateticæ noviter eductæ non præexſtiterint in ſuis ſubjectis, aliàs non educerentur de novo, ſed quæ priùs occultæ erant, jam manifeſtarentur, qua ideâ (clara inquam & diſtincta) dici poſſunt è materiæ ſinu educi, uſque dum meliùs informatus, concipere nequeo.

§. 16. Reſpondent nonnulli qualitates præexſtitiſſe in ſuis ſubjectis non actu, ſed poteſtate.

§. 17. Verùm enimverò cum materia ſecundum ipſum Peripatum è cujus gremio educi dicuntur omnes formæ tam ſubſtantiales (ſi animam rationalem exceperis) quam accidentales purè paſſivè illas recipiendo ſe habeat, nihílque quod illis ſit intrinſecum, conferat, & juxta conceſſa, non præextiterunt qualitàtes actu in ſuis ſubjectis antequam ex iis erant eductæ, adhuc redit quæſtio capite præcedenti propoſita non dum ſoluta, quomodo aliquid quod actu non eſt in ſubjecto purè ut dictum paſſivè ſe habente, poſſit dici actu ex eodem educi an non potiùs in eodem creari ſecundùm totam entitatis ſuæ rationem, non ſecùs ac anima rationalis in corpore humano creata eique infuſa, vel anima equi quæ licet deberet ſecundùm ipſos ex corpore educi, poſſit tamen ipſis fatentibus

bus, Deo ſic volente, in eodem creari. Quod enim ſecundum totam entis rationem producitur, ſive extra ſive in ſubjecto, (ſi Logomachias & præjudicia ſeponamus) verè creatur, ut fuſiùs capite prægreſſo dictum.

§. 18. Nec uſus qualitatum præſertim actuoſarum in ſenſu peripatetico, minori involvitur obſcuritate, quomodo lux vel calor à ſole, aut igne, vel odor à moſcho, ambra, caſtoreo, aliove corpore odorifero ad nos uſque diffunditur, ſi ſint vera accidentia abſoluta ſubjectis ſuis ità infixa, ut ſinè illis, ſecundùm ipſos, ſaltem ſinè miraculo, eſſe nequeant; certè cùm ex uno ſubjecto in aliud juxta Peripatum commigrare non poſſint, concipere eſt arduum, nè dicam implicans, quomodò ſolæ movebuntur, vel ſedem tam facilè commutare poterunt, aliquo igitur indigebunt vehiculo vel potiùs ſuſtentaculo, cui inniti vel inhærere neceſſe eſt, à primo ſubjecto ſicut ipſæ, emanante, ut foras prodeant; adeóque nec calor aut lux à corpore lucido, nec odor à corpore odorifero citra aliquam ſubſtantiam cui inhæreant ad nos uſque diffundi poſſunt quæ ſubtilis & actuoſa ſubſtantia, vel in medio v.g. aere congener, vel à ſuo reſpectivè corpore emanans, (non aliter quàm vapor ſenſibilis ex aqua vel alio liquore, calore, rarefacto, continuè erumpens) à diverſo effectu quem edit diverſimodé modificata, cùm omne id præſtet, quod à qualitatibus abſolutis prætendi poteſt, potiùs pro ipſa luce, vel odore habenda, quam lucis, odoris, vel cujuſvis qualitatis actuoſæ ſubjecto aut vehiculo, nihil enim in ipſis ab eorum modificatione diſtinctum idea clara concipere poſſumus.

§. 19. Confirmatur cùm in vino aliove liquore vinoſo, & ſpirituoſo, idem ſpiritus qui vaporis ſpecie ſenſim exhalat, vel deſtillatur, palato ſapiat, nares ſvaviter permulceat, viſu

quan-

quandoque, vix non tactu, præſertim ſi vehiculo ſit irretitus percipiatur, variáſque è corporibus, ex triplici regno, animali ſcilicèt, vegetabili, & minerali depromptis, tincturas extrahat, pluribus iiſque diverſis medeatur morbis, ídque diverſo ſolummodò, tam ſpiritus actuoſi quam recipientis modificatione & diſpoſitione, nulla videtur neceſſitas phiſica, præfatos ſpiritus, aliudve quodvis actuoſum, qualitatibus à modificatione, & determinatione diverſa diſtinctis onerare.

§. 20. Si dicas qualitates non à ſubjecto, in ſubjectum commeare ſed per propagationem quandam diffundi. Quaſì verò lux v. g. influentiæ cæleſtes, aliæve qualitates actuoſæ vi plaſtica & ſeminali ſunt imbutæ, aut ſui ſimiles in parte vicina, hæque alias & ſic conſequenter à Sole vel Cælo, cum tanta celeritate, quanta nè concipi quidem poteſt, hucuſque multiplici propagatione producant; an hujuſmodi qualitatum *propagationis*, an earum eductionis è ſubjecto in quo antea non præcontinebantur, notio, conceptu clarior vel obſcurior, mihi verè problematicum videtur, & extremum in rerum phiſicarum ignoratione perfugium, quod nunquam rationibus phiſicis tanta facilitate qua aſſeritur, evincent.

§. 21. Qualitates propagantes v. g. lux, odor, ſonus, &c. vel ſunt indiviſibiles vel diviſibiles, ſi *indiviſibiles*, in ſui ſimilis propagatione nihil ſui ſubjecto vicino communicant, aliàs quod indiviſibile ſupponitur, eſſet diviſibile, conſequenter earum propagatio utpote ſecundum totam entis rationem, ſeu ex nihilo ſui productio, cum creatione coincidet, entitas enim productionis ex nihilo ſui ſive in, ſive extra ſubjectum purè paſſive ſe habens, ſemper eſt eadem, utì ſæpiùs jam inſinuatum; ſi *diviſibiles* dicantur, neceſſariò vel *per aliquod ſui*, vel *per ſe totum*, parti vicinæ ſubjecti, communicatum, propagant; ſi *primum*, portio lucis, parti verbi gratia (A) ſubjecti illuminati, inhærentis, parti B. vicinæ neceſſariò communicatur, in

quo caſu nemo inficiabitur illam lucis portionem prævie parti (A) inhærentem, in partem vicinam (B) cui communicatur per propagationem, per conſequens, à ſubjecto in ſubjectum, commigrare.

§. 22. Idem plane ſentiendum ſi in Parte (A) exiſtens, ſe totum parti (B) vicinæ communicet, idque per totam lucis, à ſole inchoando, ad nos propagationem diffuſoriam.

§. 23. Hæc & ſimilia ſunt Neotericorum argumenta contra qualitates peripateticas, quorum ex adverſo placita nè præjudiciis nimis ducti dicamur, breviter ſed candidè recenſere non inconſultum puto.

§. 24. Inter alia argumenta quæ hic referre longum, ſequens haud infimum, ſubtilis Peripatus objicit intellectionem, volitionem, & habitus acquiſitos eſſe veras qualitates abſolutas.

§. 25. Reſpondent RR. intellectionem & volitionem eſſe modos quoſdam reſpectivos nihil potentiæ ſeu fundamento ſuperaddentes, adeóque minimè qualitates abſolutas, dicendas; quod habitus intellectus & voluntatis acquiſitos concernit, dicunt nec in intellectu nec in voluntate ullos reperiri habitus naturales acquiſitos, omnéſque facilitates tam intellectus, quam voluntatis & appetitus ſenſitivi, ab imprèſſis quibuſdam cerebro veſtigiis, expeditis quibuſdam fluidi nervei vulgò Spirituum animalium motibus, ac denique ab impedimentorum remotione oriri.

§. 26. Cùm hæc veſtigia, mentis perceptiones, & Ideas, quæ phantaſmata audiunt, cauſantia, faciliùs & diſtinctius imprimantur, notiones quoque mentis aut diſtinctiores fiunt, aut magis expeditæ, ex actibus verò ſæpiùs repetitis, veſtigia velut imagines & Icones ſtriis cerebri meliùs imprimuntur, & detinentur, fluidum cerebroſum ſubtiliſſimum in eas faciliùs & promptiùs incurrit, viámque ſibi apertiorem facit, ſi hæc facilitas habitus dicatur, per me licèt, ſaltem pro qualitate Peripatetica, non habenda.

§. 27. De qualitatibus ſupernaturalibus ut lumine Gloriæ, quæ pro qualitate, & habitu intrinſecè in potentia animæ recepto, à Theologis non paucis habetur, utpote nihil ad corporum generationem & corruptionem conducentibus, non eſt Phiſicorum aut Medicorum agere; nè tamen ſibi in ſuis principiis contradicere dicantur Recentiores, præclaros etiam ajunt exiſtere Theologos è Peripato, aſſerentes, lumen gloriæ conſiſtere in actuali & ſpeciali concurſu Dei, qua anima elevatur ad Deum videndum, nec contrarium in ullo Concilio definitum, adeòque Theologos liberè hic, ſicut in plurimis aliis fidem non concernentibus, opinari: Eccleſia enim in Clement. ad *noſtrum de Hæreticis* nihil aliud definit quam requiri lumen ſupernaturale, quod ſive ſit externum animæ, ſive internum potentiæ inhærens, eſſet lumen ſupernaturale, hinc Eccleſiæ deciſionem non mereri, an illud ſit qualitas Peripatetica, vel non.

§. 28. Major autem eſt difficultas de habitibus fidei, ſpei, & charitatis nec non gratia ſanctificante, quæ juxta Concilium Tridentinum ſunt 1° aliquid à Deo diſtinctum, 2do cordibus noſtris infunduntur ab ipſo Deo, 3° nobis inhærent, adeòque non poſſunt dici purus Dei concurſus, nec aliquod nobis extrinſecum, ſed omninò quid intrinſecum & permanens, qualitates igitur in ſenſu Peripateticorum dicendæ.

§. 29. Reſpondent Moderni cum Maignano, quòd etiam prælaudatus Pater Wallis in ſua Philoſophia veteri innovata pulchrè notat, habitus fidei, ſpei, & charitatis, ipſámque gratiam ſanctificantem, aliud non eſſe, quàm characteres ſeu veſtigia quædam ſpiritualia & ſupernaturalia à Dei manu omnipotenti, animæ impreſſa, ad quæ intellectus noſter & voluntas, ſeu ipſa anima intelligens & volens, reſpiciens, elicit actus ſupernaturales fidei, ſpei, & charitatis, per quos *formaliter juſtificamur & Filii Dei ſumus*; hæc veſtigia ſeu characteres inter ſe diverſificantur, & (proportione ſervata) intelligenda, ſicut veſti-

gia cerebro impreſſa, adeóque omnia juxta Concilium requiſita implent, nimirùm 1° à Deo realiter diſtinguuntur, 2do animabus noſtris infunduntur ſive imprimuntur ab ipſo Deo, 3° nobis inhærent, & diſtinguuntur realiter modaliter, ſicut veſtigia Cerebri à Cerebro.

APPENDIX DE SPECIEBUS EUCHARISTICIS.

§. 1.

QUandoquidem plures hic Phiſicos & Medicos diſcentes & docentes noverim, qui non levi præjudicio ducti, conrra Neotericorum, de Qualitatibus præſertim, idque ratione ſpecierum Euchariſticarum, ſententiam, perinde ac ſi in fide periculoſa & ab Eccleſia foret damnata, multò ſatiùs putant à RR. doctrina etſi curioſa, captu faciliori, & Medicis dogmaticis maximè neceſſariâ, ſuperſedere, quàm intimiùs qualitatum ſcrutinium inire, non advertentes Sorbonam, totam Galliam, ac Belgium Catholicum, imò compluresin Romano Archiliceo, aliíſque Italiæ Gymnaſiis & Univerſitatibus, Philoſophiæ naturalis Profeſſores, Recentiorum placitis, non tantùm favere, verùm eadem in plurimis & vel maximè in qualitatum doctrina amplecti, mordicuſque tueri; ut meos Auditores quibus plenariam opinandi libertatem impertior, à ſimili timore panico ſcrupulóque inani liberare poſſim, nec inconſultum, nec eis fortè ingratum fore judico, Neotericorum de ſpeciebus Euchariſticis ſententiam, & principaliorum ſcholæ Peripateticæ argumentorum ſaltem mihi notorum, ſolutiones, ex Orthodoxorum

ſcriptis depromptas, eâ, qua par eſt claritate & brevitate, nihil poſitivè decidendo, recenſere. Non miretur igitur Lector benevolus, quorſum ego à propoſito paulisper digrediens, falcem in Theologorum meſſem imponere videar.

§. 2. Fortiſſimum, ajunt, & quaſi Achilleum Peripateticorum argumentum eſt, quod in Sacramento Euchariſtiæ, ſubſtantiâ panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti miraculosè converſa, remanent accidentia panis & vini ſinè ſubjecto, in Concilio enim Lateranenſi cap. *firmiter* de ſumma Trinitate, & in Concilio Tridentino ſeſſione 13 lib. 2. habetur, *Si quis dixerit, in Sacro-ſancto Euchariſtiæ Sacramento, remanere ſubſtantiam panis & vini, cum Corpore & Sanguine Chriſti, negaveritque mirabilem illam & ſingularem converſionem totius ſubſtantiæ panis in Corpus, & vini in Sanguinem, manentibus duntaxat ſpeciebus, Anathema ſit.* Et in Concilio Colonienſi tit. de adminiſtratione Sacramentorum, quod cap. 15. citat Pater Arcedekine de hac materia in ſuo curſu Philoſophico diſſerens, dicitur, *quid panis vinique ſpecies poſt conſecrationem ſunt, quàm ſpecies Sacramentales, & accidentia ſinè ſubjecto*, ipſorum illatio, & ſequela, ſunt clara.

§. 3. Ut his meliùs ſatisfiat, prænotandum 1° cum doctiſſimis ac celeberrimis viris Maignano, du Hamel, Dagoumero, Patre Wallis, aliiſque non paucis, ante Sanctum Anſelmum & Lanfrancum ejus Magiſtrum, totam antiquitatem hoc nomen accidentium reticuiſſe ſolo addito nomine *ſpecierum*, quod in Conciliis Lateranenſi, Florentino, Conſtantienſi, & Tridentino, ſolum retinetur; nomen accidentium moderna ſchola Peripatetica longè poſt ſuſceptum Ariſtotelem induxit, hinc nobis (inquiunt) nomine accidentis in Sacramento Euchariſtiæ ſignificandum, quod olim nomine ſpeciei.

§. 4. Prænotandum 2^{dò} Species ſenſibiles (de his ſolis loquimur non de intelligibilibus) nihil aliud eſſe ſecundùm RR. quàm actionem objectivam ſubſtantiæ, ut coloratæ, ut ſapidæ,

ut humidæ, &c. ab ipsa ſubſtantia ut his affectionibus præditâ, originatam, ſed ſenſui impreſſam, per quam & ſenſus immutatur, Has Peripatus dicit eſſe *qualitates quaſdam immiſſas ab objecto in ſenſum, & in ſenſu receptas, quæ habent vim repræſentandi objectum, licet ipſæ ſenſu minimè ſunt perceptibiles.*

§. 5. Quandoquidem actio illa objectiva in ſenſum, ſive (ut Peripato placet) qualitas ab objecto in ſenſum immiſſa, ſit proprius illius ſubſtantiæ ſic affectæ character & ſignaculum, quo mediante, formaliter ſubſtantia à ſenſu percipitur, ſequitur eam verè dicendam ſpeciem illius ſubſtantiæ ut ſapidæ, ut coloratæ, &c. cum illa ſola ſit formaliter ratio immediata, quâ, ſeu per quam res ſentitur, & fit ſenſibile quodcunque ſentitur, quocirca cum teſte Ariſtotele *ſentire ſit quoddam pati,* (quis inficiabitur, ſenſum, impreſſiones à ſenſibili externo factas recipiendo, pati,) illud per quod objectum aliquod fit in ſe ſenſibile, activè ſe habet erga ſenſum, ſeu eſt ipſa objectiva actio, qua ſenſus immutatur.

§. 6. Prænot. 3° ex hactenus dictis, RR. inferre aliqua eſſe accidentia immediatè per ſe & in ſe ſenſibilia ſeu *ut quo*, quales ſunt ſpecies ſenſibiles ſeu actiones objectivæ ſolæ, omnia enim alia mediante ſpecie ſeu *ut quod* percipiuntur. Hiſce prænotatis,

§. 7. In Controverſia de ſpeciebus Euchariſticis, quæſtio ſolùm eſt de ſpeciebus ſeu accidentibus quæ ſunt immediatè ſenſibilia per ſe & in ſe, nullatenus verò de accidentibus quæ remotè ſunt ſenſibilia, & vi concomitantiæ ſubjecto inhærentia, hæc enim nullo modo putant Theologi Orthodoxi non pauci, manere in Sacramento Euchariſtiæ, nè *impanationem* & conſubſtantiationem inducere videantur, illa verò in hoſtia conſecrata admittunt Neoterici Orthodoxi, & ſi ſpecies vel accidentia vocentur, perinde ipſis erit, nec litem intentabunt, ipſis enim competit definitio tam Ariſtotelica cùm ſint *entia in alio,* quàm Porphiriana, *adeſſe & abeſſe*, poſſunt ſuo ſubjecto ſinè ſubjecti corruptione, imò facta tranſubſtantiatione, remanent ſinè ſubſtantia panis & vini.

§. 8.

§. 8. Contra hæc, duo occurrunt dubia non facile ſolvenda, 1. cùm ſpecies ſenſibiles ſive actiones objectivæ juxta RR. aliud non ſint quam modi ſubſtantiæ, cujus ſunt, quomodo ſinè ſuo ſenſibili eſſe poſſunt ſupernaturaliter, vel converſioni panis & vini ſupereſſe & *eadem manere*; modus enim ſecundùm omnes à re modificata ſeparatus, nec divinitus conſervari poteſt, vel ſi, pro entitate abſoluta habendus.

§. 9. 2dum. Cùm illæ actiones objectivæ ſint, fatentibus Neotericis, ſpecies verè ad ſenſus delatæ; conſequenter ſubſtantiæ panis & vini minimè inhærentes, quomodo poſſunt dici ante conſecrationem eſſe vel fuiſſe in ſubſtantia panis & vini tanquam ſubjecto.

§. 10. Ad primum reſpondetur, illas ſpecies ſive accidentia immediatè & per ſe ſenſibilia ſupereſſe converſioni panis & vini & *eadem manere*, æſtimativè, æquivalenter, ac moraliter, non verò phiſicè & numero eadem, quatenus peracta tranſubſtantiatione, alia eis ſuccedunt omnino ſimilia, non quidem à virtute naturali aliqua, quæ non extat, ſed à virtute ſupernaturali, quâ, Deus vel Chriſtus, qui ante conſecrationem cum pane & vino ad eorum ſpecies ſenſibiles formandum concurrebat, poſt conſecrationem, ſpecies, ipſis per omnia ſimiles ſe ſolo format, ad eundem fermè modum quo in ſententia Thomiſtarum de reſolutione uſque ad materiam primam, accidentia à totó vivente ſecundùm ipſos dependentia v. g. vulnus, cicatrix, ſimitas in naſo &c. manent in corrupto ſicut in genito, æquivalenter, æſtimativè & apparenter, non verò phiſicè & numero eadem, hoc admiſſo, non remanſerunt nisi æquivalenter eædem numero cicatrices, vulnera, vel unitatis ſolutiones, in Corpore Chriſti per triduum mortuo, quæ vivus ligno Crucis affixus recepit.

§. 11. Profectò ſi hæc Thomiſtarum ſententia ſalva fide defendi poſſit, non videtur quare non & hæc RR. de ſpeciebus Euchariſticis opinio.

§. 12. An divina virtus hoc præſtàt modificando ſuperficies aeris proximè hoſtiam ambientis, ùt v. g. radios luminis ad oculos reflectat, ſicut, dum ſupereſſet panis & vini ſubſtantia, fiebat, eaſque in nobis excitat ſenſationes, odoris, ſaporis , gravitatis, ſoliditatis, & fluiditatis, quas ad præſentiam panis & vini experti ſumus, prout RR. pleríque contendunt, an eaſdem numero ſpecies reproducendo , (hoc principiis Peripateticorum conforme, admittentium, ens, quales ſecundùm ipſos, ſunt ſpecies Sacramentales, ſupernaturaliter reproduci poſſe) an alio quocunque modo, determinet is *qui novit ſenſum Dominii* de hoc ipſi Theologi diverſimodè opinantur.

§. 13. Per ſpecies à Deo ſic formatas fit ſenſatio perinde ac ſi ſubjectum ſenſibile ſubeſſet proprium, quamvis non ſubeſt nisì alienum, corpus nimirùm Chriſti, quod dicitur eſſe ſub ſpeciebus, quibus miraculosè, ſubſtantiæ panis & vini vices ſupplet, ad eundem modum, quo in nutritione & augmento, per hoſtiam ſacram, vel vermium productione, quando ſpecies in corruptionem vergunt, divina virtus ſecundùm ipſum Peripatum ſupplet vices panis, vel aliam ſubſtantiam ſubſtituit.

§. 14. Nec aliter ſentire videbatur Guitmundus Averſanus lib. 3. olim adverſus Berengarianos pugnans, à recentiſſimo & gravi Authore Domino Carolo Vuitaſſe Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctore, Socio Sorbonico, Regioque Theologiæ Profeſſore in parte 2da ſui tractatus de Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento Pariſiis impreſſa pag. 326. citatus, qui ſic habet, " quare enim per ſe, ſinè corporis alterius adjuncto Caro Do" mini non poſſet commedi, & ſanguis potari? ſi enim carnis " & ſanguinis horrorem metuunt, cur non ſufficit Eccleſiæ ra" tio per Sanctum Ambroſium reſpondentis, rerum quidem " mutari ſubſtantias, ſed propter horrorem, priorem ſaporem, " colorem, & cætera accidentia ad ſenſus duntaxat pertinentia

re-

„ retineri. Si verò reſpondent id non poſſe fieri, ut in alio „ videlicet corpore, color & ſapor alius corporis teneatur, „ divinam poſſumus iis breviter objectare potentiam --- ut “ tamen exemplis res clareat, --- de Manna legitur, quoniam “ ad nutum commedentis, quorumlibet in eo ciborum conti- “ nuò ſapor alternabat, --- qui tunc multorum corporum ſa- “ pore mutato, removebat faſtidium, nunc unius corporis ſa- “ pore retento tollit horrorem. De colore quoque & cæteris “ hujuſmodi accidentibus non eſt difficilis ratio, cùm ipſe Do- “ minus, ſe, per diverſas legatur ſpecies Diſcipulis demonſtrâſ- “ ſe.

§. 15. Hæc opinio non magìs fidei adverſatur quàm Tho- miſtarum antea recensita, vel insignium Societatis JEſu Theo- logorum Honorati Fabri, Arriagæ aliorúmque plurium è ſchola Nominalium, qui conformiter ad ſua principia Philoſophica ratiocinantes, cùm ſupponant gravitatem nec divinitùs à ſub- ſtantiali corpore ſeparabilem, nec realiter ab eadem eſſe diſ- tinctam, mordicus tuentur gravitatem in hoſtia non ſupereſſe, nisì apparenter, etiamsi tanta sit ſenſuum experientia, gravi- tatem in hoſtia conſecrata ſupereſſe, quanta sit, ſupereſſe quan- titatem, colorem, ſaporem, aliaſve qualitates ſensibiles.

§. 16. Ad 2dum dubium, dicunt ſpecies sive actiones ob- jectivas panis & vini non eſſe in iiſdem inhæsivè, ſed ſolumo- dò effectivè, originaliter & denominativè, quatenùs à pane & vino quos ſensibiles actu conſtituunt tanquam emanationes procedunt. hæc RR, placita de actionibus objectivis, ſequen- tibus de colorum Doctrina prænotatis, meliùs illuſtrabuntur.

§ 17. *Primò*: Cùm colores iique diversi tam fixi & perma- nentes, quàm fugaces & mutabiles dicti, innatæ & immutabi- les juxta Magnum Newtonum, radiorum lucis proprietates, per eorum in corpus viſibile incidentiam, variámque tùm refle- xionem tùm refractionem, unà contribuente, ſitu, poſitione,

H tex-

textura, nec non majori vel minori corporum reflectentium, lucem illapſam ſæpe in coloratos radios refringentiũ, quorum nonnullos ſæpius in ſe abſorbent, alios quaſi integros remittunt, opacitate, viſus organum qua tales afficiant, & corporum reflectentium imaginem in retina forment; haud male ex prægreſſis inferendum, colores qui videntur pigmentorum, vel objectorum, quæ vulgò colorata dicuntur, minimè prout Newtonus & ſequaces obſervationibus & experimentis indubiis evicerunt, in objectis eſſe, nec iisdem Peripateticè inhærere, magis quàm colores mutabiles & fugaces dicti in Iride vel columbæ collo conſpicui, nubibus vel avium collis ſunt conſtantes; quos ipſe Peripatus fatetur à diverſa refracti & reflexi luminis Solis modificatione, ab avium collis, vel nube rorida, globulíſve aqueis à nube decidentibus fieri, quóſque ob fugacitatem non *reales*, ſed *apparentes* eſſe colores, minùs fundatè opinantur; tam vividè enim, quàm, color quiſcunque permanens oculi tunicas afficiunt, Iridíſque & columbæ colli imaginem in retina formant; eorúmque fugacitas, à ſitu, poſitione, & textura corporis reflectentis & refringentis fugaci, ſeu non conſtanter permanente, unicè derivanda.

§. 18. *Secundò:* Color radii cujuſcunque à nobis tractabilis, à Sole v. g. directè emiſſi, quàm diu integri, & non refracti, utcunque conſpectus, & vel maximè, ſi per parvum foramen in camera obſcura, ſupra tabulam albam planámque decidat, candidus erit & ſplendens; idémque radius in priſma vitreum aliudve corpus diaphanum refringens, inter radium & tabulam albam poſitum, quod pertranſit, incidens, in plurimos ſeparatur radiolos variè coloratos, tali ordine diſpoſitos, ut ſint rubri, coloris aurantii, flavi, virides, cærulei, purpurei, violacei, qui à Newtonianis ſeptem colores primitivi dicuntur, & à quibus intermedii in ſingula claſſe oriuntur.

§. 19. *Tertiò:* Singulorum radiolorum textura propria facit,

ut

ut hi hunc colorem, alii alium conſtanter nobis repreſentent; qualis enim exiſtit color in radiolo ab aliis per corpus refringens ſemel ſeparato, talis manet conſtans, utcunque per priſmata refringentia tractetur, nec in ullos alios abit colores.

§. 20. *Quartò*: Si radius integer candidus ope priſmatis in radiolos coloratos ſeparatus à lente convexa vitrea omnes ſimul in focum denuo refringente excipiatur, denuo fit integer, ſuúmque candorem priſtinum ſupra tabulam, viſibilem reddit; collectio igitur omnium radiolorum coloratorum in unum, candorem conſtituit; qui in pigmenta vel corpora quæ vulgo alba dicuntur, incidens, & ſine refractione remiſſus, objecta reflectentia nobis alba repreſentat, hinc albedo ex parte pigmenti vel objecti quod vulgo album dicitur, non alia, quàm integra reflexio radii candidi directè in pigmentum incidentis, corpora verò vel pigmenta quo opaciora, omniúmque minimè, radios lucis refractos quos abſorbent, remittentia, ad coloris nigri conſtitutionem contribuunt. Qui plura eáque curioſiora de colorum reflexione, refractione, & reflangibilitate, quas ob temporis & Pagellarum anguſtias explicare non vacat, ſcire cupit, legat, illuſtris Newtoni elaboratiſſimum Optices opus, Domini de Voltaire Elementa Philoſophiæ Newtonianæ Idiomate Gallico Amſtelodami impreſſa, Graveſandi Inſtitutiones Newtonianas, & Petri Van Muſſchenbroeck Epitomem Elementorum Phiſico-Mathematicorum Lugduni Batavorum, impreſſam.

§. 21. Ut hiſce prænotatis, tandem ad propoſitum redeam quandoquidem albedo à forti radiorum integrorum & candidorum vibratione ob corporis reflectentis ſuperficies innumeras in ſitu & poſitione æquales, veluti tot ſpecula, lucem quaſi integram remittentes & minimè refringentes, exoriatur; nigredo ex adverſo, à debili paucorum radiorum, ob maximam corporis reflectentis opacitatem pluréſque reſpectivè, & ampliores in ſuperficie poros, reliquos lucis radios exſorbentes, repercuſſione;

quis dicēt reflexionem radiorum lucis ab hoſtia v. g. ante conſecrationem, intuentis oculum ſubintrantium, inque oculi fundo hoſtiæ reflectentis imaginem formantium, verbo hoſtiæ viſibilis ſpeciem ſive actionem objectivam, (aliam tanquam inutilem & gratis fictam non admittunt RR.) ipſi hoſtiæ vel corpori reflectenti inhærere; nunquid potiùs ſi conſcientiam intimam conſulamus, reflexio radiorum lucis utpote rei reflexæ modus, iiſdem radiis tanquam modificatis inhæreat, licèt originaliter, effectivè, & denominativè, à reflectente proficiſcatur, quo miraculosè vel in alium converſo vel annihilato, ſi reflexio radiorum lucis vel æſtimativè & æquivalenter, vel numero eadem, ſit ſuperſtes, erit ſinè ſubjecto proprio *effectivè & originaliter*, pane nimirum & vino miraculosè tranſubſtantiatis, minimè verò inhæſivè. Eodem modo de aliis Sacramenti ſpeciebus judicandum, quæ licèt alienæ corpus Chriſti ſenſibile reddunt, ſeu potiùs ad Sacramenti ſenſibilitatem conferunt. Quin imò, ſecluſo quovis miraculo, implicat ſpecies ſenſibiles quomodocunque ſumantur, ab objectis ſenſui impreſſas, ipſis objectis modo Peripatetico inhærere.

§. 22. Atomiſtæ quidam, ut modum quo ſpecies Euchariſticæ poſſint dici manere, plauſibilius explicare poſſint, prænotant duo in accidentibus diſtinguenda eſſe, *primum* eſt Entitas phiſica quod eſt *materiale* accidentium, quæ in hoc ſenſu accepta non aliud important, quàm ſubſtantiam cui diverſimode ſubſtant, *connotativè* ſive relativè ſpectatam ad objectum & motum localem, verbo atomos ſive corporum ſenſibilium minima Elementaria reſpectivè ſumpta; *alterum* eſt munus *repræſentandi* hæc minima, quæ ob ſuam exilitatem & ſenſuum noſtrorum hebetudinem, per ſe non cadunt ſub ſenſus nec ſtatum ſenſibilem acquirunt, uſque dum per motum localem in unius mixti ſenſibilis molem compingantur, & hoc (ajunt) eſt quaſi *formale* accidentium, ideo enim atomis, ſi

non

non omnibus, ſaltem pleriſque maximam mundi aſpectabilis partem conſtituentibus, vis motrix ejúſque immediatus effectus, motus ipse localis, à Deo in primordio inſita, ut coeant, indéque mixtum aliquod quoad nos ſenſibile reſultet, variis affectionibus mechanicis præditum, quoties igitur & quamdiu, accidentia vel potiùs corpuſcula minima *reſpectivè* ſumpta, una coeuntia, ſenſibus exhibent & repræſentant eandem numero rem ſenſibilem, toties & tamdiu accidentia ſunt & cenſeri debent eadem numero *formaliter* & in repræſentando, quamvis propter diverſitatem ſubjectorum non ampliùs ſunt eadem numero *materialiter* & in eſſendo ſeu entitativè, ſed eadem ſpecie ſolumodo ſive æquivalenter. Hiſce Prænotatis.

§. 23. Quando Concilium Trident. definit, in Sacramento Euchariſtiæ ſubſtantiam panis & vini converti in corpus & ſanguinem Chriſti *manentibus duntaxat ſpeciebus* panis & vini, hoc ità debet intelligi, quod ſicut ante, ita & poſt conſecrationem maneant eædem numero ſpecies *formaliter* & in repræſentando, quoniam utrobique nobis repræſentant panem & vinum, etiam ſecluſo, poſt conſecrationem, pane & vino; nemo enim Orthodoxorum abnegabit, in hoſtia conſecrata, animæ ut ſentienti, æque repræſentari panem & vinum ac in non conſecratâ, animæ verò ut credenti, repræſentari Corpus Chriſti ſub aliena ſpecie, ſive dein etiam maneant eadem *materialiter* & in eſſendo sive non; quod ad tricas & contentiones Scholaſticas pertinet, quibus Concilia nullibi ex profeſſo ſe immiſcuerunt.

§. 24. Aſt regerunt Peripatetici Orthodoxi, vim argumenti primi nondum enervatam, cùm accidentia panis & vini maneant sinè ſubjecto, juxta Concilium Conſtantienſe damnans propoſitionem Wicleffi Angli, tam primam, qua dicit: *Subſtantia panis naturalis, & vini naturalis, manent in Sacramento:* quam

quàm ſecundam, *accidentia panis non manent ſinè ſubjecto in Altaris Sacramento.* Species verò objectivæ non cenſentur eſſe illa accidentia, cùm imprimuntur in ſenſus, albedo igitur quantitas &c. ſunt quæ remanent.

§. 25. Reſp. RR. Concilium Conſtantienſe damnâſſe ſecundam Wicleffi propoſitionem, facta relatione ad mentem Wicleffi docentis, ea accidentia verè eſſe in ſubjecto proprio inhæsivè, nec panem & vinum fuiſſe in Chriſti corpus converſa, Wicleffus enim ipſe (inquit Clariſſimus Dagoumerus in ſua Phiſica pag. 64.) doctrinæ peripateticæ placitis imbutus doce-" bat, *permanent facta conſecratione accidentia in Euchariſtia,* " en Major, *atqui accidentia non manent ſinè ſubjecto*, en Mi-" nor, *ergo permanet idem ſubjectum, puta panis & vinum.* " Damnavit Minorem Sancta Synodus, ſed non in ſe præcisè " ſpectatam & independenter à majori propoſitione, nam in " ſe ſpectata & independenter à majori propoſitione eſt quæſ-" tio merè Philoſophica.

§. 26. Ex hactenus allegatis inferendum, Concilium Conſtantienſe propoſitionem ſecundam Wicleffi non abſolutè damnâſſe, quasi ad fidem pertinere voluerit, ut omnia prorſus accidentia phiſica ſeu qualitates ſenſibiles ſint entitates accidentales abſolutæ à ſubjecto inhæſivè ſeparabiles; hoc enim nullibi expreſſum; hujus materiæ elucidationem multò antiquiorem quam ſit doctrina Carthesii vel Gaſſendi ſuppeditat purpuratus Eccleſiæ Princeps Eminentiſſ. Cardinalis Petrus de Alliaco, Doctor Theologus Pariſienſis, & Epiſcopus Cameracenſis, qui Conſtantienſi interfuit Concilio, cujúſque magna pars extitit, teſte inter alios prælaudato Domino Carolo Vuitaſſe, in libro 4tò ſententiarum quæſt. 6. articulo 6. expreſſe dicens, *non eſſe de fide quod in Euchariſtia remaneant accidentia abſoluta vel qualitates* ſinè *ſubjecto*, & allegatis quatuor opinionibus ſuper hoc, an revera manerent talia, prout

inter plures alios notat Dagoumerus, & nuperrime Pater Arcedekine, pro quarta opinione inquit *diceret iſta opinio quod nulla ſint accidentia diſtincta à ſubſtantiis, & per conſequens nec accidentia panis, & ad determinationem Eccleſiæ,* (in Conſtantienſi Concilio congregatæ) *quæ ponit quod Chriſti corpus eſt ſub ſpecie panis, diceret conſequenter quod debet intelligi ſub conditione, ſcilicet ſuppoſito quod ſint ibi aliquæ accidentales ſpecies diſtinctæ à ſubſtantiis, ſed ſi non ſint tales; tunc ſenſus eſt, ſub ſpecie panis, id eſt ubi apparet eſſe panis & ubi prius erat; & ſi dicatur contra; quia tunc ibi eſſet deceptio & illuſio cum ibi appareant ſpecies eſſe ſive accidentia, diceret iſta opinio, quòd non plus appareat ibi ſpecies vel accidens panis quâm ſubſtantia - - - unde hoc diceretur ſicut quædam opinio, quam recitat Magiſter, diſt. 2. reſpondet de fractione quæ ibi apparet, quòd ſcil. ibi non eſt fractio, ſed dicitur frangi, quia videtur.* Etſi Vir inſigniſſimus ab hac Recentiorum opinione recedat, de opinione contraria peripatetica cui favet concludit, quod nec ſit *evidens*, nec in ſcriptura *expreſſa*, nec ab Eccleſia *determinata*, ſed unum probabile communiter receptum ab iis qui Philoſophiam colunt Peripateticam.

§. 27. Alii breviter reſpondent accidentia ſive ſpecies Euchariſticas permanere ſinè ſubjecto efficiente & quod naturaliter repræſentare debent, pane nimirum & vino, non verò ſinè ſubjecto *inhæſionis*, & in ſenſu peripatetico, quia eſſent entitates abſolutæ à panis & vini ſubſtantia ſeparabiles.

§. 28. Verùm eſt inquiunt, manere accidentia & id forte de fide eſt, ſed quid rei ſint illa accidentia an numero an æſtimativè eadem, an de ſubſtantia educta, intrinſece inhærentia & ſeparatim conſervabilia ut volunt Peripatetici, an actiones tantum objectivæ, ut prætendunt Neoterici plerique cum Maignano, ab Eccleſia non determinatur, & quando dicitur, accidentia Euchariſtica eſſe ſinè ſubjecto, intelligendum

(ajunt)

(ajunt) *ſubjectum* propriè *efficiens* quod repræſentare debent & ſolent, ſeu ut aliis placet *ſubjectum connaturalis denominationis* panis nimirum & vinum, ſeu potiùs objectum, & non ſubjectum *inhæſionis* ſinè quo accidentia Euchariſtica tanquam modi, eſſe nequeunt.

§. 29. Quin imò præfatus Pater Maignan Fratrum Minimorum Decus in ſua Philoſophia ſacra, & poſt ipſum Pater Wallis, aliique hodiedum non pauci contendunt, concluduntque, etiam dato, licèt non conceſſo, accidentia abſoluta in pane & vino admittenda, tamen vi conſecrationis, & ad veritatem myſterii, ea non debere in Euchariſtia manere, adeoque non alia ſupereſſe poſt conſecrationem accidentia quam actiones objectivas, ſeu ſpecies ſenſibiles panis & vini.

§. 30. 1. Ajunt in Concilio Lateranenſi & Trident. ante citatis habetur, *facta conſecratione remanere duntaxat ſolas ſpecies panis & vini*, quæ particula *duntaxat* excludit omne illud, quod non habet rationem ſpeciei, cùm igitur gravitas, color, &c. non ſunt ſpecies ſecundùm Peripatum, non remanent, quodcunque enim ſentitur *ut quod* (talia ſunt prædicta accidentia) non poteſt habere rationem ſpeciei ſenſibilis, quoniam neceſſariò requirit aliam ſui ſpeciem, ideò enim accidentia ponuntur in Sacramento ut fiat ſenſibile, (hoc Theologi celebres è Peripato admittunt) conſequenter illa ſola remanent poſt conſecrationem, quæ ſunt immediatè & per ſe ſenſibilia ſeu quæ ſunt ipſæ formæ ſenſibiles, qualia non ſunt quantitas, gravitas, color, aliaque decantata Peripateticorum accidentia, hæc enim non ſentiuntur niſi mediantibus ſpeciebus, quæ juxta Peripatum ſunt qualitates ab illis diſtinctæ, ſi igitur verum ſit axioma, *id quod non niſi alio mediante eſt tale, non eſt per ſe & immediatè tale*, verùm eſt etiam, id quod non niſi mediante ſpecie à ſe diſtincta eſt ſenſibile, non eſſe per ſe & immediatè ſenſibile, ſed remotè ſolummodo & per accidens.

§. 31. Quandoquidem igitur prædicta accidentia mediantibus actionibus objectivis percipiuntur, & ipſæ actiones objectivæ, ſive panis & vini ſpecies, ſolæ ſint immediatè & per ſe ſenſibiles, aliàs daretur *ſpeciei ſpecies*, concludendum vi conſecrationis ſolas ſpecies Euchariſticas utpote immediatè & per ſe ſenſibiles, remanere, & non alia accidentia remotè ſenſibilia ad veritatem myſterii nihil conducentia, ſolas ſpecies ſenſibiles uniri cum ſenſibus, & proximè cauſare ſenſationem; (non enim albedo (inquiunt) quæ fingeretur eſſe in Euchariſtia, cùm ſit ab oculo æquè diſtans ac ipſa Euchariſtia, ſed potiùs albedinis ſpecies cum oculo unitur) ſolas ſpecies à Conciliis aſtrui, ſolas denique, formam conſecrationis non reddere falſam.

§. 32. 2dò. Quando dicitur: *Hoc eſt Corpus meum* particula demonſtrativa *hoc* exhibet menti quod forma per ſe & immediatè ſenſibilis exhibet ſenſibus, talia ſunt præter quantitatem color, odor, ſapor, aliæque qualitates quæ immediate in quantitate tanquam ſubjecto *quo* ſubjectantur ſecundùm Peripatum, vel quæ propriam ſuam habent extenſionem, quâ, Deo uberiùs concurrente permanent ſeorſim ab extenſione panis & vini ſecundùm Nominales, talia, inquam, ſubjacent formæ immediatè & per ſe ſenſibili ſeu ſpeciei, & non Corpus Chriſti, conſequenter cùm in hoc caſu de accidentibus prædicaretur eſſe corpus Chriſti, (quod juxta omnes falſum) æquè videtur falſum illa accidentia remanere. Taceo admiſſa quantitate realiter, ab ipſa ſubſtantia & qualitatibus diſtincta, non accidentia utpote in quantitate tanquam ſubjecto *quo* ſubjectata, ſed ſolùm accidens, ſic foret ſinè ſubjecto, licèt Concilia non accidens ſed accidentia, ſeu ſpecies in plurali, requirunt.

§. 33. Si dicas particulam *hoc* non accidentia tantum, ſed unà Corpus Chriſti ſignificare, ſicut juxta RR. ſignificat complexum ex ſpeciebus & corpore Chriſti, unde in eorum ſen-

tentia eadem recurrit difficultas; contra replicant Neoterici ſi particula *hoc* ſignificaret accidentia remotè ſenſibilia & Corpus Chriſti ſimul, non magìs denotaret Chriſtum quam accidentia, imò in recto deſignaret accidentia, Chriſtum in obliquo, cùm id deſignat in recto, quod eſt tantum ſenſibile ut *quod* ſeu quod ſenſu mediantibus ſpeciebus percipitur, in quo caſu verum eſſet dicere, *hæc accidentia ſunt Corpus Chriſti*, quod & ipſi pro falſo agnoſcent. Quando verò dicitur eandem in RR. ſententia recurrere difficultatem, contendunt rem non itâ ſe habere, quia ſpecies non ſunt ſenſibiles nisì ut *quo*, & ſic non demonſtrantur per particulam *hoc*, ſed ſunt ipſa ſenſibilis demonſtratio vel ſi mavis repræſentatio; cum igitur non ſunt ſenſibiles ut *quod* ſicut albedo, quantitas, ſapor, per particulam *hoc*, ſolum Corpus Chriſti demonſtratur in recto, & non accidentia panis interna, quæ ſi remanerent, falſa videntur eſſe verba conſecrationis.

§. 34. Plura eaque gravia argumenta in hujus ultimi aſſerti confirmationem legere eſt in Philoſophia ſacra Maignani, ſcriptâ Patris Wallis, & Metaphiſica Clariſſ. Moraſch Medicinæ Profeſſoris Ingolſtadienſis, aliorúmque plurium.

§. 35. Nec obeſt (ajunt) cum Raynaudo Soc. JEſu Theologo aliiſque plurimis aſſerere, nisì darentur accidentia prædicta in Euchariſtia, eorúmque ſpecies ſeu apparentiæ ſolumodò manerent, Sacramentum non differret à ſpectro, præſtigiis, & fictis apparitionibus, quoniam objectum à quo deberet fieri immutatio ſenſuum non adeſſet, quod eveniret, ſi non eſſent in hoſtia vera accidentia abſoluta.

§. 36. Reſpondent Maignanus, ejúſque in hoc ſequaces, Theologos communiter aſſerere, tunc primum fieri ſpectrum quando formantur ſpecies in ſenſu ad aliquam falſitatem figurandam, ſeu quando fit aliquid ad illudendos ſenſus & imaginationem, hoc autem non magìs evenit in caſu cùm Chri-

ſtus

ſtus dicit: *Hoc eſt Corpus meum* id eſt ſub his ſpeciebus nihil eſt niſi corpus meum verè & realiter, quàm ſi dicat ſub accidentibus Peripateticorum abſolutis nihil eſt nisì corpus meum verè & realiter.

§. 37. Idem expreſsè confirmat Divus Thomas art. 8. quæſt. 76. part. 3. ubi monſtrat modum quo poſſit puer, caro, aut ſanguis, apparere in Sacramento, & ſubnectit, *nec tamen pertinet ad aliquam deceptionem, ſicut accidit in Magorum præſtigiis, quia talis ſpecies* (quod notandum) *divinitus formatur in oculo ad aliquam veritatem figurandam &c. --- ſicut & Chriſtus abſque deceptione apparuit Diſcipulis euntibus in Emaus*, plura afferri poſſunt ejuſmodi ſpecierum exempla, ſic apud S. Lucam, dum baptizaretur Chriſtus *deſcendit Spiritus Sanctus corporali ſpecie ſicut Columba in ipſum :* erat autem duntaxat (ait Carolus Vuitaſſe) columbæ ſpecies, ſic *Joannis* 20. Magdalenæ apparuit ſub ſpecie Hortulani, ſic Manna omnium ciborum præſtabat varietatem, *Exod.* 16. iſta porrò omnia non à corporibus ipſis eorumve accidentibus abſolutis, iiſdem immerſis & inhætentibus efficiebantur, ſed à Deo vices corporum ſupplente, ſicut in Sacramento Euchraſtiæ fieri, prætendunt Neoterici Orthodoxi; Deum, per ſe ipſum poſſe facere omnes determinatos effectus qui fiunt per quamcunque cauſam creatam, ſatis ſuperque teſtatur Doctor Angelicus 1. *parte, quæſt.* 105. *art.* 2.

§. 38. Inſuper Sacramentum Euchariſtiæ, admiſſis ſolummodò ſpeciebus ſeu apparentiis tanquam *ſignis*, ſufficienter à ſpectro, præſtigiis, & fictis apparitionibus differt, quoniam Deus nos per ſe & per Eccleſiam monet, panem & vinum non manere poſt conſecrationem.

§. 39. Nec ſenſus per ejuſmodi ſpecies decipiuntur, imò nec errori occaſionem præbent, quod animæ renuncient, ſe facta conſecatione eodem modo, quo ante, moveri, eidemque

panem & vinum poſt, ſicut ante conſecrationem repræſententent.

§. 40. Nec pro continuo & jugi prodigio habendum, quod Deus ſecundùm plures Neotericos, ſinè ullo corporum vel accidentis abſoluti interventu, facta panis & vini conſecratione, ſenſuum noſtrorum organa per ſe moveat, hoc potiùs pro inuſitata prodigii ceſſatione tenendum, quin imò in eo potiùs mirabile fieri prodigium contendunt, quod corpora adhibeat, ut in animis motum creet! de hoc vel maxime legi meretur tractatus prælaudati Eximii Vuitaſſe, de Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, quæſt. 2, art. 3. qui utramque ſententiam candidè & concinne deſcribit, nulli vero ſubſcribit, ideò, quòd judicet quæſtionem hanc de ſpeciebus Euchariſticis Peripatum inter & RR. Orthodoxos controverſam, eſſe verè Philoſophicam, & in utramque partem diſputabilem.

§. 41. Idem expreſſis verbis ſentit ſolidiſſimus Theologus Renatus Maſſuet, è congregatione Sancti Mauri Benedictinus, recens operum S. Irenei Editor, in præviis ad eadem opera diſſertationibus pag. CXLVIII. dicens: *Et primo quidem quòd hic & alibi ſupponit Grabius, accidentia quæ vocant abſoluta, id eſt, à ſubjecto re ſeparata, à Catholicis omnibus ut quid fide certum & indubitatum admitti; gratis omnino ſupponit, & paulò fidentiùs quàm virum candidum decebat. Quæſtio eſt in ſcholis duntaxat ultro citroque agitata, nuſquam verò ab Eccleſia definita; ſed tantum Catholica fides docet, conſecratione peracta, remanere panis & vini ſpecies: quid ſint verò eæ ſpecies, litigant inter ſe tum Philoſophi tum Theologi; judicium verò ſuum nondum interpoſuit Eccleſia.*

§. 42. Ad idem plane collimat literatiſſimus & candidiſſimus Author Lamindus Pritanius in ſuo opere de ingeniorum moderatione in religionis negotio à librorum Cenſore Regio, Pariſiis 19. Junii 1713. ſumma cum laude approbato, libro 1.

pag.

pag. 231. ubi dicit, *utrum iſti* (Cartheſiani) *vera, an ſomnia nobis narrent, qui judicare prudenter cupiat, neceſſe eſt in primis ut ſollicitè veſtiget, intelligat & expendat, Carthesianæ ſententiæ rationes, tum perſpiciat, an ut rem, itâ modum Eccleſia quoque ſtatuerit. Si enim vera & certa deprehenditur Carthesii de natura corporum opinio, neque modum phiſicum Sacramenti definivit Eccleſia, neque re ipſa Ariſtotelicum placitum conſecrare illi animus fuit: jam non eſt cur Carthesianam ſententiam explodamus, cùm præcipuè in ea fuiſſe Sanctus Auguſtinus videatur, imo tunc non aliud, quâm quòd Carthesius, ſenſiſſe Eccleſiam excogitare licebit: à Carthesianis autem putatur, minimè Tridentinis Patribus fuiſſe conſilium, conſecrandæ Peripateticæ de natura corporum ſententiæ, (ab his enim quæſtionibus dirimendis Eccleſia abſtinere ſolet) & conſultò ipſos Patres vocabulo ſpecierum fuiſſe uſos cum accidentia nominare potuerint, ut ea voce ſolùm ſignificarent ſenſationes illas, quæ ſublata panis ac vini in Sacramento ſubſtantiâ adhuc in ſenſibus noſtris fiunt, & fieri non negant cùm Peripatetici tùm Carthesiani.*

§. 43. Si quis opponat, quando & quoties hoſtia conſecrata dividitur, realem fieri diviſionem, non corporis Chriſti cùm ſit modo indiviſibili, & ſpirituali in Altaris Sacramento, nec ſpecierum quæ non poſſunt dividi, niſì diviſo objecto, ſolius igitur quantitatis, coloris, odoris, ſaporis, aliarumque qualitatum abſolutarum.

§. 44. Reſp. 1. fieri realem diviſionem *ſigni* ſive ſpecierum non verò rei ſignatæ ſive Corporis Chriſti, quod in ſe ſive *ſubſtantialiter* non dividitur, bene verò à ſe ſive *localiter*; hoc confirmat hymnus Eccleſiæ, *Nulla rei fit ſciſſura, ſigni tantùm fit fractura, quâ nec ſtatus nec ſtatura ſignati minuitur.*

§. 45. Reſp. 2dò Species non ſolùm capaces eſſe diviſionis indiviſo objecto, ut defatio in ſpeculo refringente obſervatur,

vatur, verùm nullo præſuppoſito objecto exiſtente, ut ſi Deus præberet videndam ſpeciem roſæ futuræ diviſæ.

§. 46. Nec majorem habet vim, aſſertum aliorum aſſeverantium Chriſti corpus in Sacramento non eſſe ſenſibile, conſequenter illas ſpecies non ſufficere, cum debent aliquid ſenſibile à ſe diſtinctum repræſentare.

§. 47. Reſpondent nonnulli Corpus Chriſti eſſe ſenſibile *ut quod* ſub aliena ſpecie, non verò ſub propria, ſpecies verò ſenſibiles ut *quo*. Aliis placet dicere Corpus Chriſti eſſe cauſaliter & occaſionaliter ſenſibile, quatenus præſentia Corporis Chriſti ſub ſpeciebus, cauſa ſit vel occaſio phiſica aut moralis, ut poſſint in nobis excitari ſenſationes.

§ 48. Concludunt Neoterici cum Maignano hanc opinionem de permanentia ſpecierum moraliter, æſtimativè, & æquivalenter, (ut ante dictum) non magis obeſſe veritati quàm opinio Thomiſtarum aſſerentium non ſupereſſe in demortuo, v. g. Chriſto crucifixo, eandem corpoream formam eademve accidentia, eoſdem colores, lineamenta, vel citatrices, quæ erant in vivo, etſi videantur ſenſibus ſupereſſe, vel Nominalium de gravitate & quantitate hoſtiæ conſecratæ quas dicunt ſolumodò apparenter & æquivalenter ſupereſſe. Quid ego de hac materia in utramque partem diſputabili ſentio, ſequentibus patefiet.

§. 49. Dico 1. Ad evitandam omnem cenſuram Eccleſiæ, *quæ deſtruit omnem altitudinem quæ ſe extollit adverſus ſcientiam Dei*, me profiteri & cum ſanguinis effuſione tueri velle fidem quæ docet ipſum Chriſtum natum de Maria Virgine in ligno Crucis verè pro nobis paſſum & immolatum, eſſe verè & realiter præſentem in altaris Sacramento, panémque & vinum vera tranſubſtantiatione, qualem tenet Eccleſia Romano-Catholica & definivit Tridentina Synodus, in corpus & ſanguinem converti, remanentibus duntaxat panis & vini accidentibus ſive ſpeciebus.

§. 50.

§. 50. Dico 2dò. Licèt nulla ratione phiſica evidenti nec revelatione conſtat dari accidentia abſoluta à ſubjecto inhæſionis ſeparabilia, ejuſmodi tamen non adeo repugnare quin eſſent poſſibilia, licèt (ingenuè fateor) conceptu difficillima, adeoque eos qui cum ſubtili Peripato tuentur ſpecies Euchariſticas eſſe accidentia abſoluta, catholicè docere imò admiſſis illis, forte certitudine fidei teneri credere, eaſdem ſinè ſubjecto inhæſionis (Deo vel Chriſto miraculosè ejus vicem ſupplente) in altaris Sacramento manere.

§. 51. Dico 3. In Hypotheſi RR. nulla dari accidentia abſoluta, eoſdem tuta conſcientia docere, imò ad hoc teneri, facta tranſubſtantiatione ſpecies panis & vini remanentes eſſe quidem ſinè ullo ſubjecto *connaturalis denominationis* quod repræſentare debent, pane nimirum & vino, licèt non ſinè *ſubjecto inhæſionis* ut ſæpiùs dictum, nec plus ad veritatem miſterii requiri, uſque dum Eccleſia determinaverit quid rei ſint ſpecies Euchariſticæ, an abſolutæ an modales, hancque ultimam ſententiam poſt Gaſſendum & Cartheſium, Viri Religioſiſſimi inter quos inſigniſſimus Pater Emanuel Ordinis minimorum S. Franciſci de Paula, Pater Caſimirus Toluſanus, Ordinis Capucinorum, Pater Franciſcus Wallis Hibernus, Ordinis Minorum S. Franciſci ſtrictioris obſervantiæ Lector Jubilatus, haud infimi, nervosè propugnârunt, eidemque haud dubie multùm favent celeberrimi e Societate JESU Viri, Pater Caſtel, Pater de Chales, & Pater Regnault maximi Phiſicæ corpuſcularis & experimentalis cultores.

§. 52. Imò eandem ſententiam hodiedum ſtrenue vendicant pleræque (ſi non omnes) univerſæ Galliæ & Belgii Catholici Univerſitates, eamque tanquam valde probabilem & in fide tutam fatentur haud infimi e Peripateticorum ſchola Theologi præſertim famigeratiſſimus & eminentiſſimus Cardinalis de Alliaco, Petrus Corneius *Lumen Salmaticenſe* dictus,

&

& Florentius de Coque Ordinis Præmonſtratenſis , nec non Author Commentarii in Boetii opus de Trinitate apud Bedam, & ipſe Albertus Magnus, qui duo ambigunt an ſpecies Euchariſticæ ſint *in Aere vel ſine ſubſtantia*, imò Albertus Magnus ab Eximio Carolo Vuitaſſe citatus, *videtur eo propendere ut accidentia ſecundùm eſſe naturale deſtruantur ſed ſecundùm ſuum eſſe intentionale in aere manent.* Vide præfati Vuitaſſe Authoris Recentiſſimi tractatum de Euchariſtia in parte 2da art. 3. pag. 325.

§. 53. Dico 4tò & ultimò, ſi ſit vel fuerit Ecclesiæ mens, ſpecies Euchariſticas, eſſe accidentia abſoluta, me in tantum, captivaturum intellectum in obſequium fidei, ut firmiter credam quod Ecclesia ſentit.

CAPUT IV.

De Principiis rerum Mechanicis.

§. 1.

CUm in præcedentibus, de primariis & inſenſibilibus rerum principiis actum, & quantum recentiores à Peripato in eorum explicatione diſconveniunt breviter diſcuſſum, principia Mechanica, hæc ſuo modo præſuponentia, juxta modernorum placita paululum examinanda reſtant; antequam principiorum Mundi hujus aſpectabilis ſenſibilium, elementorum nimirum quatuor vulgarium, & Chimicorum, ſcrutinium ineamus.

§. 2. Per Mechanica principia quæ ſua Elementa vocant RR. non aliud intelligunt, quam principia phiſica ſeu corpora ſimpliciſſima ita integrantia, ut ſicut ex iis, Orbis coaluerit univerſus, ita corporum ſenſibilium pendeat artificium ſeu Mechaniſmus; neque res à natura profectæ pro ut du Hamel notat, ab artefactis differunt, in illis enim abjectiſſimis longe maximum elucet artificium, qui enim Mechanicam explicandæ naturæ rationem adhibent, materiam ſeu corpus poſtulant affectionibus Mechanicis donatum, non tanquam puram potentiam phiſicam propriâ carentem exiſtentiâ &c. quam propemodum pro chimera & intellectus ratiocinantis ludibrio habent, nec aliud quidpiam in corporibus præſertim vitæ expertibus, præter has affectiones quibus artificioſe diſponuntur inveniri affirmant: ſicut enim ex ferro fiunt horologia, gladii, & alia fere innumera quæ quidem non ſubſtantiâ ſed formâ differunt, ſic ex eadem materia ſed varie modificata res prodeunt infinitæ, nihilque abſurdius putant quam

K formas

formas ſubſtantiales velut Entitates aut ſemi-ſubſtantias abſolutas à materia diſtinctas admittere quæ ſubſiſtere nequeunt.

§. 3. Cartheſius cum ſequacibus ſuam triplicem materiam ſeu Elementa, & Gaſſendiſtæ veterum Atomiſtarum doctrinam illuſtrantes, ſuas atomos, ſeu corpuſculorum ſimplicium & inſectilium congeriem, pro ut omni forma ſenſibili deſtitutas concipiunt, eaſque non aliter formari ſeu ſpeciem vel formam ſenſibilem induere arbitrantur, quam per Mechanicam ſeu artificioſam partium materiæ diſpoſitionem & accidentium congeriem.

§. 4. Cum igitur ſua Elementa non ut ſenſibus obvia ſed ut Immaginatione ſola vel intellectu perceptibilia conſiderant, primaria, non ſecundaria, phiſica rerum principia, ita inveſtigare aut ſaltem conjecturis plauſibilibus aſſequi nituntur, ut Mechanicarum corporis affectionum ſubſidio, corporeas mutationes, generationes, corruptiones, variaque naturæ Phenomena verbo Mechaniſmum facilius feliciuſque explicare poſſint. Huc uſque concordes moderni Mechanici, quantum vero in capitibus magni certe momenti inter ſe diſcordes ſint in ſequentibus paulo fuſius examinabitur.

SECTIO I.

De Corpore & Spatio ſecundum Cartheſium.

§. 1.

CArtheſius cum pleriſque aſſeclis contendunt, corpus phiſicum universè ſpectatum ſeu materiæ mundi aſpectabilis naturam in extenſione actuali, trina dimenſione commenſurabili (ut ante dictum) poſitam, non niſi ſola ratione à Corpore-

pore mathematico diſtingui, nempe mundus aſpectabilis (ajunt) *phiſice* ſpectatur, cum ſit conſideratio motus, fluiditatis, aliarumque qualitatum quæ revera ipſi inſunt, *mathematice* vero, ſi ſpectetur ratione ſolius extenſionis à qualitatibus ſenſibilibus abſtrahentis, vide Cartheſianos paſſim.

§. 2. Ex hoc inferunt Primò: Materiam primigeniam ſuorum Elementorum eſſe homogeneam & uniformem.

§. 3. Secundo: eam eſſe indefinite extenſam, quia in materia aut extenſione quam promiſcue ſumunt plerique ejus diſcipuli, pro gradu vero differentiali habet Magiſter, repugnat, juxta ipſos dari terminos ultra quos non ſit extenſio, qui tamen in Hipotheſi materiam eſſe finite extenſam neceſſario (ajunt) admittendi. Hinc concludunt Mundum nullos amplitudinis ſuæ habere fines, ſi enim eſſent, ultra eos agnoſcendum foret vacuum, quod prorſus implicat.

§. 4. Tertio: Indefinite diviſibilem, quia in partibus rei extenſæ non vident ultimam, quæ cum extenſa, non ſit ulterius diviſibilis. Materiam non audet aſſerere infinite extenſam nec partes habere actu infinitas, (licet diſcipuli quidam poſt ipſum audaciores extent) quoniam homo qui finitæ mentis eſt, non poteſt concludere nullos ejus eſſe limites, quia nullos videt. Hoc ſubterfugio ſe à difficultate de materiæ extenſione finitâ vel infinitâ quam attingere noluit, modeſtè, ut ſibi videtur, expedivit.

§. 5. Quartò: Materiam cum Spatio ſive loco interno qui repletur à corpore confundit Cartheſius, aſſerens, extenſionem ſpatii, hanc ipſam eſſe qua conſtat corpus, non re ſed intellectu ſolum diſtinctam, idque ſolum intereſſe videtur quod in corpore ſpectetur extenſio ut *ſingularis* & individua, in ſpatio ut *generalis*, ita ut mutari poſſit extenſio quæ ſpatium implet corpus nempe ipſum, nec mutatur extenſio illa (ſaltem non concipitur mutari) in qua erat corpus.

§. 6. Ex his concludit nihil eſſe poſſe in rerum natura omni corpore plane vacuum, & ubicunque ineſt extenſio, neceſſario illic ineſſe corpus, ſi enim extenſio illa non eſſet corpus, eam fore nihil, adeoque nihil foret extenſum, quod contradictionem involvit, cum *nihili nulla extenſio, nullæ qualitates, proprietates nullæ*, hinc vacuum philoſophicum omni nimirum corpore phiſico deſtitutum etiam divinitus implicare, ejuſque notionem ex anteceptis à pueritia falſis opinionibus & Immaginationis ludificationibus provenire contendunt, per conſequens nec vas aliquod ſeu cubiculum ità à Deo vacefieri poſſe, quin latera ſint illico coalitura, ſublato enim ex vaſe omni corpore, tolletur & extenſio, futurumque nihil inter latera vaſis, nihiloque magis percipi *montem ſine valle*, quam capacitatem vaſis ſine extenſione, & extenſionem, ſeu ſpatioſum Nihil ſine corpore, vel diſtantiam inter latera vaſis, quæ, cùm inter ea nihil intercedit, neceſſario ſe tangunt, alioqui nihili fore extensionem, & diſtantiam illam futuram nihil, quæ ſecum manifeſte pugnant.

§. 7. Ante horum examen notandum, circa Vacuum philoſophicum, Philoſophos modernos in tres ſectas eſſe diviſos; Cartheſiani (ut dictum) contendunt Vacuum divinitus implicare, Peripatetici negant Vacuum philoſophicum actu dari, imò naturam Vacuum horrere ajunt, illud tamen divina virtute poſſibile eſſe comuniter affirmant; Epicurei tam veteres quam moderni, non ſolum Vacuum poſſibile, verùm etiam actu in rebus exiſtere & penitus neceſſarium eſſe mordicus tuentur.

§. 8. Ingenuè fatendum in Hippotheſi identitatis materiæ & extenſionis ut ſic, hactenus recenſita neceſſario inferri per conſequens Cartheſium accurate & conſequenter ad ſua principia ratiocinari. Poſito tamen materiam & extenſionem eſſe diverſa, quod veroſimilius & antea (ni fallor) ſufficienter

licet

licet breviter diſcuſſum, Carthesianam hippotheſim minus firmo ſtare talo, ejus ſequaces proprii concedent, proindeque corpus phiſicum, à Mathematico ſive ſola extenſione ſeu magnitudine, prout à mente Geometræ à materia abſtractâ, plusquam ratione differe.

§. 9, Quod homogeneitatem & uniformitatem materiæ primigeniæ concernit, Carthesium minus reprehendendum puto, cum illâ admiſsâ, phenomena rerum ſat plauſibiliter explicari poſſint, licet Gaſſendiſtæ nervoſe contrarium tuentur, dum aſſerunt materiam primordialem utpote juxta ipſos congeriem atomorum ſolidarum, & inſectilium,(de quibus ſuo loco) in ſtatu phiſico & *reali* conſideratam, potius heterogeneam quam homogeneam eſſe, licet, non inficias eunt, eandem in ſtatu *Ideali* (ut cum illis loquar) & mathematice ſpectatam extenſam nimirum, præſcindendo ab omnibus aliis ejuſdem attributis etiam inſeparabilibus poſſe dici homogeneam, imo nullam, in puræ ac nudæ exenſionis, ſecus verò in ſubſtantiæ entitative multiplicis & extenſæ ideâ, heterogeneitatem conceptibilem. Hinc ſupponunt homogeneitatem materiæ non alibi quam in mente Geometræ ſubſiſtere, Deum ſine ullo abſurdo poſſe creare & creaſſe materiam Mundi heterogeneam, quâ admiſſa rerum etiam phenomena faciliùs & magis ad captum explicantur. Verùm, cum materia poſſit æquè à Deo creari homogenea, qua ſtante, phenomena rerum æquè (ajunt Carthesiani) explicari poſſint, *à poſſe ad actu* homogeneitatis vel heterogeneitatis *non valet conſequentia*.

§. 10. Imò cùm materia tanquam ſubſtantia entitativè multiplex, præſcindendo ab omni extenſione priús concipiatur diviſibilis & mobilis, quam diviſa & mota, licèt partes ejuſdem ante omnem diviſionem, ſint; juxta probabiliorem ſententiam actù diſtinctæ, quid obſtat, quò minús eædem partes ante motum & diviſionem vel ſinè affectionibùs mechani-

cis

cis conſideratæ ſint ejuſdem rationis cum toto, Nondum enim revelatum nèdum invictè demonſtratum, an materia homogenea ſit vel heterogenea, hoc ipſe Carthesius advertens, pro *dato* vult ſibi concedi, materiam fuiſſe ab initio homogeneam & uniformem, nondum pariter eſt deciſa lis, Peripatum inter & Epicureos an continuum conſtat punctis ſive minimis phiſicis indiviſibilibus ſeu inſectilibus, an partibus in infinitum diviſibilibus. De hoc fuſiùs ſuo loco.

§. 11. Hoc (ni fallor) dedit anſam Carthesio aſſerendi materiam eſſe indefinitè diviſibilem & indefinitè extenſam, quod idem eſt ac dicere, an mundus verè finitus an infinitus ſit, huc uſque ignorari. Hoc tamen effugio, nec difficultatem ſolvit, nec ſuam de extenſione materiæ ſententiam ſufficienter corroborat; quin imò dubiam ac valde ſuſpectam reddit.

§. 12. Enim vero cùm nihil ſuapte natura ſit indefinitum, licèt nobis limites occultantur, neceſſariò concludendum, quid quid eſt aut exiſtit in rerum natura vel actu finitum in ſe, vel infinitum eſſe tam quoad numerum quam magnitudinem, ſi *primum* doctrina Carthesii de extenſione & Vacuo corruit, hôc enim admiſſô neceſſariò admittuntur termini ultra quos non eſt extenſio à corpore indiſtincta, quod ipſius ſequaces non negant, paſſim dicentes, non poſſe ſupponi corpus finitum, quod aliis corporibus non ambiatur, nec extenſio ità finita, ut non ſit extra, ut non ambiatur alia, ſic nec muſca poteſt concipi, quin concipiatur ultra & extra muſcam extenſio, ob id unum, quòd extenſio muſcæ finita ſit. Vide Dagoumerum in ſua phiſica generali, ſi *ſecundum* præterquam quod fruſtra quærit effugium in indefinito, manifeſtè ſequitur mundum eſſe infinitè extenſum actu, nullis claudi limitibus, fine carere, hinc neceſſariò immenſum, conſequenter nec Deum poſſe creare alium mundum extra hunc, nec lapidem vel aliud corpus extra mundum hunc movere, cùm nullus ſit locus vel

ſpatium

ſpatium extra mundum poſſibile, in quo novus mundus condi, vel motus fieri poſſit, quo nihil Omnipotentiæ divinæ magis derogare videtur. Hoc tacitè admittere videntur ipſi Carthesiani, dum palam aſſeverant, mundum nullos amplitudinis ſuæ fines habere, Deum non poſſe ipſum non producere ſic indefinitum, conſequenter nec poſſe producere certam definitámque materiæ portionem quin aliam producat.

§. 13. Si ideò dicat materiam mundi eſſe indefinitam quod ignoratur an finitè vel infinitè extenſa aut diviſibilis ſit, æquè ignoratur contra communem Philoſophorum ſententiam, an mundus finitus ſit an infinitus, ignoratur etiam an pluribus mundis locus sit nec ne, conſequenter & Carthesius ignoravit an vacuum Philoſophicum poſſibile sit, & an divinitùs implicans, prout ipſe & plures ſequaces hodiedum contendunt. Profectò hæc aſſerere mihi videtur idem ac si quis pertinaciter contenderet, aureos in crumena contentos qui haud dubiè, nemine (quod ſcio) contradicente, in ſe pares ſunt aut impares eſſe *indepares*, reſpectu ignorantis an pares sint an impares, quis non videt terminos *indepar*, *indefinitum* eſſe luſum verborum nè dicam intellectus cum formidine erroris vacillantis, qui nec numeri vel numerandorum *paritatem* aut *imparitatem*, nec rerum *finitudinem* vel *infinitudinem* tollunt, sicut enim *propter noſtrum intellectum nihil ponitur* ità nihil tollitur, *in rebus*, adeoque indefinitum non magis eſſe finitum inter & infinitum, medium, quam indepar sit inter par & impar; ſpero fore ut à Deo Omnipotente & Omniſcio ejuſmodi ignorantiæ & impotentiæ ignominia longè arceatur; in vocis indefiniti obſcuritate ſubterfugium & latebram sibi paravit Vir Mathematicè Doctiſſimus, cùm ab incommodis adverſariorum, tam Philoſophorum quàm Theologorum ejus hypothesim convellentium, ſe nimis premi adverterit, quibusque ſolvendis ſe parem forſan non invenit.

§. 14.

§. 14. Materiam cum ſpatio confundi affirmant quidem Carthesiani plerique, ſed nullatenus demonſtrativè confirmant, hancque eorum aſſertionem ſuper identitatem extenſionis & materiæ fundatam, rotundè negant Gaſſendiſtæ admittentes ſpatium immenſum, indiviſibile & æternum, extramundanum, tanquam locum communem ſeu intercapedinem in quo & hic Mundus conditus & milleni alii (Deo ſic volente) creari poſſint.

§. 15. Ab his parum diſſentire videntur plures, iique celebres è Peripato Philoſophi, ſuſtinentes, ultra & extra hoc Univerſum, ſpatia dari immaginaria infinitè extenſa, ſeu non repugnantiam illimitatam recipiendi corpora extra hoc Univerſum.

§. 16. Si enim (inquiunt) ſpatium omne corpus eſſet, non tantùm omne corpus ſibi locus eſſet, non tantùm locus à corpore repletus & locatum replens unum eſſet & idem, (hoc, licèt Anti-Carthesianis abſurdiſſimum videatur, ob loci immobilis mutationem, quàm implicare putant, Carthesiani plerique tanquam suis principiis conſonum sinè magno ſcrupulo fatentur) verùm etiam corpus omne eſſet in corpore tanquam in loco externo, (extremum enim corporis ambientis juxta Ariſtotelem locus externus habetur ſaltem omnium particularium hujus Univerſi corporum) cùm omne corpus particulare in hac machina Univerſi neceſſariò, fatentibus ipsis Carthesianis, exigit ſpatium sive locum in quo sit, in quo localiter movetur, vel moveri poſſit, eoque haudquaquam carere poteſt, cùm motus localis sit transitus *à loco* (quomodocunque à Philoſophis inter ſe de loci natura littigantibus ſpectetur) *in locum*, quod si ita, etiam materia mundi hujus aspectabilis, ejusdem cum omni corpore, imò ejuſdem minutia Sortis, utpote non immenſa (ut ſæpiùs dictum) non infinitè extenſa, sive ut diviſa & mota, sive ut ab iis præſcindens ſpecte-

ſpectetur, in ſe & reſpectu Dei creantis & moventis tam particularis, quam quævis ejuſdem molecula, æque neceſſario exigit locum ſive ſpatium externum à ſe diſtinctum (addo & ego, vel aliquid ſaltem ſpatio æquivalens) in quo etiam ſit, in quo moveatur aut moveri dividique poſſit, quoque, non minus carere poteſt quam quæcunque ejuſdem portio ab alia diviſa & mota.

§. 17. Locus ille ſeu ſpatium à materia diſtinctum fixum eſt & immobile ab eadem juxta Gaſſendiſtas penetratum & penetrabile, & ejuſdem ſortis cum loco cujuſvis particularis corporis hujus Univerſi, hoc in Hipotheſi materiam eſſe *finitè extenſam* ultronèe vel inviti (ajunt) concedent Cartheſiani. Illam infinitè extenſam eſſe (ut recéns notatum) non audent palam aſſerere, cùm omnia *numero, pondere*, & *menſura* fecit Omnipotens, dicere verò materiam eſſe *indefinitè* extenſam, eſt, (ſi ſinè fuco loquamur) candidè aſſerere ſe prorſus ignorare an materia finitè vel infinitè extenſa. per conſequens ſe ignorare an ſpatium quod cum corpore confundunt, à corpore differat vel nôn, vel an vacuum Philoſophicum, divinitùs implicet vel non.

§. 18. Inſuper ſtante materiæ & ſpatii identitate nec ſufficienter nec plauſibiliter (ajunt) explicari poteſt loci à quo deſumi debet realis corporum motus, *immobilitas*, vel ſi locus externus dicatur cum ſuo locato moveri vel mutari, ut cum lignum ſecundo flumine delatum, vel dolium vino repletum è vinea in urbem defertur, nullatenùs concipi poteſt, quomodo corpus movetur, ſeu mutet locum, cùm è loco in locum transfertur.

§. 19 Multò minùs (ajunt) à Cartheſio genuinè definitur motus *translatio unius partis materiæ ſive unius corporis ex vicinia eorum corporum quæ illud immediatè contingunt & tanquam quieſcentia ſpectantur in viciniam aliorum.* Definitio enim

L motus

motus qui exiſtit independenter à nobis cogitantibus haud quáquam debet à cogitatione noſtra dependere, ſi verò corpora immediate corpori localiter moventi vel moto contigua, dicantur ſpectari *tanquam quieſcentia* quæ tamen (ipſis confitentibus) abſolute & in rei veritate non quieſcunt, clarum, motum juxta definitionem à Carthesio traditam à cogitatione noſtra imò ab errore dependere, quid quid in contrarium dicant diſcipuli inter ſe de motus definitione diſcordes imò plures adverſus magiſtrum rebellantes, eoque magis cum dicat locum externum ſeu ſuperficiem *quæ proxime ambit locatum non eſſe ullam corporis ambientis partem, ſed debere intelligi ſuperficiem in communi* (quod notandum) *quæ non ſit pars unius corporis magis quam alterius, ſed quæ ſemper eadem cenſetur, licèt corpus ambiens cum ſua ſuperficie mutetur.* Vide Dagoumerum in ſuæ phiſicæ tomo 4to pag. 171. Purchotium, & alios. An ſuperficies illa in communi quæ debet intelligi quod nec corporis ambientis nec locati pars ſit, à loco Gaſſendiſtarum differat, uſque dum ſe Carthesiani clarius explicent, problema eſto.

§. 20. Huic de ſpatio difficultati ſatisfacere conatur Dominus Denyſe, tomo primo ſuæ naturæ ratione & experientia in Idiomate Gallico explicatæ, aſſerens quodlibet corpus in particulari ſuum habere locum, ſecus vero collectionem omnium corporum, quæ & ipſa ſibi, non aliter quam ſpatium Gaſſendiſtarum, ſibi, locus eſt.

§. 21. Fatendum in hipotheſi materiam, quam etiam cum ſpatio confundit Denyſe, nullos prorſus amplitudinis ſuæ fines habere, collectionem omnium corporum, *ſibi* licèt valdè impropriè æque ac ſpatium Gaſſendiſtarum *ſibi*, locum eſſe, cùm nullum extet nec corpus nec ſpatium ſecundùm ipſum extra hunc mundum, imò potiùs dicendum eam nullum habere locum.

§. 22.

§. 22. His ſtantibus nimis rudis ſum ut capere poſſim quomodò mundus infinitè illimitatus nullum prorſus habens *extra* vel *ultra*, magis quam mundi Conditor, localiter moveri poſſit, (*localiter inquam*) cùm omnis motus ſive totius, ſive partium totius ſecundum ipſos Cartheſianos ſit localis, quomodo alius vel plures mundi extra hunc nullos prorſus amplitudinis ſuæ fines habentem, ſint poſſibiles. In Hipotheſi verò materiam finitè extenſam à ſpatio diſtingui, ob rationes modò allatas manifeſtè liquet totam collectionem æquè locum externum (vel ſaltem loco æquivalens) ſed incorporeum à ſe diſtinctum, in quo moveri poſſit, & ſinè quo, moveri nequit, exigere, ac quælibet ejuſdem portio particularis.

§. 23. Regerunt Cartheſiani, ejuſmodi ſpatium à materia diſtinctum, quod nec res nec ratio, nec ens nec modus entis ſit, verbo ſpatioſum nihil, prorſus implicare, eſſet enim extenſum ut à Gaſſendiſtis ſupponitur, & in rei veritate non eſſet, cùm nihili nulla extenſio &c.

§. 24. Reſp. Gaſſendiſtarum nonnulli, ſpatium ejuſmodi eſſe quid negativum, eſſe extenſum extenſione Mathematicâ penetrabili, & negativâ, minimè verò extenſione phiſica impenetrabili & poſitivâ, hinc nihili proprietates nullas poſitivas, negativas multas, *an non nobis dicere licèt*) Reverendiſſimi Huetii Epiſcopi Sueſſionenſis verba ſunt) *nihilum immutabile eſſe, immobile eſſe, infectum, incorruptum, æternum eſſe, nihilum nihilo ſimile eſſe, nihilum differre à rebus creatis, nihilum eſſe contrarium enti, ex nihilo orbem à Deo eſſe creatum.* Hæc enim Nihili attributa meræ ſunt negationes mutabilitatis, mobilitatis, diſcrepantiæ à nihilo, convenientiæ cum ente, ſimiliter ſi aer in cubiculo, vel vinum in dolio annihilaretur nullo alio admiſſo corpore in eorum locum, dicendum vacuam manere intercapedinem ſeu Spatium quod à vino vel aere occupabatur, eadem enim maneret laterum & parietum cubiculi inter ſe diſtantia,

L 2 idem

idem ſitus, idem omnino locus, ejuſdémque id fore amplitudinis ac prius erat vinum vel aer;huic vel ſimili vacuo extenſio tribuitur, aſt, mathematica non phiſica, negativa non poſitiva: ſi enim dicatur ſpatium illud inane quod intra vas eſt, eſſe unius pedis quadrati vel plurium, perinde erit ac ſi quis dicat, in ſpatio illo pedali nullum eſt corpus, & pedalis hæc extenſio vacui, erit negatio corporis phiſici pedalis extenſionis in ſpatio pedali.

§. 25. Nisì forte cum Cartheſianis pleríſque ſuppoſitum neges, tanquam implicans, & credas fore ut latera & parietes ſe mutuo contingant & coaleſcant, ea enim ſe tangere dicuntur & nullatenùs diſtare quæ nullo intermedio corpore disjunguntur.

§. 26. Verùm cùm non aliam aſſignare poſſint implicantiam quàm quæ tanquam corrolarium ex ſua hipotheſi unicè inferri poteſt, *non aliam nimirum eſſe extenſionem quam materiæ, materiam & extenſionem eſſe prorſus eadem, ſpatium cum materia indefinitè extenſâ confundi* de quibus in prægreſſis ſufficienter actum, durum profectò Philoſopho nisì Atheiſtæ dicere, Deum, illum Deum in quo *vivimus, movemur, & ſumus* cujus voluntas (ut cum Dagoumero loquar) eſt natura rerum, imò, (ſi ipſi Cartheſio credendum) qui poteſt facere, ut *unum* & *duo*, non faciant *tria*, à Philoſophi cujuſcunque hipotheſi, vel ſecta ità deſpoticè limitari & coarctari, ut nec machinam hujus univerſi quam ex nihilo creavit in duas pluresve partes dividere & ſejungere, nec plures mundos ab hoc ſeparatos creare poſſit, multò minùs, facere, ut tres globi v.g. eburnei vel ferrei extra hoc Univerſum ſe tangant abſque figuræ ſphericæ mutatione, quod tanquam impoſſibile opinantur Cartheſiani rigidiores, in ſpecie Purchotius, & Dominus Denyſe in ſuo Dagoumeriſmo profligato, qui pag. 25. ait, globos in tali caſu non manſuros ſphericos, imò futurum, ut ſe tangant ſecundùm totas ſuperficierum

ſuarum

ſuarum partes, unde concludit materiam globorum manere, aſt non rotundam in ſingulis globis, idque purè, quia cùm nullum corpus reale phiſicum intermediat, ſpatioſum nihil inter ſe interciperent, quod implicat.

§.27. Quaſi verò Deus per ſuam Omnipotentiam, & immenſitatem ſi non actualiter, ſaltem virtualiter, æquivalenter, & eminenter, extenſam, non poſſit defectum corporum intermediorum inter ſeparata & ſejuncta, ſupplere, adeoque diſtantiam ſive ut relatio ſpectetur, ſive ut negatio contactus, requirens pro fundamento aliquid poſitivi interjecti, fundare, quô ſemel admiſſô, nec ipſi negare poſſunt *primò* inter partes mundi, si nullo interjecto corpore ſejungerentur, vel plures mundos, si ſeparati & circa hunc crearentur, (idem de tribus globis eburneis ſe extra hoc Univerſum tangentibus ſentiendum) neceſſariò admittendam intercapedinem ſeu non repugnantiam immediatam recipiendi corpora, carentiam locati in loco externo reali, nimirum extremo concavo plurium mundorum circa hunc, creatorum, apto ut repleatur, verbo vacuum philoſophicum, in quo corpora creari ac moveri poſſint (Deo sic abſolutè volente) tam fundatum, quam sit cæcitas in oculo, vel tenebræ in aere. 2dò Partes mundi hujus diviſas, ex ſuppoſito, & ſejunctas, vel plures mundos ab hoc & à ſe invicem ſeparatos, ſe nullatenùs tangere adeóque à ſe invicem neceſſariò diſtare, licèt nullum intermediet corpus phisicum; ad corporum enim ſejunctorum & ſeparatorum diſtantiam, non abſolutè requiritur, ut corpora sint intermedia, ſufficit ut poſſint proximè intermediare, eoque major vel minor erit diſtantia inter ſejuncta & ſeparata, quo majora vel minora futura sint corpora, quæ in tali caſu vel proximè intermediabunt vel poſſint intermediare: hinc ad realitatem diſtantiæ ſufficit, ut termini sint reales, abſque eo, quòd medium ſaltem phisicum sit reale, Deo per Immensitatem, ejus defectum ſupplente.

§.28,

§. 28. Ex hactenus dictis liquet (ni fallor) 1. regulam tritam Carthesianorum, *ea ſe neceſſariò tangere & nullatenùs diſtare dicuntur, quæ nullo interjecto corpore disjunguntur* minùs firmo ſtare talo: aliàs plures mundi extra hunc creati & ab hoc ſeparati abſolutè & neceſſariò ſe tangerent, nec ſeparati divinitùs ſubsiſtere poſſint, cùm nullum corpus intermediat, (quod durum dictu.)

§. 29. 2dò Vacuum philoſophicum, ſeu locum realem externum sinè locato non implicare sicut *mons ſinè valle*, nec à præjudicatis infantiæ opinionibus vel Immaginationis erroribus oriri, quod ſpatium concipiatur omni corpore phisico deſtitutum, v.g. dum a Vulgaribus & infantibus, ſpatium, cælum inter & terram, cenſetur eſſe rigoroſè vacuum, nullus enim error in conceptu poſſibilitatis vacui philoſophici, bene verò in eo quòd judicetur actu eſſe, cum actu non sit, nec Idea poſſibilitatis vacui etiam ingentis sive intra sive extra hunc mundum magis habet ortum ab Immaginationis ludificationibus, quam idea durationis, quæ a non paucis Philoſophis concipitur ante mundum conditum imo ab æterno fuiſſe. ſaltem quæ potuit fieri ante tempus creationis Cæli & Terræ, si Deus hunc Mundum citius, vel alium ante hunc, creâſſet.

§. 30. Hucuſque de vacui Philoſophici ingentis poſſibilitate concordes Peripatetici cum Gaſſendiſtis, de vacuolis ſeu vacuo diſſeminato, ſuo loco breviter agemus.

SECTIO II.

De Spatio Gaſſendiſtarum.

§. 1.

POſt Epicurum, Democritum, Lucretium, alióſque veteres Atomiſtas, Petrus Gaſſendus cum ſequacibus contendunt, actu

actu dari Spatium extramundanum immenſum, indivisibile, æternum, quod nec Deus eſt nec creatura, tanquam locum communem, ut dictum, in quo omnia corpora mundi hujus aſpectabilis finiti moveri poſſint aut quieſcere, fortiſſima eorum argumenta pro ſpatii extramundani poſsibilitate & neceſsitate, ſectione prægreſſa recenſui. De hujus verò ſpatii notione & natura multum inter ſe diſcordes, plures poſt Epicurum cum Gaſſendo volunt ſpatium ejuſmodi eſſe quid positivum, incorporeum, a Deo independens, eſſe ens ſuo modo, quod nec ſubſtantia sit, nec accidens sive modificatio ſubſtantiæ, quid tamen peculiare diſtinctum ab utroque, vide Dagoumeri Metaphisicam, pag. 267. Bernierum in ſua doctiſsima Epitomè Philoſophiæ Gaſſendi, & Gaſſendiſtas paſsim.

§. 2. Verum enimvero cum omne id quod nec Deus eſt, nec creatura, nec ſubſtantia, nec accidens, nec res, nec (ut cum modernis loquar) ratio, ſeu entis modificatio, à cordato Philoſopho jure merito pro chimera & intellectus potius delirantis quam ſolide ratiocinantis ludibrio habendum, quô fundamento ſpatium ejuſmodi poſitivum defendi poſſit, & à puro nihilo vel non ente differat non ſatis aſſequor, taceo ſpatium ejuſmodi à Deo diſtinctum & independens, ſi à ſe ſolo exiſtendi vim habeat, pro ente ſumme perfecto æterno incorporeo & immenſo, Deo ſi non æquali, ſaltem multo magis incomprehenſibili quam ſit ipſa divina eſſentia, reputandum.

§. 3. Multo plauſibilius licet magis paradoxe meo tenui judicio ſentire videntur Cartheſii aliquot Diſcipuli Atheiſtæ ſeu potius Deiſtæ quorum Dagoumerus in ſua Methaphiſica pag. 368. meminit qui veræ creationis obliti, ut omnimodam ſpatii Gaſſendiſtici à corpore diſtincti poſſibilitatem excludant materiam ſeu juxta ipſos extenſionem cum plurimis veterum ſupponunt eſſe *neceſſariam & increatam, infinitos vortices ab æterno extitiſſe, jam exiſtere, & perpetuo extituros, qui quidem*

quidem vortices initium habent ex priorum ruina , & deſinunt , alii aliis ſuccedentes, ita ut quovis inſtanti infiniti pereant, infiniti renaſcantur. Qua propter Deum creâſſe cælum & terram nihil aliud eſt (ajunt) quam poſuiſſe de novo aliam diſpoſitionem partium Mechanicam. Non multo aliter cecinit Ovidius Lib. 1. Methamorphoſ: ubi dicit:

Ante mare & terras & quod tegit omnia cælum
Unus erat toto naturæ vultus in orbe.
Quem dixere Chaos &c. - - - paulo poſt

ſubjungit, *Hanc Deus & melior litem Natura diremit.*
demum, *Sic ubi diſpoſitam quiſquis fuît ille Deorum*
Congeriem ſecuit, ſectamque in membra redegit!

§. 4. Alii vero inter quos Doctiſſimus Pater Maignan Ordinis Minimorum, alias insignis, Gaſſendi & doctrinæ Atomiſticæ cultor, cum aliquot è Peripato admittunt Spatia immaginaria, non quod omnino fictitia ſunt, exiſtunt enim (ajunt) realiter negative & ſuo modo, & cum ſit fundamentum ea concipiendi, mens ſibi repreſentat intercapedinem aliquam ſeu meram non repugnantiam recipiendi corpora.

§. 5. Prælaudatus enim Maignanus dicit in ſua Philoſophia Naturæ cap. 1. propoſ. 3. *Concipimus (non ſane aſſerimus eſſe, ſed ſimpliciter cogitamus quaſi eſſet) ſpatium aliquod permanens ad modum expanſi aeris vel aquæ aut ſimilis alterius ſpatii realis, diffuſum quaque verſum etiam ſine fine, item invariabile - - - - in quo tamen fiunt motus omnes ab una ejus parte in aliam & in quo ſunt mobilia omnia hoc vocamus ſpatium Immaginarium - - - - in eo diſtantiarum terminos mente defigimus ideſt quaſi defixi eſſent attendimus.*

§. 6. Ad immobilitatem quæ de conceptu *loci* eſt, explicandam ſufficit ſecundum Maignanum immobilitas ſpatii Immaginarii apprehenſa, nec ulla res finita ſive materialis ſit ſive ſpiritualis, poteſt exiſtere & nullibi eſſe, ſaltem ratione

Spatii

Spatii Immaginarii quaque verſum infiniti, in quo Deus vi ſuæ Immensitatis ſubſtantialiter ab æterno preſens eſt, sicut defacto in hac parte Spatii Immaginarii exiſtit, in qua Mundum condidit.

§.7. Quis non videt Spatium Immaginarium tam vi vocis quam ex hac ejuſdem explicatione, unicæ immaginationis ſeu intellectus ratiocinantis fætum eſſe, proindéque *motum localem* à nobis cogitantibus ut ante dictum nullatenus dependentem, cùm definitur ab Atomiſtis *tranſitus á loco* sic intellecto *in locum*, æque à cogitatione noſtra dependere, ac in definitione motus Carthesiana recéns impugnata.

§. 8. Spatium enim ejuſmodi vel eſſe ſuum & exiſtere mutuatur in & à ſolo intellectu id concipiente, vel extra intellectum, *ſi primum* extra intellectum cujus eſt fætus, quôque non egreditur eſt purum nihil, quoniam igitur non licèt concludere *ab eo quod eſt in mente ad id quod eſt extra mentem*, quoties & quandocunque intellectus noſter concipit dari Spatia Immaginaria extra mundum, verè concipit, quaſi eſſet illud, quod extra mundum & ejus intellectum, verè non eſt, verbo purum nihil, purum ens rationis quod tamdiu fit, quamdiu cognoſcitur.

§. 9. Si ſpatium immaginarium dicatur habere ſuum eſſe extra intellectum ſicut *tenebræ* in aere, *cæcitas* in oculo, nemine enim cogitante (ajunt) dantur in aere non illuminato tenebræ, in oculo non vidente cæcitas, ità nemine cogitante datur Spatium extra hunc Mundum, daretur & Vacuum inter latera & parietes domus, ſi a Deo vacefieret.

§. 10. Regeritur, ſi tenebræ à ſubjecto abſtractæ ſeu formaliter ſecundùm ſcholas ſumptæ, poſſint, ſicut debent, concipi abſque eo quod concipiatur nigredo quædam per aerem diffuſa, prout à vulgo ſupponitur, quare non cubiculum poſſit concipi omni corpore reali & phiſico vacuum, abſque eo quod

concipiatur aliquid reale incorporeum extenſum, penes immaginarium à Deo & creatura diſtinctum inter latera cubiculi, hoc enim aſſerere eſt purum nihil *realisare* ſit venia verbo.

§. 11. Profectò ut concipiantur tenebræ ſinè errore aut fictione debemus Judicio negativo concipere, *lux non eſt in aere* ita ut cubiculum philoſophicè vacuum concipiamus, vel Spatium immaginarium extra hunc mundum, non poſſumus ſinè fuco aut intellectus fictione aliter judicare, quam negativè aſſerendo, *nihil eſt in hoc cubiculo*, *nihil eſt extra mundum*, nisì forte Immenſitatem divinam quæ toto Cælo differt, a Spatio Immaginario quod impugnatur, excipias.

§. 12. Idem de cæcitate ſentiendum, dicere enim oculum ſeu potius hominem eſſe cæcum, eſt idem ac dicere, hominem non videre.

§. 13. Hic eſt ſolus & unicus modus ſinè errore aut logomachiis concipiendi nihil, Spatium Immaginarium, privationes omnes, & negationes, quarum realitas abſtracta a realitate fundamenti quod intellectui præbet anſam illas concipiendi prorſus nulla: hinc tenebræ ſeu privatio lucis, ab aere non illuminato, vel cæcitas ab homine non vidente, per intellectum abſtractæ pro puro nihilo reputantur, multò magìs privatio vel negatio locati in loco ſeu ſpatio immaginario, cujus, utpote noſtræ immaginationis producti, notio vel idea non æque fundat negationem vel privationem, ac aer illuminatus tenebras, vel homo non videns cæcitatem, quæ realia & non immaginaria, ſicut ſpatium immaginarium, privationum ſunt fundamenta, ut cuivis rem ſeriò perpendenti clarum.

§. 14. Eodem modo judicandum de omnibus nihili proprietatibus, adeoque, cùm Vacuum philoſophicum intra vel extra mundum, ad ſenſum quorundam Atomiſtarum dicitur mathematicè & negativè extenſum, non aliud a parte rei intelligi poteſt

poteſt, quam nullam ibi eſſe realem extenſionem, immaginariam tantumodò, sicut eſt ipſum ſpatium, quam Geometra immaginariè & non realiter menſurare poteſt.

SECTIO III.

De Spatio ſecundum Dagoumerum.

§. 1.

DOctiſſimus Dagoumerus longè aliter de vacuo ſentit quam Atomiſtæ, cum quibus contra Carthesium, cujus alias magnus Fautor, admittit materiam mundi finitè extenſam, hinc Vacuum philoſophicum ultra & extra mundum neceſſariò tanquam locum communem omnium rerum producibilium, non immaginarium aut negativum, ſed reale & poſitivum, neceſſariò immenſum, indivisibile, & immobile, à quo ſolo vera loci particularis immobilitas deſumenda, & sinè quo motus explicari nequit, non tamen à Deo independens, prout volunt Gaſſendi ſequaces, cùm sit ipſa divina Immensitas quam tanquam Attributum divinum ait eſſe modum inſeparabilem divinæ eſſentiæ à qua positivè differt, ea enim juxta Recentiores dicuntur positivè differre quæ diversimode concipiuntur.

§. 2. Deus per ſuam immensitatem infinite diffuſus, sicut & omnis alius Spiritus in ſuæ activitatis ſphera, eſt juxta Dagoumerum actualiter (non virtualiter prout volunt Peripatetici) extenſus, aſt indivisibiliter, ſecus ac corpora quæ ob pluralitatem partium quæ ſubſtantiæ ſunt, divisibiliter extenduntur, per hanc indivisibilitatem ſubſtantiæ, ſpiritus à corpore extenſo ſufficienter diſtinguitur licet dicatur extenſus, non ſecus ac alius eſt à corpore durante licèt dicatur durans.

§. 3. Extenſio verò quæcunque ſit, ſive corporis ſive ſpiritus juxta Dagoumerum partes ſuas habet extra partes, hinc

nec concipi poteſt extenſio ſive finita ſive infinita qualis ſola Immenſitas divina, niſi concipiatur pars extenſionis extra partes extenſionis. Hoc ait adeo verùm eſſe, ut Thomiſtæ imò ipſe Cartheſius partes admittant virtuales tam in extenſione ſpiritus creati quàm in Immenſitate divina, quo loquendi modo tacitè fatentur ſe non aliam habere extenſionis ideam quam poſitionis partium extenſionis extra partes extenſionis.

§. 4. Per hoc ſolùm extenſio corporea & ſpiritualis diſtinguntur, quod licèt una pars extenſionis ſubſtantiæ ſpiritualis non ſit altera, tamen à ſe invicem indiviſæ ſunt & indiviſibiles, ſecus verò in extenſione corporis, quæ in partes extenſionis, ſicut ipſum corpus in partes quæ ſubſtantiæ ſunt, diviſibiles.

§. 5. Quamobrem Deus eſt *totus extra ſe totum.* ſeu (ut in præfatione Dagoumeri legere eſt) *totus in ſingulis cui reſpondet loci ſeu ſpatii partibus:* Immenſitas verò divina non eſt tota extra ſe totam magìs quàm Æternitas divina quæ juxta ipſum ſucceſſiva.

§. 6. Si enim divina ſubſtantia (ait) duratione æterna poſſit eſſe tota ſimul & ſubſtantialiter extra ſe totum, ſic ut habeat poſitivè partes durationis extra partes durationis, eadem ſubſtantia extenſione ſua infinita, poteſt eſſe tota ſubſtantialiter extra ſe totam, ità ut habeat poſitivè partes extenſionis extra partes extenſionis, hinc concludit, ſi Deus Æternitate ſua omnia tempora creata ſuperat & antecèdit, ità Immenſitate ſua tanquam omnium producibilium loco communi, ſuperat omnia ſpatia creata.

§. 7. Hæc Dagoumeri de ſpatio & immenſitate divinâ, notio, licet prima fronte plana, intellectui facilis, omniúmque ferè hominum captui accomodata, ſuas, eáſque maximas patitur difficultates.

§. 8. Præterquam enim quod extenſio Dei actualis, plurimum veræ ac ſinceræ Dei notioni & ſimplicitati non parùm derogare

rogare videatur, inexplicabilis videtur eſſe extenſa Dei Immenſitas per partes actuales extra partes, quæ ſi Deo, independenter à rebus creatis conveniat, (hoc divinæ extenſionis aſſertores admittunt) ipſam nulla re creata exiſtente vél ſublatâ neceſſariò habet, per conſequens neceſſariò ab æterno *totus extra ſe totum*, ſeu *totus in ſingulis cui reſpondet loci ſeu ſpatii partibus*.

§. 9. Quis quæſo locus, ſublata omni re creata, aſſignabilis à Deo diſtinctus, cui per Immenſitatem extenſam totus extra ſe totum correſpondere poſſit? Locus internus juxta Dagoumerum à locato realiter diſtinguitur, hinc etiamſi Immenſitas divina dicatur ſpatium ſive locus rerum creatarum, reſpectu Dei cujus eſt attributum formaliter ſolumodò vel virtualiter diſtinctum, minimè, ſaltem valde impropriè locus dicenda.

§. 10. Ut enim, quod Denyſe in ſuo Dagoumeriſmo profligato optimè notat, Deus intelligatur totus extra ſe totum debet intelligi totus in loco A. ſimulque totus in loco B. disjuncto à loco A. hæc duo loca vel ſunt *ipſe Deus*, vel *divina perfectio*, vel *aliquid diſtinctum & independens ab eo* prius eo ratione cauſalitatis & naturæ in quo debet exiſtere.

§. 11. Si *primum* dicatur, quiſque locus non ſolum præciſè & formaliter eſt ipſe Deus, verum etiam, locus, qui ſupponitur à ſe disjunctus, ſi enim locus A. ſit ipſe Deus, & locus B. ſit etiam ipſe Deus, locus A. eſt præciſè & formaliter locus B. per conſequens Deus in unoquoque loco exiſtens, non extra ſe totum exiſtit, nec totus dici poteſt extra ſe totum.

§. 12. Si *ſecundum*, cum locus, juxta Ideam loci quam dat Dagoumerus, quamque ſentit rebus creatis communem, non intelligitur ut proprietas, aut perfectio, ſeu modus rei locatæ, (intelligitur locus ut ſubſiſtens in ſe, res verò locata ut exiſtens in loco) plane incomprehenſibile quomodo in hoc ſenſu Deus dicatur totus extra ſe totum, uſque dum loci divini clarior intelligentia & conceptus (quod optandum) ſuggeratur, non e-

nim

nim poteſt dici totus extra ſe ipſum, nisì ad locum jam prius exiſtentem ferri intelligatur.

§. 13. *Tertium* Longè minùs intelligibile, cùm Deus nullo alio à ſe diſtincto egeat ut exiſtat, nihilque eo prius eſt natura vel cauſalitate in quo debet exiſtere. Taceo hoc ultimum aſſertum cum Spatio Epicurii immenſo & indiviſibili à Deo realiter diſtincto, plane coincidere.

§. 14. Nec æquiùs de æternitate divina ſentire videtur, quæ utpote tota ſimul, non magìs ſucceſſiva dicenda actu & formaliter, quam Immenſitas actu & formaliter extenſa, hinc non magìs habet æternitas ſeu duratio Dei partes durationis extra partes, quam immenſitas divina partes extra partes extenſionis.

§. 15. Commune ſaniorum Philoſophorum & Theologorum dicterium eſt quod *in æternitate nihil præteritum, nihil futurum, nulla momentorum diſtantia aut vicinia, non plùs non minùs, nec prius nec poſteriùs, ſed omnia præſentia.* Hinc ſi Mundus, ut voluit Ariſtoteles nullum habuiſſet initium, non tamen fuiſſet æternus, non totum ſimul infinitæ vitæ ſpatium comprehendiſſet, ſed futura non dum, tranſacta verò non ampliùs poſſediſſet. De hoc conferatur Clariſſ. Purchotius.

§. 16. Longè meliùs de Æternitate & Immenſitate divina ſentire videntur Thomiſtæ qui tenent Immenſitatem divinam eſſe revera inextenſam, & Æternitatem totam ſimul, licet mens noſtra propter cogitationis anguſtias partes in Immenſitate extra partes, sicut & antecedentia & ſubſequentia in Æternitate momenta concipiat, illæ tamen vel Immensitatis partes, vel Æternitatis momenta ſpectari non debent, ut actualia ſeu actu diſtincta ſed tantumodo ut virtualia & æquivalentia quemadmodum eorum ſcholæ loquuntur, in quantum Æternitas tota simul, vim habet quâ omnibus partibus noſtræ durationis ſucceſſivæ reſpondeat, hinc à Boetio recte deſcribitur Æternitas, *interminabilis vitæ tota ſimul perfecta poſſeſſio.* §. 17

17. Immensitas pariter sicut ipſa ſubſtantia divina tota simul inextenſa & indivisibilis, omnibus materiæ mundi partibus correſpondendo, æquivalenter & virtualiter poſſit dici extenſa.

SECTIO IV.

Authoris Sententia.

§. 1.

HUcuſque rationes & placita diverſorum Hipothesiſtarum de corporis & ſpatii notione inter ſe diſſentientium breviter & candide allatæ, quid ego ab Hipothesibus pro poſſibili abſtrahens, in materia tam ardua nè dicam problematicâ, ſententiam ſequentibus patefacio.

§. 2. Dico 1. Mihi multò verosimilius videtur minusque Omnipotentiæ divinæ derogans, aſſerere, mundum hunc aſpectabilem à Deo conditum, eſſe potiùs finitè, quàm infinitè, & nullatenùs indefinitè Extenſum, licèt ejus limites nobis occultantur, cùm ut ſæpiùs notatum, *omnia numero, pondere, & menſura,* fecit Omnipotens.

§. 3. Dico 2dò Deum non tantum, in, verum etiam extra hoc univerſum. ſubſtantia & virtute, præſentem eſſe & infinitè diffuſum, ſuáque Immensitate omnia ſpatia creata & poſſibilia ſuperare, sicut Æternitate omnem durationem ante cedit.

§. 4. Apoſtolus enim *act. 17.* dicit: *Deus non longè abeſt ab unoquoque noſtrum in ipſo enim vivimus, movemur & ſumus*, item Pſaltes Regius *pſal. 138. Si aſcendero in cælum tu illic es, ſi deſcendero in infernum ades, ſi ſumpſero pennas diluculo, & habitavero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me & tenebit me dextra tua.*

§. 5. Deum Immenſum, extra omnes limites poſſibiles conſequenter extra mundum hunc eſſe, non parùm corroborat ſacra

cra pag. Job. 11. *Deus excelſior eſt Cælo, profundior Inferno, longior terra latior mari,* & Salomon in dedicatione templi Paral. 2. Cap. 6. sic habet *ſi Cæli Cælorum non te capiunt, quantò magis domus hæc quam ædificavi,* huic conformis Eccleſia in ſuis precibus *quem totus non capit Orbis, in tua ſe clauſit viſcera factus homo.*

§. 6. Si quis quærat, an & qualis sit Locus Deo aſſignandus, dicendum cum Sanctis Patribus Deum licèt ubique diffuſum nullibi eſſe id eſt nullo loco à ſe diſtincto circumſcribi, vel si mavis, sibi locum eſſe; unde non inconcinne à Triſmegiſtro dicitur, quod Deus ſit *Sphera intelligibilis, cujus centrum ubique, circumferentia verò nuſquam.*

§. 7. Deus enim nunc, sicut ante Mundum conditum non in alio quam ſe ipſo locatur. Juxta illud:

Dic ubi tunc eſſet, cùm præter eum nihil eſſet,
Tunc, ubi nunc, in ſe, quoniam ſibi ſufficit ipſe.

§. 8. Dico 3. In Hipothesi Mundum eſſe finitè extenſum, vacuum philoſophicum ingens ſeu coacervatum sive intra sive extra hoc univerſum virtute Dei abſoluta poſſibile eſſe, nec in hoc ullam video implicantiam, si dolium enim vel cubiculum à Deo vacefieret, vel Deus plures mundos finitos (ut ante notatum) ab hoc ſeparatos, quorum unus polo Artico, alter Antartico, unus Orienti, alter Occidenti, vel unicum Mundum ab hoc ſeparatum, omnibus Universi hujus cardinibus correſpondentem crearet, quis non videt ſuperficiem extimam tam hujus, quàm alterius vel plurium extra hunc Mundum, eſſe locum externum, realem, & positivum, omni corpore vacuum, aptum tamen ut proximè repleatur, idem de ſuperficie concavâ dolii vel cubiculi, si vacefieret, ſentiendum, ſpatioſum verò nihil quod immaginatio quorundam pro loco interno à Deo & creatura diſtincto concipit, pro puro non ente & Immaginationis ludibrio reputandum, prout ſæpiùs antea commemoratum.

§. 9.

§. 9. Dico 4tò, Nullum defacto dari nec viribus naturæ dari poſſe Vacuum ingens, ſeu Spatium omni corpore deſtitutum à Deo & Creatura diſtinctum, ſive poſitivum prout volunt Gaſſendiſtæ plures, ſive immaginarium extra Immaginantis intellectum, licet contrarium affirmare videtur Doctiſſimus Pater Maignan quod tamen non invictè confirmat.

§. 10. Ex hoc nullatenus inferendum, naturam cognitionis ſicut metus & horroris incapacem, vacuum prout non pauci veteres & hodiedum RR. Peripatetici ſentiunt, horrere, effectus enim horrori vacui tribui ſolitos rectius ab aeris Atmoſpherici gravitate, elaſticitate, & preſſione, deducunt RR. paſſim. Hoc inter alia probat aſcenſus Mercurii vivi ad plures pollices in Barometro ſuſpenſi, quo in majori Antliæ Pneumaticæ recipiente, incluſo, ſi aer craſſior, quantum poteſt, exantletur, deſcendit Mercurius ad duorum imo unius digiti altitudinem, aſt ubi aperto epiſtomio aer craſſior in recipiens intromittitur, pro ratione molis aeris citius aut tardius intromiſſi, altius in tubo, citius tamen aut tardius aſſurgit Mercurius.

§. 11. Dico 5to. Si locus *externus* corporum ſumatur ſtricte pro ſuperficie concava ſeu extremo corporis ambientis, & *internus* pro ſpatio actu extenſo reali à corpore occupato, tota collectio corporum ſeu mundi extremum exiſtit, & nullibi ſeu ſine ullo loco externo eſt, cum nulla extent corpora eum circumcingentia, hinc ſpatium reale actu extenſum ſeu locus internus, vel nullus, vel cum corpore confundendus, aliud enim inexplicabile, niſi forte dicas *ubi* internum, ſeu præſentiam corporis locati in loco externo quæ à locato entitative non diſtinguitur, locum eſſe internum.

§. 12. Dico 6to. Immenſitatem Divinam poſſe dici ſaltem æquivalenter & acceptione lata ſpatium ſive locum communem tam *externum*, omnium corporum, in quantum Deus

mundum hunc aſpectabilem & plures alios in ſinu Omnipotentiæ ſuæ & Immenſitatis continens, (*in ipſo enim vivimus, movemur, & ſumus*) omnis loci externi vices modo licet nobis incomprehenſibili ſupplet, quam *internus* quoniam ſua Immenſitate indiviſibili & virtualiter extenſa, intima quæque hujus Univerſi immobiliter replet & penetrat, in ea motus & quies productorum & producibilium peraguntur, ab ea denique ſola, loci corporum particularis immobilitas deſumenda. Imò ſi immenſitas divina utpote nullis limitibus aut Cancellis coercita & infinite diffuſa æquivalenter, eminenter, & virtualiter extenſa, dicatur extra hunc mundum, *Vacuum Philoſophicum* vel potius Vacuo Gaſſendiſtarum æquivalens, non repugnans millenos alios mundos ſua omnipotentiſſima virtute producibiles in ſe continere, in hoc nihil video abſurdi.

§. 13. Si quis dicat locum aut ſpatium neceſſario debere diverſas & actuales habere partes quibus diverſæ locati partes neceſſario correſpondere debent.

§. 14. Hoc quidem verum cum mentio fit de loco particulari ſive *externo* ſeu corporis extremo ambiente locatum, vel *interno* à corpore indiſtincto, ſecus vero ſi de loco communi ad quem ſufficit ut diverſis locati partibus *æquivalenter & eminenter* minime vero mole trina dimenſione menſurabili correſpondeat, eodem modo Immenſitas divina intima quæque univerſi replens & non ſpatium Gaſſendiſtarum poteſt dici locus corporum particularium *internus* à corporibus diſtinctus ut recens inſinuatum. Locus enim juxta ipſum Maignanum videtur plus habere de ratione moralis quam phiſici.

§. 15. Aſt dicet Dagoumeriſta, aſſertio extenſionis virtualis in Deo inextenſo eſt incomprehenſibilis.

§. 16. Reſp. primo. Aſſertionem extenſionis actualis in Deo inextenſo eſſe multo magis incomprehenſibilem. Secundo

cundo. Licet notum nimis eſt certiſſimum adagium *non omnia nos intelligere* non ideo quod aliquid non intelligamus concludendum, illud non eſſe verum, hoc provenit à noſtræ mentis ad intelligendam *altitudinem divitiarum* Dei imbecilitate.

§. 17. Quis melius novit modum creationis, annihilationis, productionis Lucis &c. quam modum quo Deus omni tempori creato omnibus materiæ mundi partibus correſpondet, ex notione tamen quam habemus de Ente ſumme perfecto concludimus Deum æque poſſe creare & annihilare ac loco & tempori correſpondere, & viceverſa.

CAPUT V.

De tribus Elementis Carthesii.

SECTIO I.

In qua proponitur ejus Hipotheſis.

§. 1.

ANtequam Carthesii Elementa ad rationis trutinam expendantur, notandum ejus Hipotheſim de rerum Principiis non ut certam ſed ut poſſibilem effictam eſſe, poſtulat enim ut ea, quæ proponit non pro Theſi habeantur, imò ingenue fatetur vir Mathematice doctiſſimus in ſuo tractatu de lumine nonnulla à ſe aſſumi, quæ conſtat eſſe falſa, quo commodius mathematicorum more naturæ phenomena explicare poſſit, ſuamque Hipotheſim fictam eſſe, & ab iis quæ Scriptura Sacra de rerum creatione tradit, diverſam. Vide Purchotii Phiſicam part. 2. Sect. 2. cap. 1. pag. 51.

§. 2. Cum laudatus vir tria in hoc Univerſo corporum diſcrimina adverterit, quæ aliunde quam à tot diverſis materiæ ſpeciebus ſeu Elementis prodire ipſi non videntur, quædam

enim cernuntur corpora *lucida* ſeu lumen ex ſe emittentia, ut Sol, Stellæ fixæ, ignis, alia *pellucida*, ſeu diaphana ſeu lumen per ſe transmittentia, cujuſmodi eſt Cælum illud expanſum ſeu liquidum ambiens Æthereum, in quo Stellæ omnes, Planetæ, Orbiſque noſter Terraquéus continetur, imò Aer noſter atmoſphericus & quadam proportione Aqua, variique liquores, alia denique *opaca* ſeu lumen remittentia & reflectentia, ut Planetæ omnes, Terra quam habitamus, pleraque in terra naſcentia: hæc inquam advertens, triplicem materiam finxit, (non multo aliter Ariſtoteles quaternionem Elementorum à quatuor qualitatibus tactilibus, calore, ſcil. frigore, ſiccitate & humiditate deduxit) primam *ſubtilem* quam. primum ſtatuit Elementum, ſubſtantiam tenuiſſimam, minutiſſimam, fluidiſſimam, celerrime mobilem, nullius formæ tenacem, omnium, more fluidorum facilè capacem. Hæc in corporibus lucidis & ignitis maxime dominatur. Secundam *Globoſam* ſeu materiam æthercam, cæleſtem, quam, ſecundum dicit Elementum & ſæpius Ætherem appellant diſcipuli. Hoc non ſolum ut primum elementum, corporum craſſiorum meatus implet, ſed etiam puriſſimi Ætheris vel Cæli ſubſtantiam principaliter efficit. Tertiam materiam *craſſam*, *ſtriatam*, ſeu *ramoſam*, quam tertium conſtituit Elementum ex qua corpora omnia opacá ut Planetas coaluiſſe contendit.

§. 3. Operæ prætium exiſtimavit vir ingenioſiſſimus horum Elementorum originem, mundique aſpectabilis ex his formationem mechanice explicare; ut ſuum ſcopum facilius attingat, aliqua ſibi concedi poſtulat.

§. 4. Primo ut à Deo creetur materia homogenea & uniformis, indefinite extenſa, diviſibilis, & mobilis, ſed nondum diviſa & mota, ad motum & quietem indifferens. Secundò, Ut illa materia in principio magna vi mota dividatur à Deo in partes quam proxime inter ſe æquales & magnitudine mediocres

diocres licet ſenſum effugientes, anguloſas potiùs quam Sphericas, alioquin admitteretur Vacuum quod juxta ipſum implicat, quandoquidem plures globuli ſimul juncti, ſeque tangentes, Spatium non replent. Tertio: Ut Deus omnes & ſingulas partes illas moveat ab initio æqualiter, eamque præciſe in orbe Univerſo manere motus quantitatem, quam in prima rerum geneſi produxit, putat enim Cartheſius *Deum fore mutabilem ipſiuſque ſapientiam variare* ſi ſemel de novo motus producatur vel deſinat eſſe. Quartò: ut ſingulæ partes circa propria centra ſigillatim moveantur, plures vero conjunctim circa communia quædam centra in morem vorticum volvantur, ita ut totidem ſint centra communia in hoc Univerſo, quot ſunt Stellæ fixæ & Planetæ; (per vortices intelligunt RR. paſſim magnam copiam particularum, quarum motus inter ſe conſentiunt, ut circa commune centrum ferantur,) his præmiſſis.

§. 5. Ubi primum communis omnium materia in ipſa mundi Origene, vehementi motu etiamnum ſicut ipſa materia perſeverante, fuit agitata, partes primæ inter ſe ab initio fere æquales & Anguloſæ, ſecundum diverſas & aliquando oppoſitas determinationes modo directe, modo indirecte, ſibi occurrerunt; inde colliſiones, reflectiones, quibus in varias quaſi Provincias ſeu Vortices abeant neceſſe eſt.

§. 6. Ex ſimili particularum conflictu & attritu concipitur omnes Angulos fuiſſe lævigatos, unde particulæ, caſtigatis angulis, in globulos tornatæ, qui prius formati non poſſint ita jungi quin perexigua intervalla ſeu ſpatiola inter ſe relinquant, hinc neceſſe, ob vacui impoſſibilitatem, ut preſegmina ſeu ramenta ex abraſione Angulorum inſtar pulveris aut ſcobis tenuiſſimæ nata, globulorum interſtitia repleant; hæc vero ramenta cum celerrime agitantur & aſſidue continuato motu comminuuntur, ſummam tantamque adeptæ ſunt tenuita-

nuiratem & fluiditatem, ut figuras interſtitiorum quæ permeant & replent facillime induant exuantque.

§. 7. En duo Carthefii Elementa, nempe ramenta minutiſſima, quæ, indefinitæ parvitatis (nullus enim horum moliture ac trituræ modus aut finis) primum dicuntur Elementum ſeu *Materia ſubtilis*.

§. 8. Partes abraſione Angulorum Sphericæ factæ ſeu *Globuli* in alios multo minores diviſi, & diviſibiles, (indies enim ſine fine comminuuntur ſi Carthesio credamus) ſecundum vocantur Elementum.

§. 9. Tertium Carthefii Elementum ſequenti modo concipitur; cùm non eadem eſt Scobis ſive ramentorum ex globulis cadentium ſubtilitas, craſſiora minus diviſa minuſque celeriter agitata, tanquam Tartarus aut fæx hujus fluidæ ſubſtantiæ, ſimul connexa & implicata, facile ſibi mutuo adhærent, inque varias congregantur moles, ex quarum accurſu & conſociatione tam maculæ ſolares & vulgata quatuor Elementa, quam Planetæ omnes conglobantur.

§. 10. Hæc moles *materia craſſa* ſeu tertium Carthefii Elementum intitulatur, item *Materia ſtriata*, quoniam ramenta craſſiora ab initio per interſtitia globulorum tranſeuntia debent fieri in modum cochlearum ita intortæ ut quæ ab uno extremo vel polo, (ponamus Auſtrali,) veniunt, non in eaſdem partes intortæ ſunt ac quæ veniunt à Boreali.

§. 11. Cum Globuli juxta Carthefium à centro vorticis reſpectivi ad circumferentiam recedentes & circa id celeriter agitati, faciunt, ut materia primi Elementi indies ab attritu globulorum magis augeatur, quam ſit neceſſe ad replenda globulorum interſtitia, ejus reſiduum ad centrum accelerat, in quo ſolem Sphericum conſtituit, quod in uno vortice contingit debet pariter in omnibus contingere, hinc Stellas omnes fixas totidem eſſe Soles affirmat.

§. 12.

§. 12. Ex illo continuo accurſu Materiæ ſubtilis ad centrum, quæ cum alia congenere in vortice rapidiſſime agitata conſociatur, intelligitur ſolis actio qua partem cæli ad certam uſque diſtantiam transfeit & globulos propellit.

§. 13. A primi Elementi cuncta permeantis & interfluentis diverſo motu, variiſque motus determinationibus juxta Naturæ leges ordinatis, variatur configuratio, contextus, & poſitio aliarum particularum, ſive novarum acceſſu & preſentia, aliæ ab aliis divellantur, ſive quarundam receſſu & abſentia magis arctentur, aut quocunque alio modo transponantur & à priſtina ſerie recedant, quamdiu enim minutiæ ex quibus res quæque componitur eundem ſervant ordinem, tamdiu res ipſa ne altera quidem videtur, hinc corporum raritas, denſitas, & Elaſticitas, fluiditas & ſoliditas, variæque mixtorum tam animatorum quam inanimatorum alterationes & corruptiones unice & maxime deſumendæ.

§. 14. Hæc Carthesii Hipotheſis ex paucis, nec intellectu arduis ducta principiis indies longius provecta eo tandem devenit, ut ſæculo noviſſime Elapſo non tantum in Mechanicis, & Aſtronomicis, verum etiam Dioptricis plurimiſque aliis *Medendi* ſcientiæ ramis nihil fere intactum reliquit.

§. 15. Nemo recentiorum facilè inficias ibit, ſubſtantiam maxime actuoſam æthere & aere atmoſpherico multo ſubtiliorem in Sole, Stellis, & Corporibus Lucidis potiſſimum vigere, quæ ex iiſdem tanquam ex mari igneo & lucido irradians, & cum aliis congeneribus in liquido, pellucido, & inſtar cribri poroſo Æthere conſociata, in ſublunaria jugi motu influit, & intima quæque in terræ viſceribus recondita permeat actuatque, nec Ariſtoteles per ſuam quintam Eſſentiam quam aere multo ſubtiliorem admiſit, nec Chimici per ſuum decantatum Spiritum mundi, nec Beccherus, Fernellius, & alii, per ſuam Materiam Cæleſtem, nec Atomiſtæ per ſuas

Ato-

Atomos ſumme actuoſas & igneas, aliud intellexiſſe videntur; hujus vero ſicut & aliorum Cartheſii Elementorum Geneſis, magis ingenioſe efficta quam inventa paulo intimius examinanda.

SECTIO II.
In qua Carteſii Hippotheſis examinatur.

§. 1.

CArtheſius vult materiam primordialem quam indefinite extenſam & homogeneam eſſe prætendit, ante motum & diviſionem, ad motum & quietem indifferentem fuiſſe, quod minus vero ſimile ne dicam ſanæ rationi minus conſonum videtur.

§. 2. Sive quies dicatur ſola privatio motus juxta peripatum ideo, cum corpus non moveatur, quod, vere quieſcat, quæ notio cum æque probet motum eſſe privationem quietis (ideo enim quod corpus non quieſcit vere movetur) nimis probet.

§. 3. Sive ſit ſtatus ſeu modus realis & poſitivus æque activus ac ſit ipſe motus qua corpus agere & motui reſiſtere valet ſicut Cartheſio viſum, qui ſibi contradicere videtur, cùm juxta ipſum & plures ſequaciúm, corpus quo velocius vel tardius movetur, eo majores vel minores cenſetur habere vires & activitatem, rem ſerio perpendenti clarum, corpus minime movens ſolitarie ſumptum proxime accedens ſtatum tardiſſime moventis, & viceverſa, vel nullam ut quieſcat habere activitatem à ſua conſervatione quâ loco permanenter preſens ſit diſtinctam, vel ſi quam effingas, ſaltem in tantum viribus corporis tardiſſime moventis inferiorem, quam hæ ſunt reſpectu corporis velocius moti, hinc quies à Denyſe & aliis

aliis Carthesii Diſcipulis cenſetur minima velocitas poſſibilis, nec activa eſt, vel ſi, pro minima poſſibili habenda, quod contra Carthesii aſſertum eſt.

§. 4. Sive juxta Denyſe, Dagoumerum, Purchotium, & alios media via procedentes, dicatur modus ſeu ſtatus realis corporis ſed paſſivus, relatio nimirum realis, ſeu præſentia corporis loco permanens.

§. 5. Quomodocunque (inquam) ſpectetur quies, quoniam inter verum motum & veram quietem, non aſſignabilis ſtatus neuter, (niſi forte *Niſum* Atomiſtarum quem Carthesiani rejiciunt exceperis) & hoc ipſo quod corpus vere non moveatur & in eodem loco permaneat, nemine (quod ſcio) refragante, vere quieſcat & è contra, ſi corpus actu motum (eoque magis ſi cum motu creatum) juxta Carthesium non cenſetur eſſe indifferens ad motum, nullam video rationem quare corpus à Deo abſque motu creatum, (talis fuit ſtatus materiæ primigeniæ ante motum juxta Carthesium) adeoque nondum motum non vere quieſcat, per conſequens vere quieſcens, vere ad quietem haud indifferens ſit dicendum.

§. 6. Inſuper, fatentibus diſcipulis non paucis præſertim Domino Denyſe in ſua Natura ratione & experientia explicata pag. 131. omne corpus ſolitarie ſumptum & abſque motu conſideratum à natura ſua tendit ad quietem, tanquam effectum à corpore ſolitarie ſumpto reſultantem, quam nunquam, niſi adveniente motu & cauſarum externarum actione, perdit, quomodo tendentia ejuſmodi ad quietem, cum indifferentia ad quietem in materia ante motum primitus impreſſum, vel determinatio totius materiæ ad motum primitus productum ſemper eadem quantitate perſeverantem cum indifferentia ad motum vel uno inſtanti conciliari poterit, plane non aſſequor; materia igitur ad motum determinata minime

ad motum & quietem indifferens, niſì abuſive, dicēnda, idem plane de materia ſolitarie ſumpta ſine motu à natura ſua ad quietem tendente & determinatâ ſentiendum.

§. 7. Secundo vult ut materia indefinita in principio magna vi agitata dividatur in partes quam proxime inter ſe Æquales & Anguloſas potius quam Sphericas, ob vacui juxta ipſum impoſſibilis, metum.

§. 8. Materiam primordialem à Deo in principio non ſolum in particulas Anguloſas verum etiam Sphericas Cylindricas, Triangulares & cujuſcunque Figuræ excogitabilis dividi poſſe, nemo niſi Cartheſius ipſe ejuſve plerique aſſeclæ contra particulas ſphericas ſtatim ab initio ſollemniſſime proteſtantes, facile inficiabitur, quis autem non videt doctiſſimum virum quaſi per fictiones progreſſum, non qualia ſunt vel eſſent, ſed qualia poſſent eſſe delineaſſe, cum igitur *à poſſe ad actu non valet conſequentia*, nec ulla aſſignabilis ratio, niſi forte Vacui implicantia ab eo nìhil minus quam invicte demonſtrata, imo à Peripato & Atomiſtis ſatis ſuperque (ni fallor) exploſa, quæ Authorem Naturæ ad particularum anguloſarum potius quam Sphericarum vel alterius figuræ productionem obliget vel limitet, quinimo rerum phenomena multo melius explicantur admittendo particulas diverſæ figuræ ſtatim ab initio productas, hujus poſtulati nec locum nec fundamentum video ſufficiens, quod non ſolum Reverendiſſimi Huetii cenſuræ ſequenti non levem dat anſam *hæc, inquam, miracula non diſſerentis Philoſophi ſed ſomniantis, non docentis ſed optantis, unice incumbunt Cartheſiano Decreto de plenitudine rerum quæ nullum admittunt vacuum.* Verùm, etiam Atomiſtis & Dagoumeriſtis rotunde negandi materiam indefinitè extenſam, quæ nullos ſuæ amplitudinis fines habet, poſſe moveri, *ergo quod omnibus conceditur materiam moveri, Cartheſio negatur* inquit Dagoumerus.

§. 9.

§. 9. Tertio vult Carthesius eandem motus quantitatem primitus productam ſemper manere, ſemper conſervari, nullumque de novo produci vel deſinere eſſe, hinc pro ſuæ Hippotheſis baſi contendit motum cujuslibet corporis ſingularis inchoatum ſemper & æque neceſſario continuari (niſi ab aliquo externo retardetur vel impediatur in quo caſu corpori vicino communicatur) ac corpus in quiete conſtitutum ſemper quieſcit, niſi ab aliquo externo moveatur.

§. 10. Verum cùm motus, qui cum vi motrice & impetu minime confundendus, prout ab ipſis Carthesii aſſeclis deſcribitur *translatio* nimirum *continua & ſucceſſiva corporis à loco* (quomodòcunque explicetur) *in locum* vide Purchotium in parte 1. ſuæ Phiſicæ Sect. 4, cap. 3. pag. 239. Denyſe, & alios paſſim, & prout ab omnibus Philoſophis concipitur, ſit, ſicut tempus, à natura ſua & eſſentialiter ſucceſſivus, ſeu partibus quarum una eſſentialiter ſequitur alteram ſicut unda undam, conſtans, examinandum reſtat, an per li *eandem motus quantitatem* intelligit Carthesius eandem *numero* primitus à Deo productam & materiæ impreſſam, vel potius eandem *ſpecie* & æquivalenter, non ſecus ac Moldava vel alius quivis Fluvius in continuo fluxu conſtitutus cenſetur populariter eſſe idem hodie qui heri, & Pragæ qui in prima Scaturigine, æſtimative ſilicet, æquivalenter, & apparenter, nemo enim oculatus, niſi deſipiens dicet eaſdem numero undas hodie fieri & fluere Pragæ, quæ heri, vel primo fluxerunt, bene verò eaſdem ſpecie, ſeu æſtimative eaſdem.

§. 11. Si primum, motus à natura ſucceſſive exiſtens ſicut tempus, eſſet quid permanens ſeu quoad omnes ſuas partes quorum una eſſentialiter ſequitur alteram, ſimul exiſtens, quo nihil magis implicans & rationi difforme excogitari poteſt, niſi quis etiam vellet proterve ſuſtinere, tempus præteritum, preſens, & futurum, ſimul exiſtere.

§. 12. Si ſecundum, motus primò impreſſus neceſſario deſiit eſſe, & alius ei æquivalens de novo producitur, non aliter quam in Fluvio primæ undæ deſiêrunt & aliæ ſuccedentes de novo fiunt, fluunt, & deſinunt eſſe.

§. 13. Nec concipere poſſum quare motu vel deſinente eſſe, vel de novo producto, magis quam deſtructo vel de novo producto animali aut vegetabili, Deus foret *mutabilis* ejuſve *Sapientia variaret*, vel quomodo idem numero motus, utpote mobilis cui imprimitur modus, poterit alteri corpori communicari & migrare à ſubjecto in ſubjectum.

§. 14. Quarto non facile eſt concipere quomodo ſine vacuo à ſe invicem diſtractæ ſint, vel diſtrahi poſſint partes Univerſi indefinite extenſi, ante motum & diviſionem unitæ & continuæ: *An* (ait Clar: du Hamel) *velut flumina in glaciem concreta, ſubito confracta illa non infinita quidem ſed immenſa prope & omnino indefinita Univerſi moles? quando partes inter ſe prius cohærentes, & ſi bene auguror omnes quadratæ ne vacuum interciperent circumactæ ſunt, nec ullum inane ſpatium admiſere, hæc ſane nequeo mente complecti.*

§. 15. Inter materiæ partes primo diviſas neceſſario ſupponendum vel vacuum, vel aſſignabile erit corpus quod diviſas materiæ partes intermediat, non ramenta, quæ diviſionem præſuponunt & ab eadem oriuntur, ſicut diviſio motum, quemadmodum enim juxta Naturæ leges prius eſt partes moveri quam dividantur, æque neceſſario videtur eas prius dividi in *partes fere æquales* quam adſint ramenta; non temere ex mente Cartheſii & ſequacium ſed ſecundum certiſſimas ſummaque Sapientia conſtitutas leges impreſſus eſt materiæ motus, vide Purchotium in ſuæ Phiſicæ part. 2. ſect. 2. cap. 1.

§. 16. Reſpondet Purchotius poſt Cartheſium partes materiæ non prius à Deo diviſas quam motas, unde ſtatim ac in motu poſitæ concipiuntur, ſimul ipſarum Angulos non infle-

inflexiles excuſſos, ac ſubtiliſſimis earum ramentis vacuitates omnes oppletas concipere neceſſe eſt, imò ipſe Carthesius (inquit) tractatu de Lumine cap. 6. expreſſis verbis aìt eas ſimul fuiſſe motas & diviſas.

§. 17. Regeritur 1. Materiam primordialem ſimul creatam, motam, & diviſam, primæ diei opus, nemo, niſi Carthesius ipſe quamdiu ſui oblitus, & per fictiones in tertia parte principiorum num. 46. & ſequentibus, progrediens, facile inficiabitur, multo minus tria ipſius Elementa imò millies plura, ſi non pauciora (Deo ſic jubente & volente) in inſtanti fieri & formari poſſe, abſque ulla prævia angulorum attritione perpetuâ, & globulorum tornatione nullis unquam neque tenuitatis, neque temporis finibus terminanda. Aſt hôc ipſi admiſſo, quomodo materia primordialis ex tribus elementis ſimul creatis, motis, & diviſis, conflata, poſſit dici homogenea, magis quam congeries Atomorum inſectilium diverſæ figuræ in ſententia Atomiſtarum? niſi velit materiam à tribus ſuis Elementis inter ſe diverſis id eſt à ſemetipſa per intellectus luxuriantis fictionem diſtinguere: ad quid præſuponit materiam ad motum & quietem indifferentem, poſtmodum in partes Anguloſas diviſam, quæ abraſis Angulis in globulos tornatæ ſunt, ſi omnia ſimul creata, mota, & diviſa, taceo materiæ, ad motum & quietem indifferentiam prorſus implicare, niſi effingat materiam diu priuſque creatam, quam motam & diviſam, in quo caſu, quamdiu nòn movetur, tamdiu vere & neceſſario quieſcit, ut antea dictum. Quis non videt motum & diviſionem partium Anguloſarum & ſubſequentem ex angulorum attritu & colliſione globulorum tornationem prorſus temerarium eſſe & ſuperfluum, adeoque Naturæ legibus quas ipſe dictat minus conformem, juxta quas, prius, prioritate etiam temporis, fit corporis v. g. ligni per ſerram ſcindendi, motus, quam diviſio, & diviſio, quam Scobis & ramentorum

torum formatio, idem ſentire videtur Dagoumerus dum in ſua Phiſica pag. 404. ait: *Certe ſi poſtulâſſet diviſionem ante motum, vel ſimul cum motu ſimultaneitate naturæ, erraſſet Carthe-ſius.* Admiſſa hac ſimultate motus & diviſionis materiæ, liquet Cartheſianam Hipotheſim vacillare minuſque firmo ſtare talo.

§. 18. Secundò, cum materia ſubtilis Carteſii ſit quaſi pulvis inſtar Scobis minutiſſimæ, qui prodit ex Angulorum tornatorum aſperitate, vel (ſi mavis) qui, abſque ulla prætenſa angulorum lævigatione ſuppoſita, ſimul cum duobus aliis elementis concreatur & movetur, motuſque ab initio productus etiamnum permaneat, quid illas primi Elementi Atomos connectit, diviſæ enim ſunt & ſeparatæ, variiſque figuris comprehenſæ, non ita ſe tangunt, quin ſpatiola omnino vacua relinquant, aut, ſi figuram nactæ ſint quadratam, quâ Inane excludere videntur, (hoc valde improbabile, cum figuras interſtitiorum minimorum quæ permeant, facilime induant exuantque, & plauſibilius ſit dicere, illas figuram ad motum & fluiditatem aptiſſimas, qualis non eſt quadrata vel Angularis, nactas) quare non ſunt ita denſæ & compactæ, nec non ad motum haud magis habiles quam ramenta craſſiora ex quibus vulgata juxta Carteſium conglobantur Elementa; imò, potius, quare in jugi motu conſtitutæ & diviſæ poros non efformarent ſubtiliſſimos, qui, nullo ſubtiliori exiſtente, omnino vacui forent, quid enim materiæ mundi ſubtiliſſimæ, fluidiſſimæ, & rariſſimæ, globulos prementis, eorumque interſtitia interfluentis, poros replet?

§. 19. Si alio ſui generis ſubtiliore, hocque alio, pleni dicantur, (in Materia ſubtili gradus ſubtilitatis admittunt Carteſiani) fit proceſſus in infinitum, quod Natura ſecundum Saniores Philoſophos neſcit, hinc in minimis Elementaribus ab Authore Naturæ ſufficienter primitus diviſis & motis minime

nime admittendus, admittendo enim infinitos actu poros, neceſſario admittenda infinita actu corpuſcula, poros efformantia, & infinita pariter alia, eoſdem replentia verbo infinitæ partes juxta ſcholas æquales, infinitum Cathegorematicum, cujus poſſibilitatem pauciſſimi admittunt.

§. 20. Si dicant Atomos materiæ ſubtilis, ſubtiliores & ſubtiliſſimos, aliorum minus ſubtilium poros & interſtitia replentes, hinc vacuola excludentes non dum nec primitus in minores, diviſas, licet indefinite diviſibiles, nullos habere poros uſque dum dividantur magis quam materia primordialis homogenea, & plena ante primum motum & diviſionem.

§. 21. Nemo non videt Atomos illas omnium ſubtiliſsimas primitus & etiamnum indiviſas, à Natura inſectiles eſſe, cum juxta eoſdem, ulterioris diviſionis hucuſque nulla, indiviſionis vero, tam ad Vacuum quod horrent, quam ad proceſſum in infinitum præcavendum ſumma ſit neceſsitas, ac proinde cum Atomis Gaſſendiſtarum molliorum coincidere, hi enim aſſerunt rerum minima Elementaria, quæ licet, de potentiâ Dei abſoluta & extraordinaria nullatenus limitanda, dividi poſſe haud inficias eunt, à Natura infinitum neſciente, & nihil fruſtra molliente prorſus inſectilia & indiviſibilia eſſe.

§. 22. Profecto rationi (ni fallor) valde conſentaneum videtur, minima rerum Elementaria ab Authore Naturæ in *principio* ſimul & ſufficienter mota & diviſa, nequaquam ulteriori ſui diviſioni, aut unius elementi in aliud tranſmutationi, bene vero, pro perenni & reciproca mixtorum generatione & corruptione, mediante motu, tranſpoſitioni, ſubjici; adeoque tria decantata Carthesii Elementa ſi in ſe invicem tranſmutentur (prout opinatur) vel tranſmutari poſſint, minime pro principiis rerum primis & phiſicis reputanda quibus in Eſſendo non datur prius creatum & in quæ, mixta ultimo reſolvuntur, hoc olim ſatis ſuperque confirmavit magnus

gnus Stagirita cum dicit principia phiſica eſſe ea *quæ neque ex ſe invicem, neque ex aliis, ſed ex ipſis omnia fiunt.*

§. 23. Dato vero licet non conceſſo, rem ita ſe habere, prout hodiedum immaginantur rigidiores Cartheſii diſcipuli cum Magiſtro, adhuc quæritur, quoties Atomi primi Elementi ſubtiliſſimæ nondum juxta Hipotheſim in minores diviſæ licet in jugi & perenni motu conſtitutæ, & interſtitia aliorum minus ſubtilium replentes iiſdem occaſionaliter egrediuntur, ſibique vel aliis congeneribus obviæ, poros vel interſtitia inter ſe effórmant, quid has ſubtiliſſimas atomos nondum poroſos connectit? vel ſi ſolo contactu uniantur quid illis ſubtilius, eorum poros vel interſtitia replet; ſi contendant eorum poros neceſſario adhuc ſubtilioribus repleri; æque neceſſario & hi adhuc actu ſubtilioribus & ſic in infinitum, cujus conſectarium inevitabile eſt, infinitum categorematicum quoad multitudinem & numerum actu dari; vel in Atomo Gaſſendiſtarum inſectili ſiſtendum, in quo caſu vacuola diſſeminata admittere vel inviti cogentur: ſi vero dicant Atomos ſubtiliſſimas nondum diviſas in tali caſu neceſſario dividi, ne fiant vacuola, ſemper redit actualis proceſſus diviſionis rerum naturalium in infinitum, ex ſcholis Philoſophorum rejiciendus, hìc enim non eſt quæſtio mota an poſſibilis ſit diviſio materiæ vel continui in infinitum, Deo ſic abſolute volente, bene vero an actualis continuatio diviſionis elementorum primo primorum, legibus Naturæ & Regulis ſanæ phiſicæ correſpondeat.

§. 24. Si per modum effugii familiaris dicant continuationem diviſionis materiæ ſubtilis non procedere in infinitum, ſed in indefinitum, præterquam quod tale ſubterfugium magnam ſapiat ignorantiam, perinde ac ſi fateantur ſe ignorare an divisio ejuſmodi finita ſit an infinita, hoc aſſerere eſt idem plane ac si dicant numerũ aureorum in crumena vel ciſta con-

contentorum vere parem aut imparem, *indeparem* eſſe, ideo quod neſciant an par ſit an impar. Vide dicta cap. 4. Sect. 1. §. 12.

§. 25. Alii prout notat Maignanus in ſua Philoſophia naturali opinantur ſe hanc difficultatem ſolvere, aſſerendo, partes ſolidas denſi, corporis rari materiæ v. g. ſubtilis poros tanquam magis patulos implere, illius vero poros arctiores, partibus tenuioribus hujus, oppleri, & ita ab uno, poros alterius reciproce ingrediendo, præpediri omne vacuum.

§. 26. Qui ſic ratiocinantur, non videntur advertere (ſi ſtent ſuis principiis) in materia ſubtili poros eſſe minimos, (ſecus de Aere Atmoſpherico & Aqua judicandum,) adeoque non pororum ejus magnitudinem ſicut multitudinem in preſenti caſu conſiderandam, aſſignent egregii viri corpus quodcunque denſum cujus particulæ poros materiæ ſubtilis globulos permeantis repleant, non *globulos ipſos* qui interſtitia ſeu porulos à ſe formatos & à materia ſubtili occupatos replere nequeunt ut cuivis liquet, nec à Cartheſio (quod ſciam) ejuſve aſſeclis dicitur ipſos globulos quamdiu indiviſos poroſos eſſe, materiamve ſubtilem, eorum ſubſtantiam, bene vero interſtitiola ab eorum contactu formata, permeare, non *materiam ſtriatam* quæ utpote contexta ex ſtriis & ramentis primi Elementi minus indiviſis, minuſque agitatis, imo ex ipſa materia ſubtili in craſſam & ſtriatam converſa, *cum nempe partes ipſius aliæ in alias incurrendo motum ſuum amittunt, ut in maculis quæ in ſolis ſuperficie concreſcunt accidere putat Cartheſius.* prout iiſdem verbis notat Cl. Purchotius in ſuæ Phiſ. part. 2. cap. 1. Sect. 2. pag. 51. hoc inquam tertium Elementum materiæ ſubtiliſſimæ porulos minimos ſubintrare minime dici poteſt.

§. 27. Quinto, admiſſa continua Elementorum diviſione mediante primo motu etiamnum durante, ex perpetua corpuſ-

puſculorum concurſione & ramentorum decuſſu, globuli perpetuo exeduntur, parteſque materiæ craſſiores perenni motu abreptæ continuo deterentur, nec intelligitur pro ut optime notant Henricus Morus, Huetius, & du Hamel, quomodo ex ramentis ſeu primo Elemento rurſum prodire poſſunt, conſequens erit, primum Elementum aliquando totum Univerſum occupare, ita augeri neceſſario indies primum Elementum, minui vero tandemque deleri ſecundum, ut Sol primi Elementi Centrum, Lunam, cæteraſque Planetas, & aſtra ſibi aſſimilet inque ſe convertat, ut univerſus Orbis in Solem aut Stellam Mareve igneum degenerare poterit, (his par quippiam in ſuprema rerum conflagratione eventurum docebant olim Stoici) dicere enim ex materia ſubtili gigni *ſtriatam* atque ita primi Elementi auctum coerceri, id quidem minime globulorum exeſionem & detritum ſiſtit, quibus ſemel exeſis, materia ſtriata quoniam poroſa, longe facilius quam globuli ſolidiores & minime poroſi in primum Elementum cujus eſt portio craſſior quaſi fæx & reſiduum, converti poteſt, non ſecus ac nix & glacies in aquam diſſolvitur.

§. 28. Cl. Dagoumerus qui fatetur Cartheſium non ſatis attendiſſe ad hanc difficultatem, nec unquam dixiſſe maculas ſolis ſtellarumve, cum de earum diſſolutione egit, in globulos converti, nec inſinuaſſe ex pluribus minutiis conflari ſecundum Elementum, judicat ex macularum diſſolutione quotidie generari globulos, ſicut ipſas maculas ex materia ſubtili in particulas ſtriatas concreſcente fieri. *Quidni* (Dagoumeri verba repeto) *ex macularum diſſolutione quotidie generentur globuli? poſſunt enim reperiri partes adeo induratæ, adeo condenſatæ calore ſolis, ut illæ abraſione Angulorum forte molliorum fiant ſphericæ: imo quidni particulæ ſtriatæ plures expulſæ vi ſumma à ſole inter Globulos, & circulariter agitatæ cum illis, Globuli fiant? affrictu Striæ prominentes poſſunt abradi, ſicque fieri læves,*

ves, & rotundari poſſunt Moleculæ prius factæ in ſua latitudine & profunditate Triangulares, dum tranſibant ſecundum Lineas axi Paralellas ad Centrum hæc ille in ſua Phiſica Generali.

§. 29. Contra hanc Elementorum Carthesii in ſe invicem converſionem præter hactenus dicta adhuc regeri poteſt, *primò*, maximum eſſe diſcrimen inter Globulos juxta Dagoumerum ex maculis ſolis, & particulis Striatis tornatos, & globulos ſecundum Carthesii Elementum conſtituentes, *hi* utpote minutiæ materiæ primordialis homogeneæ, moleculis nondum diviſis licet diſtinctis & diviſibilibus conſtantes, minime ſunt in ſua ſubſtantia poroſi, magis quam materia ipſa primordialis plena, ante diviſionem conſiderata, *illi* vero utpote concretiones ex maculis ſolaribus, etiam ſecundum Carthesii Elementum à ſua ſubſtantia haud excludentibus, adeoque trium Elementorum producto, conglobatæ, hinc è moleculis actu diviſis & motis coaleſcentes, poroſi ſunt & à materia ſubtili tam permeabiles, quam interſtitia Globulorum primi generis, porulos non in ſe, ſed inter ſe efformantium; *Hi* ſimplices, & in ſe indiviſi, Elementi nomen quodamodo merentur, *illi* ex tribus Carthesii Elementis compoſiti, non tam pro Globulis quam globulorum & Striarum glomeraminibus, non pro Elemento potius pro compoſito Elementato habendi.

§. 30. *Secundò*: Globuli Dagoumeri ob texturam poroſam minus ſolidi multo facilius exeduntur, & in materiam ſubtilem degenerant, quam Globuli Carthesii, adeoque nondum ad captum intelligitur, quomodo ſecundum Elementum exeſum, ex primo vel tertio prodeat, nondum ſatisfit dubio de converſione Univerſi in ſolem vel ſtellam, ſtante Elementorum Geneſi ad Mentem Carthesii.

§. 31. *Tertio*: Hæc Doctiſſimi viri opinio hipotheſi Carthesianæ minus conformis videtur, Carthesius enim principii

parte 3. §. 123. & part. 4. §. 8. negat ramentorum primi Elementi coagmentationem, unde oritur tertium Elementum, ullumve aliud corpus, aſſequi poſſe ſoliditatem Globulorum ſecundi Elementi, ex quo inferendum nec maculas ſolares nec particulas tertii Elementi ſtriatas in ſecundi naturam poſſe converti, hoc aſſerere perinde erit ac ſi *ex ſcobe* dicat *Scobinam fieri.*

§. 32. Sexto, quando ad Viventium & animalium Organiſmum, ſtructuram, functiones, vim plaſticam ſeu ſui quoad ſpeciem multiplicativam deventum eſt, Cartheſii rationes Mechanicæ & ſimilitudines à machinis & automatibus deſumptæ fere nos deſerunt & contemplatoris phiſici animum nullatenus quietant.

§. 33. Pro Coronide cum philoſophiæ Cartheſianæ baſis & fundamentum ſit dubitatio, nec leviter, nec oſcitanter, dubitare nos jubet, quinimo cavendum ſæpe monuit vir ingenioſiſſimus, nè iis præbeatur aſſenſus quorum clara & diſtincta non habetur perceptio; an ipſe poſteris ità claram ſuorum Elementorum, eorumve geneſis reliquit Ideam, ut ejus aſſertis indubitanter & ſinè erroris formidine aſſentiamur, ejúſque principiis Medicinæ theoriam & praxim ſuperſtruamus, cuivis ſolide dubitanti & prægreſſa ſinè præjudicio ruminanti judicandum relinquo.

§. 34. Interim ingenue fatendum hoc philoſophandi genus non prorſus repudiandum, imò præ plurimis aliis dilaudandum, repudiatis enim, primùm, præjudicatis opinionibus quod ſummo philoſopho digniſſimum, à pauciſſimis penes ſimpliciſſimis principiis captu facilibus Geometrarum more exorſus vir mathematicè doctiſſimus, in maxima copia ſi quis alius brevis & ſubtilis, inque ſumma brevitate dilucidus, tantam (pro majori ſaltem parte) in ſcriptis connexionem rerûmque ordinem obſervavit, univerſam pariter Naturam ejuſ-

que

que vires velut oculis ſubjiciendas ita mechanicè explicare aggreſſus eſt, ut ejus principia non tam excogitata videntur quam inventa: hinc non pauci etiamnum primæ claſſis philoſophi tam cum eo conſentientes, quam etiam maxime diſſentientes, tanti viri exemplo ducti, ejuſdem veſtigia & methodum in rerum naturalium phenominibus explicandis ſequi non erubeſcunt.

CAPUT VI.

De Principiis rerum juxta Atomiſtas.

SECTIO I.

De Pleno & Vacuo.

§. 1.

EPicurus etſi primus, juxta Theodoretum, nominis *Atomi* inventor, non primus doctrinam de Atomis in Phiſicam introduxit, hanc enim à Democrito cui plane ſuccinit, non ſecus ac Democritus à Leucippo mutuatus eſt. Vide Eruditiſſimum Bernierum Philoſophum & Medicum Monſpelienſem in ſua Epitome Gallica Philoſophiæ Gaſſendi, quoniam verò hanc philoſophandi rationem nec intellectu ita difficilem, nec terminorum multitudine vel abuſu involutam, imò ſuis principiis etſi forſan minuus veris, nec à ſenſibus tamen, nec ab ipſa forte Natura à parvis initiis ad ſumma progrediente multum abhorrentibus, optimeque inter ſe cohærentibus conformem, præ aliis ſui temporis illuſtravit vir ingenioſiſſimus, haud immerito principalis doctrinæ Atomiſticæ quam Lucretius verſibus expoſuit, propugnator & anteſignanus audit.

§. 2.

§. Hanc pene exoletam & quaſi ſepultam non tantum reſuſcitavit verum etiam doctiſſime ac emendate inſtauravit noſtri ſæculi Epicurus redivivus famigeratiſſimus inter modernos Philoſophos Petrus Gaſſendus, Natione Gallus Vir omni doctrina Eruditus.

§. 3. Ego juxta meum inſtitutum ab Hipotheſibus pro poſſibili, præſcindendi, non decidendo, ſed aſcetice dubitando, candideque aliorum placita recenſendo quid in Epicurii doctrina ſolide probari, quid fundate rejici poteſt pro ingenii mei tenuitate laconice & eâ quâ poſſum claritate explicare conabor: nulla enim huc uſque extitit nec probabiliſſime extabit philoſophorum ſecta quæ licet veritatem ſanamque rationem in plurimis aliqua ex parte cernat, ità omnibus numeris abſoluta ut in plurimis etiam non raro claudicet, & à veritatis tramite haud parum recedat, ut tandem ad propoſitum redeam.

§. 4. Veteres Atomiſtæ rerum omnium principia *Pleno & Vacuo* ſeu *Atomis* & *Inani* contineri ſtatuentes, docuerunt Orbem univerſum ex utroque ab Æterno exiſtentibus de novo & in tempore coaluiſſe, ipſiuſque geneſim non fatali neceſſitati, ſed temerario & fortuito Atomorum in ſpatio vacuo & immenſo concurſui, ſicut & ejuſdem futuram diſſolutionem fortuito eorum diſſidio tribuendam.

§. 5. Atomos has ſingulas neceſſario increatas, diverſimode configuratas & graves, alias aliis ponderoſiores, jugi & irrequieto, naturali tamen motu, in ſpatio immoto agitari & deorſum ferri contendunt; idem cecinit Lucretius:

Nec tamen hæc quantum eſt in ſe, dubitamus opinor,
Quin Vacuum per inane, deorſum cuncta feruntur.

Hinc factum eſt ut in tempore poſt varias colliſiones & repercuſſiones, itus, rediturſque, tandem ſolo caſu & non ſapientia coaluit Mundus hic aſpectabilis.

§. 6.

§. 6. His non infundate opponunt Anti-Atomiſtæ, cum corpora gravia cenſentur ea quæ centrum petunt & ſecundum ipſos deorſum feruntur, inque Spatio immenſo nullum ſit immaginabile centrum, nihil abſurdius excogitari poteſt quam Atomos, præſertim ante eorum concurſum, in eodem Spatio gravitare vel ſurſum aut deorſum ferri. Taceo Veteres Epicureos & vel maxime Lucretium, virum alias perſpicacem & ingenioſum, in primo ac ſecundo libro de Natura rerum, Stoicos & Accademicos arguentem, quod Mundum hunc Divina virtute creatum divináque providentia adminiſtratum velint, haud vulgare cæcitatis humanæ ſpecimen exhibuiſſe.

§. 7. Has Epicurii Atomos, oblivioni fere datas, non ſecus ac Spatium ejuſdem, retinuit multumque excoluit prælaudatus Gaſſendus cum plurimis RR. huic ſententiæ addictiſſimis, eas vero à Deo in tempore creatas ac proinde contingentes eſſe, contra Veteres Epicureos Catholiciſſime docuit, omnemque Atomorum motum, affectiones, ac dotes, in Deum Creatorem ac Primum Motorem refundit, nihilque minus autumant Gaſſendiſtæ, quam Atomos cæco impetu agitari aut temere in ſe invicem concurrere, ſed potius à ſapientiſſimo Motore, conſtanti certoque motu cieri, ſinguliſque (ſaltem plurimis) non tantum motum, verum etiam *niſum* ſpecialem ad motum, impreſſum fuiſſe, quo diverſis feruntur viis & modis.

§. 8. Hunc niſum juxta eoſdem ſequuntur, ſi nihil fortius ſit quo impediatur, eumque vel inter obſtacula retinent, ſic igneæ Atomi in ligno vel alio combuſtibili deliteſcentes, terreſtribus implicatæ, niſum ad motum retinent, quo, ubi primum fractis repagulis liber éxitus aperitur, in motum localem erumpente, Atomi igneæ ſui juris factæ ſtatim avolant, & aliis congeneribus conſociatæ ignem viſibilem exhibent. Pro

faci-

faciliori doctrinæ Atomiſticæ captu penitius in Atomorum Naturam inquirendum, quo rite intellecto, Vacui diſſeminati notio magis perſpicua fiet. Sit igitur.

SECTIO II.

De Atomis.

§. 1.

MAteria & Corpus ſimplex juxta Atomiſtas in eo diſtinguntur quod materia ſit congeries ſeu complexio corpuſculorum ſimplicium, corpus ſimplex ſeu minimum volunt eſſe ſubſtantiam extenſam ob parvitatem inviſibilem, revera tamen indiviſibilem & inſectilem, quam *Atomum* ſeu *punctum phiſicum* vocant, hocque fundate diſtingunt, tam à puncto Zenonico ab Authore ſic dicto, quod à Zenoniſtis definitur *pars prima magnitudinis prorſus inextenſa & indiviſibilis.* Quam à Geometrico ſeu Mathematico, quod nonnulli ſed perperam cum Zenonico confundunt, & definiunt *pars magnitudinis aliqua à Geometris ſpectata, non habitâ ratione extenſionis & diviſibilitatis,* ſive ipſi conveniat extenſio & diviſibilitas ſive non, vide Dagoumeri phiſicam pag. 115. & ab Euclide deſcribitur *id quod concipitur quaſi nullas habens partes, licet re ipſa partes habeat.*

§. 2. Ex hactenus dictis inferendum rerum Elementa non ideo vocari *Atomos* quaſi eſſent minima omnem prorſus magnitudinem & extenſionem excludentia ſicut puncta Zenonica, vel tantæ parvitatis ut minor Atomus, quam ſua extenſione & figura contineri fatentur, ſit impoſſibilis, ſed quia ita ſolida, dura, ac compacta ſunt ut nec naturæ viribus imo nec divinitus ſecari aut dividi poſſint.

§. 3

§. 3. Atomus juxta Leucippum Democritum & Epicurum *ob parvitatem inviſibilis, ob ſoliditatem inſectilis*, à RR. deſcribitur *certa natura plena ſinè vacuo, ſolida & indiviſibilis*, eatenus (ajunt) res diviſioni eſt obnoxia, quatenus vacuola ſeu ſpatiola inania habet intercepta, quocirca Atomi continuæ & ſolidæ nulloſque poros admittentes, nullum prorſus ſectioni vel diviſioni præbent locum, bene verò ex atomis compoſita, quæ eo ſunt molliora tactuique magìs cedunt, quo magìs ſunt poroſa aut plus inanis admittunt, idem cecinit Lucretius:

Hæc nec diſſolvi plagis extrinſecus icta
Poſſunt, nec porro penitus penetrata retexi
Nec ratione queunt aliâ tentata labare:
Nam neque conlidi ſinè inani poſſe videtur
Quidquam, nec frangi, nec findi in bina ſecando,
Nec capere humorem, neque item manabile frigus
Nec penetralem ignem quibus omnia conficiuntur

admiſſis igitur ſpatiolis adeo inanibus ut nullo prorſus repleantur corpore, neceſſario ajunt admittenda corpuſcula minima adeo plena & ſolida ut nullum penitus vacuolum intercipiant.

§. 4. Dari congeriem hanc Atomorum materiam rerum primordialem conſtituentium, eâdem, inter alias, ratione probant, quâ Ariſtoteles materiam ſuam primam exiſtere demonſtrat, quemadmodum hic, ſubjectum aliquod primum & commune ortus & interitus expers, generationi & corruptioni neceſſario ſubeſſe contendit, quod materiam vocat, ex quo omnia fiunt & in quod omnia reſolvuntur, ità Epicurei advertentes corpora quæque viſibilia quotidie diſſolvi ac dividi, neque naturam in infinitum progredi, nihilque miſceri nihilve generari poſſe, nisì miſcibilia in minima reſolvantur. non ſecùs ac corpora metallica in aquis ſtygiis, vel ſalina in aqua communi non prius ſuperficialiter diſſolvi dicuntur quam in minimas fere

partes impalpabiles ſint comminuta, concludunt reſolutionem corporum naturalem & intimam in atomis ſeu corpuſculis minimis terminari,quæ in alias minores non magis dividi poſſunt quam ſe ſe mutuo ob ſoliditatem penetrare; in hâc, cum unitate & vera continuitate conjuncta, potius (ajunt) conſiſtere videtur ratio corporis quam in partium extenſione, eatenus enim materiæ partes extenſæ ſeu extra ſe diffuſæ concipiuntur quia ob ſoliditatem ſe non penetrant, adeoque impenetrabilitas ex ſoliditate manat.

§. 5. Tandem concludunt Veteres, quoniam nihil fit ex nihilo, nihil abit in nihilum, neceſſariò in ultima & intima corporum diſſolutione ſicut in primo eorum concurſu remanet aliquod indiſſolubile, inalterabile, & ſuam naturam mutandi incapax, quod nomine *Atomorum* exprimunt, ſi moleculæ ex atomorum concurſu & unione conflatæ non intimè diſſolvantur, Lucretius contendit materiam rerum variis mutationibus, quibus quotidie ſubjacet, variarumque formarum, quas induit & exuit receptioni minùs aptam fore.

Non poſſent ea quæ debet genitalis habere
Materies, varios connexus, pondera, plagas,
Concurſus, motus per quæ res quæque geruntur.

§. 6. Hiſce & aliis VV: rationibus adjiciunt Recentiores Atomiſtæ, nihil præter Atomos ſeu minima phiſica corporibus ineſſe quæ per ſe & propriè ſimplici Creationi ſingula quæque ex nihilo, ſicut generatio ex præſuppoſito ſubjecto, eruenti reſpondeant atomi igitur ſolæ in quovis continuo phiſico ſimpliciter & ſtricte creantur, ipſum verò continuum phiſicum ex harum agregatione reſultans non tam creari niſi impropriè & vulgariter, quam gigni & componi dicitur. Vide Maignanum, du Hamel, Bernierum, & alios Gaſſendi ſequaces, hinc compoſitum phiſicum v.g, homo, non creationis bene verò generationis eſt terminus, licèt ipſius compartes anima ſilicet & atomi

cordus

corpus conſtituentes, ſint creatæ, quocirca ſi minima phiſica ex aliis minoribus conſtare ſupponantur, ob eaſdem rationes ea non creari ſed ex aliis præſuppoſitis conſtare gignique dicendum: Atomus igitur ut creationis ſtrictæ & ſimplicis terminus neceſſariò incapax eſt diviſionis licèt non extenſionis, alias earum congeries materiam extenſam haud conſtitueret, hujus conſectarium eſt productionem materiæ ut continuæ nullatenus, ſicut Atomi, unam vel ſimplicem creationem dicendam, magìs quam creatio Animarum rationalium vel omnium Angelorum pro una & ſimplici creatione habenda, non poteſt enim juxta Maignanum, creatio eſſe *plurium ſimul per modum unius*, ſed diſtinctè, quælibet ſingularis creatio eſt rei creatæ ſingularis & determinatæ, adeoque tot putat vir Doctiſſimus fieri creationes ſingulares, quot ſunt creatæ partes materiæ, phiſicè indiviſibiles.

§. 7. Reſpondet Dagoumerus, in Hipotheſi materiam reſultare ex agregatione partium quas Deus primò ſeparatas produxit & poſtmodum conjunxit, dici poteſt eam non magìs forte creationem terminare, quam domum ab Architecto creari, qui partes domus prævie productas tantùm diſponit, & conjungit, totum verò reſultans ex agregatione multarum partium quas Deus primò conjunctas licèt diſtinctas produxit, & poſtmodum diviſit, (talis eſt materia primordialis & homogenea Cartheſii) pro creationis termino immediato habendum.

§. 8. Hæc ſolutio (dicet Atomiſta) licet plauſibilis in ſententia Dagoumeri & aſſerentium, matetiam prius productam quam motam, & motam quam diviſam, infirmiſſimo ſtare talo videtur in ſententia ipſius Cartheſii, Purchotii, & aliorum, qui per modum effugii ad evitandam ſummam de Vacui inter partes materiæ primo diviſas neceſſitate difficultatem, à primis ſuis poſtulatis retractantes affirmant, partes materiæ ſimul creatas

tas,motas,& diviſas, ſicut Capite 5tò Sectione 2da §. 31. notatum.

§. 9. Contra Hipotheſim Dagoumeri etiam regeri poteſt diviſionem partium materiæ quas Deum prius conjunctas licèt actu diſtinctas, quam diviſas creaſſe ſupponit, particularum naturam & ſpeciem nullatenus mutare, etenim eædem ſunt numero partes materiæ, minutiſſimæ, poſt diviſionem quæ fuerunt nondum diviſæ, ſingulis ſive diviſis ſive conjunctis actu tamen diſtinctis, æque competit definitio materiæ ab ipſo allata *ſubſtantia* nimirum *entitativè multiplex* harumque quævis quomodocunque ſpectetur, ſecundum ipſum habet *pluralitatem partium quæ ſubſtantiæ ſunt* non aliter (proportione ſervata) quam decem vel plures particulæ ſive guttulæ aquæ ex una majori gutta in totidem diviſa, prodeuntes eædem numero ſunt ſeparatæ & diviſæ quæ fuerunt in majori gutta ante diviſionem conjunctæ & unitæ, quo conceſſo, non video quare ſingulæ partes materiæ ſecundum Dagoumerum homogeneæ & actu diſtinctæ, quas Deus prius conjunctas quam diviſas aut ſeparatas produxit (pro ut ipſe ſupponit) non æquè terminare poſſint creationem ſtrictam & ſimplicem, ac ſi creatæ fuiſſent diviſæ. Diviſio enim nuda ac ſimplex non magìs (nî fallor) actionis partium productivæ, quam ipſarum diviſarum vel conjunctarum naturam mutat vel mutare poteſt.

§. 10. Reſpondetur igitur aliter huic Atomiſtarum argumento, eos nulla ratione ſufficienti evincere poſſe Deum unico & ſimpliciſſimo creationis actu non creaſſe ſimul nedum creare potuiſſe omnes Angelorum Hierarchias, idem de minimis materiæ ſimul creatis ſentiendum; 2dò Multiplicitatem terminorum ſimplicium ſimul creatorum, non magis quam unius ſolius, actionis earum creativæ multiplicitatem arguere; ſicut in phiſicis plurium globulorum plumbeorum unica exploſione ex tormento bellico vel catapulta ſimul exploſorum multi-

multiplicitas, actûs exploſorii multiplicitatem non magìs arguit quam ſi eodem actu unicus tantumodo globus exploderetur, multiplicitas enim non ſupra entitatem (ut cum ſcholis loquar) actionis creativæ vel exploſivæ, bene vero ſupra earum terminos cadere videtur. Ad id quod objicit Maignanus creationem non poſſe eſſe plurium permodum unius, hoc minimè evincit rerum ſimul creatarum actionem creativam non unam nec tam in ſe ſimplicem eſſe quam ſit divina & intuitiva rerum omnium cognoſcibilium cognitio, quæ non aliter quam per rationem ratiocinantem per modum unius concipi poſſunt.

§. 11. Tametsi hactenus ab Atomiſtis propoſita confirmare videntur dari minima naturalia in quolibet Continuo sive quanto extenſo ultra quæ Natura forte progredi nequit, minimè verò ſaltem non ſufficienter convincunt eadem simul extenſa eſſe & prorſus inſectilia prout hodiedum sicut olim mordicus tuentur, contra Ariſtotelicos nervoſè propugnantes corpus ſeu ſubſtantiam quamcunque extenſam, ſemper & in infinitum divisibilem.

§. 12. Ante ulteriorem hujus nodi velut Gordij indagationem, præmittendum, nullam in tota Phiſica quæſtionem ità intricatam, ità problematicam, magìs in ſcholis agitatam, minuſque (si Carthesianis pro ſe intereſſatis danda fides) ad phenomena rerum explicanda utilem, nec dum deciſam, quam sit de Continui divisibilitate; (per Continuum non intelligimus quantitatem ſeu magnitudinem à materia abſtractam more Mathematicorum, quæ nuſquam eſt nisì in mente Geometræ, ſed more Phisicorum eidem immerſam, & nisì forte per miraculum inſeparabilem) hinc mirum non eſt si tam Veteres quam Recentiores in claſſes ſecti in plures eáſque diverſas abiêrunt ſententias, eorumque non pauci præſertim è Carthesianorum familia difficultatem hanc, nihil definiendo

evita-

evitare conantur, *ſi partium oppoſitarum rationes* (inquit Cl. Purchotius) *duntaxat audias nihil validius, ſi reſponſiones ad objecta nihil debilius, itaque optimum factu nobis viſum eſt, ſi adductis utrimque argumentis & reſponſionibus mediam quandam ineamus viam, ac celebratum illud forſanque inſolubile de materiæ diviſibilitate problema, quod ad rerum naturalium explicationem inutile eſt, in medio relinquamus.*

§. 13 Alii poſt Zenonem Matheſi addicti, inter quos eminent Hebertus & Illuſtris Stair, contra Peripatum materiam conſtare ex punctis indiviſibilibus, aſt contra Epicureos prorſus inextenſis acriter contendunt.

§. 14. Cum ita ſit limitata noſtra intelligendi vis, ut vel in tenuem arenulam impingendo deficiat & obnubiletur mentis acies, non mirum ſi quodcunque in hac materia nondum deciſa ſtatuerit, reprehenſionem vix ac ne vix effugere poſſit, nec mihi igitur huic negotio impari vitio vertet Lector candidus ſi rem hanc difficilem pro clariori doctrinæ Atomiſticæ conceptu ſuperſicialiter proſequar, & adductis tam Epicureorum, quam Ariſtotelicorum rationibus aliquot magis obviis, Tyronumque Medicorum captu facilioribus meum tenue adjiciam calculum.

SECTIO III.

De continui diviſibilitate ſecundum Atomiſtas.

§. 1.

EPicurei contendunt cum plurimis è Peripato contra Thomiſtas 1. Partes in Continuo non poteſtate duntaxat, ſed actu inter ſe diſtinctas contineri, cum enim unum quid & prorſus idem à ſe ipſo dividi nequeat, maxima diſtinctionis

nota

nota eſt ut ea quæ à ſe mutuo ſeparari poſſunt & ſeparata exiſtere v.g. pes quivis in Hexapeda ab alio pede, digiti manuum vel pedis à manu vel pede, cortexve arboris à corpore lignoſo idque à ſubſtantia medullari eidem continua, divelli poſſint & divulſa conſervari, ante ſeparationem actualem prævié actu diſtingui; taceo plurimas dari partes *in triplici* regno (ut cum chimicis loquar) quæ non tantum numero verùm etiam ſpecie ab aliis ante omnem diviſionem vel deſignationem diſtinguntur, in abiete vel quocunque vegetabili reſinifero partes ſalinæ à terreſtrioribus, oleoſæ & reſinoſæ ab aquoſis, ſenſibiles & minus activæ ab inſenſibilibus & actuoſis idque ante ſicut poſt diviſionem vel deſignationem quamcunque haud dubiè plus quam numero differunt; quis ſenſatus inficiabitur, venas ab arteriis vel aliis venis quibuscum continuantur & inoſculantur, fibras carneas à nerveis, partem animalis dolentem ab alia vicina eidem continua non dolente, frigentem altera calida, non actu ſed potentia & poſt deſignationem inter ſe diſtingui? quis ſibi perſvadebit plures aquæ guttulas in unam majorem coeuntes deſinere eſſe actu diſtinctas? vel ſi eadem denuò, aliave ejuſdem vel diverſæ molis in plures guttulas dividatur, an earum entitates antea diſtinctæ & diviſæ de novo gignuntur, an non potius eandem ſervant entitatem ſive conjunctæ ſint ſive ſeparatæ?

§. 2. Nec obſtat dicere unitatem Compoſiti vel Continui cum partium minimarum multitudine incompatibilem eſſe, unitas enim compoſitionis partium componentium multitudinem nullatenus, ſicut unitas ſimplicitatis, excludit, imò nec aliud habent motivum Thomiſtæ ſententiam hanc amplectendi, quam ut infinitas actu partes in continuo quod in infinitum diviſibile ajunt agnoſcere non cogantur.

§. 3. 2dò Ideo inter alia affirmant Atomiſtæ partes Continui non eſſe ſemper & in infinitum diviſibiles, quia *natura neſcit*

infi-

infinitum nec juxta ipſum Peripatum in cæteris Naturæ operibus conſequenter nec in diviſione Continui progreſſum in infinitum, quod ne poſſibile eſſe plurimi arbitrantur, uſquam animadvertimus, quidquid igitur creatum id *numero, pondere*, & *menſura* eſt definitum.

§. 4. Quis (ajunt) rationabiliter concipiet magnitudinem certam & ex omni parte limitatam v. g. pilam manu prehenſam partes habere actu infinitas & diſtinctas, eámque in eaſdem partes diviſibilitate non conſummabili diviſibilem? an non contradictionem involvit manifeſtam aſſeverare continum limitatum partes numero infinitas continere? quaſi verò totum aliud ſit quam collectio omnium partium, vel omnes illæ partes ſimul ſumptæ toto ſint majores, ex quo inferendum ſi continuum quodvis partibus conſtans actu diſtinctis ſit in infinitum diviſibile, neceſſariò in grano ſinapis vel pede acari erunt partes actu infinitæ, neceſſariò numerus infinitus id eſt numerus ſummus & extremus, qui ſecundum ſaniores Philoſophos implicat, cum non tantus eſſe poteſt quin ei ſemper aliquid in infinitum addi poteſt.

§. 5. Nec valet reſponſio uſitata Thomiſtarum aſſerentium partes continui eſſe infinitas potentia duntaxat non actu, cum fundetur in eorum aſſerto partes continui ante diviſionem vel deſignationem non eſſe diſtinctas, recenter rejecto, hinc cæteri é Peripato cum aliquot Cartheſianis reſpondent in quovis Continuo partes eſſe duplicis generis, *aliquotas* quæ aliquoties repetitæ totum ipſum cujus ſunt partes conſtituunt, eæque determinatam certamque habent figuram, menſuramque definitam, & dicuntur *æquales uni certæ* ac determinatæ parti, ut partes æquales pedi, vel ſex pedes hexapedæ, has in Continuo actu diſtinctas non infinitas eſſe numero, nec qua tales in infinitum diviſibiles eſſe ultro fatentur, ne, cum omnes quantulæcunque forent, aliæ ſint extra alias poſitæ, numerum in magnitudine

finita

finita, infinitum facerent, qui juxta eos implicat, in Hexapeda non ſunt niſi ſex pedes. *Proportionales* vocant eas quæ certa proportione decreſcunt ſeque habent ut *totum & pars* v. g. pes, ſemipes, quadrans pedis &c. dicuntur etiam *communicantes*, earum enim quælibet innumeras alias in ſe continet, exemp: gratia, pes continet duos ſemipedes, ſemipes uterque bina media, horum rurſus quodlibet in duas medietates ſicque in infinitum, nec unquam exhaurietur diviſio.

§. 6. Hæ (ajunt nonnulli) non exiſtunt in Continuo niſi potentia, nec ſunt niſi potentia diſtinctæ, proindeque numerum non faciunt niſi diviſione, quæ cum finita ſit, numerus earum partium non eſt niſi finitus actu, licet poteſtate, ſicut ipſa diviſio, in quantum ſemper ulterius fieri poteſt, infinitus. Sic in Continuo admittunt infinitas partes indeterminatas potentia, ſeu ſyncathegorematicè, minimè verò determinatas actu diſtinctas & cathegorematicè.

§. 7. Urgent Epicurei, iiſdem ipſis rationibus quibus Scotiſtæ contra Thomiſtas contendunt, *partes æquales* ante omnem diviſionem eſſe realiter actu diſtinctas, æque efficaciter probari partes quas vocant proportionales etiam ante omnem diviſionem à ſe invicem actu diſtingui & à Deo Omniſcio qua tales cognoſci quas denuo repetere brevitati conſulens ommitto.

§. 8. Res enim nec æqualiter nec proportionaliter dividuntur vel dividi poſſunt niſi in ea quæ actu inſunt; quis ſemotis logomachiis non videt, ſicut in ulna ſint actu duæ medietates quarum unaquæque eſt ſemi ulna, à ſe invicem ante omnem diviſionem actu diſtinctæ, utriuſque ſemi ulnæ medietatem certa proportione decreſcentem binis aliis actu diſtinctis, hujuſque medietatis medietatem aliis ſicque conſequenter ſi fiat proceſſus in infinitum, binis medietatibus æque ante diviſionem actu diſtinctis conſtare. Hoc ſuppoſito, quis etiam non videt, partem ulnæ proportionalem, medietatis, v. g. pri-

ma ulnæ medietate millies ſupra millies, imo centies millies & ultra minoris medietatem, certa proportione ſicut prima ulnæ medietas decreſcentem, ab alia ſui comparte æque actu diviſibilem & actu diſtinctam eſſe, ac prima ulnæ medietas ante omnem diviſionem à ſua reſpectivè comparte, æque etiam medietati comparti certæ & determinatæ & qua tali à Deo cognitæ *æqualem* extra ſuam compartem *aliquotam* eſſe, aliquoties enim repetita, medietatem cujus eſt pars cum ſua comparte æque conſtituit ac ſemi ulna repetita ulnam facit.

§. 9. Si dicas Medietatem aſſignatam eſſe potius *partem æqualem* adhuc in partes proportionales ſinè fine diviſibilem, quam *partem proportionalem* (eodem modo ni fallor de medietate, millies ſupra millies minimâ aſſignata vel aſſignabili, minore imò ſic in infinitum diviſibili ratiocinandum) liquet ex hac reſponſione non tantum ulnam, verum etiam medietatis ulnæ medietatem minimam aſſignatam vel aſſignabilem poſſe in ſimiles partes æquales actu ante diviſionem æque ac primæ duæ, ulnæ, medietates, diſtinctas in infinitum dividi, nec unquam ad partem proportionalem & indeterminatam perventum iri, hujus conſectarium eſt Continuum actu conſtare partibus æqualibus actu diſtinctis & infinitis, in quas in infinitum diviſibilitate non conſummabili dividi poteſt contra eorum reſponſionem & Hipotheſim, infinitum enim actu ſeu Cathegorematicum vel quoad magnitudinem vel quoad multitudinem ſeu numerum, prorſus implicare contendunt.

§. 10. Si dicatur minima ulnæ medietas aſſignata vel aſſignabilis *proportionalis* & non æqualis, ideo quod ſemper certa proportione decreſcat, cum eadem medietas minima aſſignata vel aſſignabilis æque in duas medietates, quarum una comparti diviſibili tanquam uni certæ & determinatæ à Deo ùt dictum qua tali notæ æqualis ſit, ac binæ medietates ulnæ ſibi invicem, quomodo minima medietas aſſignabilis & à Deo actu

actu diviſibilis à partē æquali diſtinguatur, vel quare à ſua comparte actu diviſibili, non præviè actu ſit diſtincta, plane non video.

§. 11. Si denique dicatur pars aliqua ideo proportionalis & communicans quia innumeras alias ſe minores in ſe continet, quæro an duæ, lineæ pedalis, medietates ſemipedales, quæ reſpectu lineæ pedalis in qua continentur, partes æquales ab ipſis dicuntur, ante diviſionem actu diſtinctæ, non millenas ſupra millenas partes æquales gradatim minores actu diſtinctas & diviſibiles in ſe non continent? adeoque purum videtur opus intellectus purumque ſubterfugium ad evitandam difficultatem inventum, aſſerere, partem aliquam gradatim alia minorem ideo *proportionalem* dici, quia in majori continetur quæ in quantum in duas medietates ſibi ſive *uni certæ æquales* à Deo actu diviſibilis, eodem jure *pars æqualis*, *pars aliquota* dicenda.

§. 12. Nec obſtat aſſertum Recentiorum quorundam ſentientium ex partibus proportionalibus licèt actu infinitis, extenſionem ſeu magnitudinem infinitam nullatenus fieri, ſecus verò ex partibus æqualibus infinitis, ſi quis ajunt lineam pedalem exempli gratia A———c——d—B in duas medietates dividat in puncto c. & relicta una medietate A, c. alteram c. B. in alias duas in puncto d. & harum alteram d. B. rurſum in duas, & ſic in infinitum ſubdividat, ità ut ſingulæ partes ſecundum medietatem ſeu *rationem ſubduplam* decreſcant, ex illis infinitis medietatibus non exurget niſi ſemipes c. B. hocque ajunt non tantum à Phiſicis verum etiam Mathematicis demonſtratum, extra omne dubium eſſe, de hoc conferantur Purchotius & alij.

§. 13. Replicabit Epicurei fautor primo negando eorum ſuppoſitum, lineam nimirum pedalem, nisi forte per intellectum Geometræ ratiocinantis & immaginantis quod revera extra ejus

 intel-

intellectum non eſt, in minores & minores in infinitum dividi poſſe, proindeque in minimo indiviſibili tandem ſiſtendum. 2dò Nemo inficiabitur ex medietatibus in allato exemplo c. B. conſtituentibus quomodocunque diviſis non exurgere niſi ſemipedem, non ſecus ac ex medietatibus A B conſtituentibus reſultat linea pedalis, verum ſemper redit quæſtio ſolvenda, an ſingulæ partes ſecundum rationem ſubduplam decreſcentes v. g. pars c. d. vel pars d. B. reſpectu medietatis c. B. quam conſtituunt, non æque ſunt *aliquotæ*, ſeu uni certæ *æquales* extra ſe poſitæ, ac binæ medietates ſemipedales lineam pedalem conſtituentes; & ſi lineæ quandrantes in ſemiquadrantes ſubdividantur, hæque in alias gradatim minores, nemo (ni fallor) dicet medietates has decreſcentes reſpectu partis quarum ſunt medietates, non eſſe etiam inter ſe æquales & extra ſe, conſequenter partes quæ juxta noſtrum concipieudi modum proportionales & indeterminatæ dicuntur, vere & in ſe æquales eſſe & determinatas à Deo qua tales cognitas. Nec ulla aſſignabilis pars proportionalis quæ ſi ab aliis partibus divinitus ſeparetur, non in duas medietates extra ſe positas & æquales dividi poteſt, ex quo rationabiliter inferendum si ex infinitis partibus æqualibus actu diſtinctis emergit magnitudo infinita prout ipsi Ariſtotelici fatentur, eadem neceſſario etiam ex partibus proportionalibus dictis ſequetur, vel si non ex his nec etiam ex illis, ſemper contra eorum Hipothesim.

14. Inſuper dato licet non forte conceſſo ex partibus proportionalibus in infinitum ſectilibus non ſequi magnitudinem ſeu extensionem infinitam, ſaltem neceſſario ex iiſdem actu diſtinctis fit numerus ſeu multitudo infinita, nec plures enim nec pauciores cenſentur eſſe partes in Continuo quam ſunt inter ſe phisicè & realiter diſtinctæ, quandoquidem igitur in quovis corpore in infinitum ſecundum partes proportionales dictas ſectili, neceſſariò juxta prægreſſa erunt infinitæ partes actu,

nempe

nempe infinitæ medietates ſemper decreſcentes, & aliæ extra alias poſitæ, hinc abuſivè communicantes dictæ, nam à longitudine pedali aufferri poterit medietas, & ab iſta adhuc media pars, ſicque diviſibilitate non conſummabili in infinitum, ſecundùm Peripatum; quid clariùs (ajunt Atomiſtæ) quid ſolidius demonſtratum videtur, quam numerus ſeu multitudo partium actu diſtinctarum infinita, admiſſa diviſibilitate Continui ſecundum quaſcunque partes & quomodocunque nominatas in infinitum.

§. 15. Nonnulli Cartheſiani admittunt partes actu infinitas in Continuo gradatim minores, ex quibus magnitudo infinita non emergit, bene vero numerus ſeu multitudo partium actu infinita quam nullatenus repugnare prætendunt. Vide inter alios Dagoumerum in ſua Phiſica & Metaphiſica.

§. 16. Regerunt Atomiſtæ cum non paucis Cartheſianorum quoniam in Idea clara & diſtincta infiniti non aliud mente concipimus quam quod *nullos habet fines, quod eſt in ſuo genere ſummum ſeu extremum, & quo nihil dari poteſt in eo genere majus aut ulterius* qualis eſt Omnipotentia vel Omniſcientia, quis concipiet, ſinè præjudicio, magnitudinem creatam eſſe tantam cui nihil poſſit à Deo addi, vel numerum defacto eſſe, vel poſſe tantum eſſe cui unitas non poſſit adjici, quaſi verò vis creandi infinita qua sinè fine Deus creare poteſt ità exhauriri & ad eum ſtatum redigi queat, ut admiſſo vel producto effectu vel quoad magnitudinem vel quoad multitudinem actu infinito, nihil amplius creare valeat.

§. 17. Taceo in numero hominum infinito neceſſariò plures debere fieri oculos quam homines, plures digitos quam manus, plures capillos quam capita.

§. 18. Quamvis non deſunt viri doctiſſimi inter quos Cl. Dagoumerus haud infimus, qui hoc ultimum aſſertum negant, licèt quemlibet in collectione hominum infinita, binos ha-

habere oculos & manus, pluresque capillos quam Capita haud inficias eunt. Contendunt enim *plus & minus* non ſecus ac rationem *dupli, tripli, &c. paris & imparis*, haud inveniri poſſe, nisì numeris finitis ad ſe comparatis.

§. 19. Verum parcant mihi viri ingeniosiſſimi, si ſentiam me multo clarius concipere paritatem & æqualitatem quoad multitudinem, animarum rationalium cum corporibus compartibus ſive ſimul in collectione infinita ſive ſeorſim & extra eandem ſumantur, quam inter homines & oculos, digitos, & manus, vel inter capillos & capita, adeoque in eorum aſſerto multo major (ni fallor) *eluceſcit ingenii ſubtilitas quam doctrinæ claritas.*

SECTIO IV.

De abſurdis quæ Atomiſtæ inferunt ex admiſſa Continui diviſibilitate in infinitum.

§. 1.

QUis (ajunt) credet numiſma aureum vel argenteum v.g. tam ſubtiliter attenuari poſſe ut globus Terraqueus eo inaurari poſſit, vel ejuſdem ità attenuatæ particulam pede acari, imò minimâ pedis fibrâ, oculorum licet armatorum aciem eludente minorem, etiam ità dilatari poſſe ut totius Terræ ſuperficiei tegendæ ſufficiat, ſicque per totam æternitatem ſecari & attenuari poſſe, ut partes illæ nunquam exhauriantur, idem de aquæ guttula in tot partes diviſibili, ut cum toto Oceano commiſceri poſſint, ſentiendum.

§. 2. Inſuper ſatis mirari nequeunt infinitas actu partes in Continuo exiſtentes quarum ſingulæ & minimæ ſuas habent dimenſiones, magnitudinem in infinitum extenſam ſicut multitudinem non efficere.

§. 3

§. 3. Reſpondent eorum Adverſarii plurima eſſe veriſſima quæ ſenſus & immaginationis vim prorſus eludentia, ſolo conceptu & ratiocinio attinguntur, tales inter alia ſunt Antipodes, quos erecto ad Cælum capite, pedibusque ad terram depreſſis ambulare nos convincit ſvadetque ratio & experientia, dum eoſdem inverſo ſitu incedentes repræſentat Immaginatio, adeoque non omnia, quæ Immaginatio ipſa conſequi nequit, ſtatim pro abſurdis vel impoſſibilibus habenda, in quo caſu ejuſdem imbecilitas pro poſſibili emendanda; in hunc finem varia diviſibilitatis materiæ exempla adducunt RR. qnæ niſi viſa eſſent & explorata, fidem plane omnem ſuperant.

§. 4. Quis non videt apud Bractearios, unciam auri cubicam in bracteolas tenuiſſimas & quadratas, quarum exilitas & numerus fidem vix non excedit, ab artificibus contundi, ſique Cylindrus argenti calamum ſcriptorium craſſitie æquans, una vel altera auri bracteolâ circumductus, in fila tenuiſſima & minutiſſima ubique deàurata redigatur, nemo non videt illam fili tenuiſſimi in ſuperficie inaurationem forte argumentum eſſe, bracteolas antea tenuisſimas ſtupendum in modum extenuatas fuiſſe, earumque diviſibilitatem, omnem immaginandi vim excedere; ſi hoc artifices rudibus plane craſsiſque inſtrumentis efficere poſſunt, an de Naturæ divinæ in dividendo ſubtilitate ultra omnem noſtræ rationis, nedum immaginationis vim excurrente, amplius dubitandum.

§. 5. Minutiſſima etiam naturæ opera penitius contemplemur ac inter alia inſpiciamus acaros aliáque animalcula centeſimam grani milii partem non occupantia quæ vivunt, generant, organiſque omnibus ad ſenſum & motum neceſſariis quam aptè conformatis inſtructa, quantulum eſt eorum cranium cum cerebro & Meningibus? quam exiles nervi à cerebri medulla excurrentes, per eorum corpus, articulos, & junctu-

juncturas diſperſi ?] quam minuti ſunt oculi cum ſuis tunicis, humoribus & ciliis palpebras ornantibus, quantula oculorum pupilla per quem radii luminis longiſſime tenuiores tranſeunt? quantæ parvitatis ſit eorum uterus & ovarium in quo innumera propemodum alia formantur animalia, iiſdem ſed longe tenuioribus organis inſtructa ? quæ denique ſit liquoris nutritii non ſecus ac fluidi Nervei, per canales ità anguſtos fluentis tenuitas? quouſque patet materiæ diviſibilitas ex aquæ in Æolipila contentæ, mediante igne, in ventum qui flammam carbonum animat excitatque, reſolutione? in quam ſubtiles & plane innumeras partes abit lucerna accenſa; item olea diverſa verbi gratia Aniſi, cinamoni, quorum unica guttulâ menſuræ 10. vini vel aquæ ità imbui poſſunt ut ſaporem & odorem hujus olei præ ſe ferant, omitto odores v. g. Moſchi Ambræ, Caſtorei, aliorumque vaporoſorum qui perpetuo materiæ effluvio ex iiſdem diutiſſime citra ſenſibile materiæ diſpendium vel ullum fere detrimentum exhalantur, inque tot, tamque minutas partes dividuntur, ut ampliſſima ſpatia ſuâ atmoſpherâ occupent. Hæc & plura quæ in phiſica non deſunt Exempla, tot videntur eſſe argumenta quibus materiæ in infinitum, ſaltem indefinitum diviſio demonſtrari videtur.

§. 6. Replicant Epicurei ſuas Atomos tantæ parvitatis eſſe ut minima pars radii v. g. luminis, ad, oculi unius Acari, alteriuſve animalculi minutiſſimi, retinam reflexi, ex Atomorum Myriadibus componatur, adeoque exempla allegata nihil minus quam Continui diviſibilitatem in infinitum invictè demonſtrare, nec aliud ſvadere videntur quam quod ipſi ultroneè fatentur, non adeò ſenſibus & immaginationi indulgendum eſſe, ut vel Naturæ activitati, vel materiæ Mundi aſpectabilis diviſioni termini facilè præſcribantur, magìs quam ejuſdem moli, cui, juxta Peripatum, ipſum fines certi ſunt ab Authore Naturæ

turæ præſcripti qui nobis occultantur, nec vident Atomiſtæ quare Natura in cæteris operibus progreſſum in infinitum reſpuens, in ſola materiæ diviſione eundem affectaret; hinc, cum ſtante Continui diviſibilitate in infinitum neceſſariò multitudo partium actu infinita in corpore tenuiſſimo admittenda, quæ juxta Atomiſtas & Peripatum ipſum implicat, potius in Atomis ſeu minimis inſectilibus ſiſtendum eſſe concludunt.

SECTIO V.

De Atomorum Extenſione ubi de Punctis Zenonicis.

§. 1.

ATomiſtæ etiam contendunt ſuas Atomos non eſſe inextenſas ſeu puncta Zenonica, quæ indiviſibile ſpatium occupant, & ne per mentem quidem dividi poſſunt, quis unquam concipiet extenſum conſtare ex inextenſis materialibus, (talia intitulantur à Zenonicis) quæ ſibi addita magis quam ſi Spiritualia eſſent, faciant extenſionem ſeu magnitudinem: quis cum ſolido fundamento aſſeverabit punctum inextenſum eſſentialiter ſicut quævis ſubſtantia Spiritualis penetrabile, impenetrabilitatis radicem & inchoamentum dici.

§. 2. Verum quidem, quoties circulus deſcribitur tam punctum æquale cuſpidi circini, quam lineam ab altera circini cuſpide circumſcriptam, licet phiſicè & realiter extenſa, à Geometra eorum magnitudinem quantulamcunque non inſpiciente; ſinè extenſione conſiderari, nunquam verò ſinè palpabili mentis errore cum excluſione extenſionis; nunquam ſinè Cavillationibus infringent vim Aſſerti Ariſtotelici *indiviſibile* (ſupponitur inextenſum) *additum indiviſibili non facit majus.* Inextenſum enim non ſecundum partes quas non habet, ſed

ſecundùm ſe totum extenſionis expers, aliud inextenſum tangit, ſeu potius penetrat, in eodem enim loci puncto exiſtunt, nec ambo majus occupant ſpatium, quam ſi unum duntaxat punctum adeſſet.

§. 3. Nec difficultatem ſolvunt aſſerentes punctum puncto additum æque augere extenſionem ac unitas adjecta unitati numerum facit; unitas enimverò, à re ipſâ ſecreta (idem de punctis ſentiendum) in rerum natura non exiſtit, adeoque utrumque intellectus ratiocinantis opus eſt & figmentum.

§. 4. Plures eaſque tritas adducunt Mathematici contra puncta Zenonica demonſtrationes, non poſſe nimirum lineam rectam imparibus conſtantem punctis bipartito ſecari; lineam quadrati centum punctorum, cujus latus decem conſtat punctis, diagonalem ſeu oppoſitos angulos connectentem, haud longiorem ejuſdem quadrati latere futuram; diagonalis enim linea non plus comdrehendere poteſt, quam unum ex ſingulis quadrati decem lineis. Tot denique fore in minori circulo quot in majori concentrico puncta, per conſequens cùm à quovis puncto ad quodvis punctum recta duci poſſit linea, in minimo circulo circa centrum Univerſi imò in ipſo ejus centro, puncta eſſe correſpondentia omnibus extremi Cæli punctis, quo nihil abſurdiùs, nisi forte hujus conſectarium, nempe ſi bini circuli major & minor Concentrici, in lineas rectas explicentur, & dicas minoris circuli lineam, lineâ majoris ad minus ſubduplo breviorem, eidem tam quoad longitudinem, quam punctorum numerum æqualem.

§. 5. Opponunt communiter Zenonici inter alia, globum perfecte ſphericum non poſſe planum aliumve globum perfectum niſi in puncto inextenſo tangere, (idem de cylindro in linea & de priſmate aut cono per cuſpidem plana tangentibus judicandum) ſi enim per planum ſe tangerent, non eſſet ampliùs globus, ſed corpus vel planum vel angulare, adeoque cum

cum globus progreſſu poſſit totum planum tangere, concludunt planum ex punctis inextenſis neceſſariò conſtare.

§. 6. Reſpondent Atomiſtæ cum plerisque Peripateticorum, dato licèt non conceſſo eorum de globi vel plani perfecti exiſtentia ſupoſito, globum non poſſe planum tangere nisi per inextenſum *Geometricum* ſeu quatenus à mente Geometræ concipitur, ſive ut ſcholæ aſſerunt per *punctum virtuale*, præſcindens, nullatenùs verò omnem omnino extenſionem excludens, cum ejuſmodi entitas inextenſa à re extenſa diſtincta in rerum natura non datur. Hinc præfati Authores negant globum vel priſma planum poſſe tangere per punctum inextenſum *reale* ſeu Zenonicum, hoc eſt per tenuiſſimam entitatem omni prorſus extenſione deſtitutam; hæc (ajunt) à Geometris finguntur minimè verò demonſtrantur, unde non rarò abuſus demonſtrationum Geometricarum, in rerum phiſicarum explicatione; quandoquidem igitur per punctum *virtuale* non aliud intelligunt ſcholæ quam partem aliquam diviſibilem alicujus corporis *indiviſibiliter* contactam, ſeu non habita ratione extenſionis, globus planum modo indiviſibili, & non quatenus utrumque diviſibile, tangit; non ſecus ac duo corpora plana licèt profunditatem habeant, ſe mutuò contingunt, *improfundè* id eſt non ſecundum profunditatem qua talem, bene verò ſecundùm ſuperficiem, quæ, licèt qua talis, minimè profunda eſt, pro entitate à corporibus profundis ſeu quantis tangentibus diſtinctâ, nequaquam eſt reputanda. Hoc modo contactus globi & plani fieret in puncto virtualiter Zenonico ſeu eidem æquivalente idemque præſtante ac ſi punctum eſſet vere Zenonicum, licèt minimè foret Entitas inextenſa à toto corpore diviſibili diſtincta.

§. 7. Regerunt Zenonici contendentes, indiviſibile materiale æque eſſe poſſibile, ac Spirituale, vide illuſtrem de Stair, in ſua Phiſiologia nova experimentali, ex hoc inferunt contactum

globi perfecti, & plani, qui fit *indiviſibiliter*, fieri potius in puncto reali Zenonico quam virtuali & Geometrico.

§. 8. Reſp. nemo abnegabit Deum Authoritate abſoluta poſſe ſubſtantiam inextenſam & indiviſibilem non intelligentem & volentem à Spiritu intelligente diverſam creare, hìc enim nullam video implicantiam; verùm an materialis an ſpiritualis dicenda non gratìs ambigitur, an non fortè pro tertia Entitate habenda à corpore & intelligentiis diſtinctá, licet multò magìs ad Spiritus, ob inextenſionem, inſectilitatem, & penetrabilitatem, quam ad corporis radicaliter & actu impenetrabilis naturam accederet. Quomodò ejuſmodi inextenſorum & penetrabilium magìs quam Spirituum creatorum concurſus corporis extenſi Elementa vel inchoamenta dici poſſint verè non aſſequor.

§. 9. Iiſdem rationibus & incommodis premuntur aſſertores indiviſibilium tam *copulantium* quibus partes diviſibiles copulantur & uniuntur, quàm *terminantium* quibus limitantur terminanturque in ſcholis invectorum, quæ ſi à corporum tangentium ſuperficie diſtinguantur, pro commentitiis habenda; nulli enim prorſus uſui inſerviunt puncta vel *continuantia* quoniam partes approximatæ ſponte & ſe ſolis uniuntur, ſeque mutuo complexu ſtringunt. Vel *terminantia*, quibus ſublatis linea utpote finita nec proprios excedens limites ſufficienter terminatur, nec opus habet novi puncti terminantis vel creatione, vel per Emanationem aliumve modum immaginabilem productione, prout quibuſdam placet.

§. 10. Ex hactenus dictis ſequentia formantur corrolaria 1. Atomi utpote veri creationis ſtrictæ (ut dictum) termini licet extenſæ (alias materiam extenſam non conſtituerent) ſunt ſimplices & inſectiles, non aliter quam ſecundum plures è Peripato formæ perfectorum animalium licèt materiales, ſunt ſimplices & indiviſibiles; cum enim nec corporum reſolutio nec divi-

diviſio fiat niſi in ea quæ inſunt ſeu ex quibus compoſitio fit, conſequens erit, minima primordialia ſecundum quæ materia eſt creationis ſtrictæ terminus, diviſionis ulteriuſve reſolutionis prorſus eſſe incapacia, quæ niſi dicantur ſimplicia neceſſariò admitti debet progreſſus in infinitum in hoc ſicut in aliis naturæ operibus æque implicans.

§. 11. 2dò Minima materiæ licet partibus phiſicis careant, eſſe tamen materialia (ſecus ac puncta Zenonica) quia actu extenſa & à ſe invicem impenetrabilia, dimenſionibus ſuæ propriæ molis aſtricta, rerumque materialium primordia ac radices, hocque (ait Maignanus in ſua Philoſ. Natnræ Cap. 7) habet minimum Phiſicum cum Spiritu commune, quod in quantum ſimplex partibuſque Phiſicis careat ſit totum in toto ſpatio quod occupat & totum in qualibet Mathematica parte aut puncto ejuſdem.

§. 12. 3iò. Si in Continuo ſola conſideretur extenſio, abſtrahendo ab ejus ſubjecto re nimirum poſitiva cujus eſt extenſio, fatentur Atomiſtæ purè Mathematico (non verò Phiſico ſubjectum Extenſionis ante oculos habenti) æque permiſſum Continuum quodvis quantumvis exiguum in partes ut vocant proportionales nullatenus niſi per intellectum diſtinctas in infinitum dividere, vel ſi malunt ſuo conceptu ſibi efformare Continuum quaſi conſtans indiviſibilibus infinities infinitis quæ ſola juxta ſe poſita extenſionem faciant, aſt Mathematicam à materia abſtractam, non phiſicam ſeu cum materia identificatam vel eidem immerſam, ac illis indultum ſupponere tot eſſe in minori circulo quot in majori Concentrico puncta &c. horum enim implicantiam minime conſiderat Mathematicus, niſi per reflectionem phiſicum agat.

SEC-

SECTIO VI.

De Diviſibilitate Continui ſecundum Ariſtotelicos.

§. I.

Pro clariori hactenus dictorum conceptu examinandum reſtat an Atomiſtæ moderni Argumentis Peripateticorum & Cartheſianorum ſatisfaciant, quorum aliquot principaliora, magis obvia captuque faciliora breviter adducam.

§. 2. Primò, Quemadmodum ipſi Gaſſendiſtæ mordicus tuentur prorſus implicare, ut extenſum ex inextenſis fiat, vel inextenſum penetrabile impenetrabilitatis radix dicatur; quis cum meliori fundamento concipiet extenſum diviſibile ex indiviſibilibus extenſis conſtare, vel indiviſibile diviſibilitatis, magis quam penetrabile impenetrabilitatis, radicem dici.

§. 3. 2dò Quis ſinè implicantia excogitabit Corpus quantumvis exiguum, non tantum mathematicè verum etiam phiſice conſideratum partibus phiſicis in quas dividi poteſt, non conſtare; Atomus enim minima utpote extenſa, medium habens & extrema, diverſas facies, & diverſos Angulos, diverſis loci partibus correſpondentes, quæque ab aliis Atomis & corporibus in diſtinctis ſui locis tangitur, ſinè extremis à medio, & Angulis à ſe invicem diſtantibus & diſtinctis, quæ vel partes ſunt vel nihil, cum nullo fundamento concipi poteſt.

§. 4. Reſp. Atomiſtæ I. Se cum tanto fundamento concipere poſſe extenſum diviſibile ex minimis extenſis & indiviſibilibus fieri, quanto, ex minimis vel moleculis inſenſibilibus reſultat (nemine refragante) corpus ſenſibile, ſicut enim plura inſenſibilia unita corpus conſtituunt ſenſibile, ità ex pluribus Atomis extenſis & impenetralibus licet inſectilibus & inſenſibilibus mediante motu in unum corpus ſenſibile coeuntibus

tibus, æque fit corpus ſicut ſenſibile ità & diviſibile, adeoque longe meliori fundamento concipimus extenſum diviſibile ex indiviſibilibus extenſis conſtare, quam extenſum ex in extenſis, vel impenetrabile ex penetrabilibus reſultare poſſe; hæc enim nullatenus ſunt radix extenſionis vel impenetrabilitatis, ſicut illa divisibilitatis & ſensibilitatis.

§. 5. Ad 2. reſpondent, atomos utpote entitates ſimplices, & proprios creationis ſtrictæ terminos ingenerabiles & incorruptibiles, nec ex aliis componi multò minus in alias reſolvi poſſe, adeoque eorum medium & extrema nequaquam eſſe partes phiſicas àſe mutuo ſeparabiles, entitatis enim simplicis (ajunt) nullæ ſunt partes, nec aliud eſſe quam diverſos atomi reſpectus quoquoverſum extenſos, hinc licet varios habeat atomus inſectilis facies, tanquam diverſos reſpectus ſeu relationes, variósque angulos diversis loci partibus correſpondentes tanquam diverſos modos, non ideò neceſſe ut diversis conſtet partibus, singulis more entitatis compositæ ſua ſeorsim entitate donatis: imò nec locus nec ſpatium ſecundùm Epicureos, partes habeant nisì Matematicas, quibus idcircò una & eadem entitas ſimplex cum diversis reſpectibus & modis, ſua extensione indivisibili correſpondere poteſt, adeóque cùm atomus à diversis corporibus tangi dicatur in diſtinctis ſui locis, illa loca si ſpectentur in atomo simplici, non aliud quàm diversi ejusdem rei reſpectus, non ſecùs ac diversi ejusdem anguli ſunt totidem ejusdem modi, qui pro partibus phisicis à ſe mutuo ſeparabilibus nequaquam ſunt habendi, ad ſummum partes Mathematicæ & virtuales dicendi, quæ in una & eadem entitate ſola extensione (minimè verò ſolida ejusdem simplicitate) consideratâ per mentem diſtinguntur & dividuntur.

§. 6. Urgent Adverſarii omne extenſum reale figuratum, & in diversis ſui locis tangibile, (talis eſt atomus) ſaltem à DEO

DEO dividi poſſe, quis inficias ibit singulos Atomi cubicæ v. g. & simplicis angulos vi extensionis à ſe invicem æque diſtantes, ac anguli moleculæ vel corpuſculi ex Atomis multò minoribus compositi (Atomos alias aliis minores & majores paſsim admittunt Gaſſendiſtæ) & Atomo simplici cubicæ magnitudine æqualis, etiam inter ſe diſtantes, non poſſe æque ſeorsim concipi, virtute divina dividi, & quoſdam angulos, aliis intactis, excuti.

§. 7. Reſp. Gaſſendiſtæ rigidiores, ex Hipothesi quod Author Naturæ Atomos sinè partibus phisicis eſſentialiter simplices & inſectiles tanquam prima rerum exordia creaverit pro ut illi ſupponunt, eas nulla prorſus activitate nec augeri nec minui multo minùs in diverſas partes nisì per mentis luxuriantis fictionem dividi, eorumve angulos quoad ſubſtantiam excuti vel dividi poſſe, licèt ipſum angulum tanquam modum & figuram Atomi, ſalva ejus ſubſtantia divinitus variari cubicamque Atomi figuram in ovalem vel rotundam commutari poſſe fatentur; Deus (ajunt) Atomos annihilare, minores & minores in infinitum producere, nequaquam verò extenſas & inſectiles productas dividere, poteſt, cum eſſentialiter indivisibiles sint. Idem ſentit Maignanus in ſua Philoſophia Naturæ cap. 7. propoſ. 4. ubi ait, *unde poſſet quidem Deus annihilare minimum phiſicum materiæ ſicut creavit, ſed non poteſt idem dividere, (ſeu ex uno facere duo) ſicut neque illud intrinſecè compoſuit, (ſeu non fecit ex duobus) non compoſuit autem quia creavit ſeu ex nihilo fecit ſecundum totum.*

§. 8. Ad id verò quòd objicitur, singulos Atomorum angulos à ſe invicem diſtantes ſeorsim concipi, per conſequens dividi poſſe, reſpondent eos non aliter quam ut modos, nequaquam ut partes Atomorum phisicas ſeorsim concipi poſſe, cum Atomus ut res simpliciſſima ex aliis minoribus non componitur.

§. 9.

§. 9. Regeritur, Præterquam quod Atomi extenſæ indiviſibilitatem & quidem eſſentialem affirmant ſuponuntque quam nondum invictè demonſtrant viri ingenioſiſſimi, quis rem æquo animo perpendens non videt primo, hanc eorum reſponſionem ad ulteriores, quibus aliter reſpondendo, premi poſſunt difficultates evitandas, provide effictam, ſi non magìs ſaltem æque Omnipotentiæ divinæ adverſari, quam aſſertum Cartheſianorum de Vacui implicantia, quod ipſi mordicus corripiunt, de quo antea.

§. 10. 2do Nec eos alium habere finem activitati divinæ magìs ſicut decet ampliandæ quam reſtringendæ, limites deſpoticè præſcribendi, quam ut ſuam Hypotheſim adverſus nervoſa adverſariorum argumenta melius tueantur.

§. 11. 3tiò Dato, imò forte conceſſo, ſubſtantiam extenſam eſſentialiter indiviſibilem authoritate Dei abſoluta poſſibilem (idem de diviſibilitate poſſibili continui in infinitum eſto Judicium) quoniam à *poſſe ad actu* minime valet conſequentia non ideò magìs concludendum minima phiſica eſſe extenſa ſimul & eſſentialiter indiviſibilia, quam ea defacto in infinitum diviſibilia, aliumve actu exiſtere mundum extra hunc, quia poſſibilem.

§. 12. Confirmatur, Atomorum fautores admittunt dari poſſe divinitus Atomos minores & minores in infinitum per conſequens majores & majores in infinitum, non enim major requiritur in Deo potentia majores Atomos quam minores creandi, quo admiſſo, poſſit à Deo creari Atomus inſectilis monti imò Globo Terraqueo vel Orbi aſpectabili æqualis quæ in partes ſecari nequit, nec non & alia Atomus inſtar fili tenuiſſimi protenſa Diametro Globi Terraquei longior, ipſi Deo inſectilis; hæc quam abſurda ſanæque rationi minus conſona, nemo, à Logomachiis & præjudiciis præſcindens, niſi forte Epicureus, non videt.

§. 13. Inſuper concedendo dari poſſe Atomos minores & minores in infinitum non videntur reflectere ſe palpabiliter admittere progreſſum in infinitum quem Natura(ajunt) in omnibus ſuis operibus neſcit, adeoque proprium argumentum contra Continui diviſibilitatem in infinitum, in eos retorqueri.

§. 14. Molliores Atomiſtæ inter quos Cl. du Hamel & Bernierus haud infimi modeſtius de potentia divina ſentientes fatentur admitti oportere, minima phiſica de potentia Dei abſoluta ſectilia eſſe, licèt hanc ſupernaturalem, & extraordinariam ſectilitatem non eſſe phiſicæ conſiderationis imò extra omnem Phiſici Spheram acriter contendunt, quoniam cuique diſſolutioni limites ſunt à Natura infinitum neſciente præſcripti, licèt nobis occulti, manentque in omni Naturæ actione & mixtione partes quædam indiviſæ, concludunt igitur minima phiſica à Deo; ut *Authore Naturæ*, qui ſicut Natura nihil fruſtra mollitur inſectilia eſſe, eorum enim ulterior diviſio & vel maximè in infinitum, nec ad phenomena rerum naturalium explicanda nec ad corporum generationes, mixtiones, aut diſſolutiones hilum faciens tanquam Naturæ & ſupremo ejuſdem Authori inutilis ex Phiſicorum ſcholis exulare debet,

§. 15. Alia plurima argumenta eaque neutiquam contemnenda ex Geometrarum demonſtrationibus repetita contra puncta indiviſibilia proponuntur, quæ partim brevitati conſulens, partim ideò, quod meo tenui judicio, puncta Zenonica de quibus antea, magis quam phiſica impugnare videntur, nè actum nimis agere videar, lubens ommitto. De his conferantur Clariſſimi Viri Denyſe, Dagoumerus Purchotius & alii.

SEC-

SECTIO VII.

Sententia Authoris de Atomorum diviſione.

§. 1.

ANtequam mentem meam in quæſtione tam ardua necdum in ſcholis deciſa aperiam, collato utrinque argumentorum valore & reſponſionum inſufficientia ingenue cum Clariſſ. Purchotio fateor, me nullo fere argumento moveri quo unam ſententiam alteri præferre poſſim; Clariſſimum videtur Peripateticorum aſſertum omne extenſum nè minimo excepto non aliter idea clara quam ut diviſibile concipi poſſe, æque clarum videtur Epicureorum Argumentum, ſi corpus phiſicum ſemper diviſibile dicatur, partes in eo infinitas actu per conſequens infinitum Cathegorematicum ſaltem quoad multitudinem ſive numerum admittere neceſſe eſt. Contra diviſionem materiæ in indefinitum antea ſatis ſuperque actum.

§. 2. In tanta rerum calligine dico 1. minus divinæ Omnipotentiæ derogare videntur aſſerentes nullum omnino concipi poſſe punctum phiſicum ſeu extenſum figuratum inque diverſis ſui locis tangibile quod à Deo de plenitudine ſuæ potentiæ per miraculum dividi non poteſt, adeoque longè mihi probabiliùs videtur continuum phiſicum de potentia Dei abſoluta diviſibile eſſe in infinitum.

§. 3. dico 2. Cum diviſio materiæ in infinitum ad rerum naturalium generationes, corruptiones, aut explicationem, ut ante inſinuatum, nihil conducere videatur, & integra Naturæ activitas *infinitum neſciat*, ſanæ rationi meo tenui judicio conformius videri, minima rerum primordialia licèt extenſa & figurata nec viribus *Naturæ*, nec à Deo quatenus *Authore Naturæ* nihil fruſtra molliente, (alias magnæ imperfectionis argueretur

retur) in infinitum dividi poſſe, adeoque manere naturaliter ſolida & inſectilia.

§. 4. Dico 3. Admiſſa rerum, viribus Naturæ, in infinitum diviſibilitate, vacuola diſſeminata eſſe ſuperflua, quæ tam ſubito tolli, ac à mente ſupponi poſſunt, quoniam partes materiæ ejuſmodi vacuola reſpicientes, nec ſe ſuſtinere valentes, neceſſariò debent effluere, ejus enim portio ſecundum aliquas partes compreſſa ſecundum alias vacuola reſpicientes nullatenus comprimuntur, partes igitur non compreſſæ, necdum diviſæ, cum nec à ſe minus ſolidis & juxta Hipotheſim diviſibilibus, nec à vacuolo ſuſtineantur, aliarum compreſſioni reſiſtere nequeunt, hinc neceſſariò effluunt.

§. 5. Objici poteſt, Deum æque poſſe partes vacuola diſſeminata reſpicientes ac partes Orbis conditi & finiti extimas ſuſtinere, nè in vacuo immenſo diſſipentur ac effluant.

§. 6. Reſp. Magnam hic eſſe diſparitatem, DEUS Univerſi conſervationi tanquam Author Naturæ invigilans, partes extremas nè effluánt neceſſariò ex neceſſitate Legum Naturæ quas ipſe poſuiſſe videtur, ſuſtinet, quod pro miraculo non habendum, utpote Orbis finiti conſervationi naturali neceſſarium; ex effluxu verò partium vacuola reſpicientium, nihil rerum præſentium conſervationi timendum foret, præſensque rerum ſtatus ſinè ſuſtentatione ejuſmodi ſpeciali manere poteſt, adeoque miraculum foret (hoc ſinè ſumma neceſſitate à Philoſophis non admittendum) ſi Deus partes vacuola reſpicientes, & in infinitum diviſibiles nè effluant, ſuſtineret.

§. 7. Dico 4tò, Admiſſis Atomis diverſimodè figuratis, viribus Naturæ inſectilibus, implicat plenitudo rerum, hinc admittenda neceſſariò vacuola diſſeminata ſeu ſpatiola ſi non ſemper, ſaltem aliquandiu, omni corpore deſtituta, ſinè quibus nec motus fieri nec phenomena rerum explicari poſſunt, prout Gaſſendiſtæ accuratè & conformiter ad ſua principia ratioci-

tiocinantes contendunt, in hoc nihil video abſurdi, modo Vacuola non habeantur pro tot ſpatiolis realibus ab Immenſitate divina & creatura diſtinctis, eodemque ſenſu quo Vacuum ingens antea explicatum ſumantur.

§. 8. Præter argumenta in examine Hipotheſis Cartheſianæ de Vacui neceſſitate allegata, corporum diviſio motum ſi non præſuponens ſaltem concomitans, incipit ab intervallis indeterminatæ parvitatis quæ ab Atomis diverſæ magnitudinis (aliæ aliis majores & minores) & diverſimodè figuratis ità ſubito repleri nequeant quin ſint aliquandiu vacua, atomi enim ob ſoliditatem & inſectilitatem nec poſſunt effluere nec ſemper ſuas figuras interſtitiis etiam diverſæ amplitudinis & figuræ derelictis, accomodare, hinc nec in motu conſtitutæ ſe mutuo & æqualiter contingere quin inane aliquod ſpatiolum relinquant.

§. 9. Nec fluiditas corporum ſubtiliſſimorum ſinè Vacuolis eſt conceptibilis, licet enim fluidorum ſenſibilium ut aquæ & aeris Atmoſpherici fluiditas juxta Cartheſii doctrinam, in partium exiguitate, figura æquabili & ad motum expedita, motuque jugi & perturbato à materia ſubtili agitante profecto plauſibiliter ſtatuatur, quæritur, unde ipſius materiæ ſubtiliſſimæ fluidiſſimæ, & rariſſimæ, fluiditas? certè pro hujus fluiditate explicanda, vel aliud corpus hoc ſubtilius fingere neceſſe eſt, quod, ejus poros & meatus diſtendendo & occupando ſicque in infinitum, præfatam materiam fluidiſſimam agitat, vel Vacuola diſſeminata ſano ſenſu accepta neceſſariò ſunt admittenda.

§. 10. Longè melius de fluiditate ſentiunt Gaſſendi fautores, præſertim Petrus van Muſſchenbroek & alii poſt famigeratiſſimum Iſacum Newtonum, fluidum deſcribentes *congeriem corpuſculorum minimorum, quæ ſingula ſeorſim ſumpta, tam parva ſunt, ut ſenſibus noſtris non poſſint comprehendi, quæque impreſ-*

ſioni

ſioni inſenſibiliter parvæ cedunt , & cedendo facillimè inter ſe moventur. Quæ deſcriptio non tam fluidis ſenſibilibus quam fluido ſubtiliſſimo omnia perfluenti convenit.

§. 11. Mitto varia alia Gaſſendiſtarum argumenta in ſpecie rarefactionem & condenſationem corporum v. g. aeris in in Sclopeto pneumatico, aquæ in Æolipila, aliaque plura quæ admiſſa ſoliditate & inſectilitate minimorum ſinè vacuolis diſſeminatis ſano ſenſu acceptis explicari nequeunt, de his legi merentur poſt Gaſſendum Doctiſſimi Viri du Hamel & Bernierus , nec non & Maignanus qui contendit Naturam nunquam Vacuum niſi forte magnum,ſicut corpus animatum magnum vulnus, horrere vel metuere.

§. 12. Vacui diſſeminati & corporum fluidiſſimorum fluiditatis aliqualem Ideam nobis exhibet acervus frumenti vel farinæ in quo 1. varia interſtitia apparenter , imò granis frumenti vel farinæ omnimodè vacua cernuntur inter grana ſeſe ſecundùm omnes ſuperficies mutuò non tangentia , hoc ad Atomos minimas diverſæ figuræ ſe inæqualiter tangentes eorumque interſtitia Atomis ſæpius vacua applicandum. 2dò frumenti grana in acervo in conum elevato parvæ imò minimæ manus impreſſioni cedentia,& cedendo facile mota ſeque invicem tranſlabentia , fluiditatis corpuſculorum minimorum naturam quodamodo repræſentant.

§. 13. Pro Coronide ut modus quo Atomi aliæ aliis inſeruntur vel inter ſe ità connectuntur , ut ex iiſdem diverſimodè coadunatis diverſa emergant corpora ſenſibilia , plauſibiliter concipiatur, multa comminiſcuntur Atomiſtæ quæ magìs conjecturando , quam ſolidè demonſtrando aſſequi videntur.

§. 14. Primò non ſinè probabilitate ſupponunt innumeras eſſe Atomorum quoad pondus , magnitudinem,motum,& ordinem, variantium, figuras, quaſdam rotundas, alias quadratas, anguloſas , cubicas, alias cilindricas , ovales, alias aduncas, ha-

matas

matas, curvatas, quaſdam denique læves, aſperas alias, harum quævis cum ſimilibus facilè conſortium, cum diſſimilibus divortium ineunt, ob conſtantiſſimam (ajunt) naturæ legem, quâ res unaquæque ſui ſimilem quærit. Hoc demonſtrant in ſalium ejuſdem generis ſolutorum combinatione & diverſi genij in eodem vehiculo ſolutorum à ſe invicem ſeceſſione, exempli gratia in ſale communi in aqua ſoluto, quâ ignis calore leuiter exhalante, corpuſcula ſalina in fundo vaſis ſubſidunt figurâ cubicâ, conſpicua, ideò quòd ex Atomis pro majori parte cubicis coeuntibus reſultant; aluminoſæ moleculæ pariter ſolutæ, ob eandem rationem ſunt Octoedricæ, ſive octo facies easque triangulares, habentes, hoc etiam in aquæ ſalſæ guttula in vaporem ad latus vitri extenuatâ oculis microſcopio armatis cernere eſt; ſi verò aqua diverſis ſalibus verbi gratia ſale communi, vitriolo, alumine, & Saccharo, impregnata leniter evaporetur, ſalis communis particulæ in unum pro majori parte confluent nec cum aliis diverſi genii tam facilè confundentur, idem obſervare eſt in ſale ex aquis fontis mitioris Thermarum Carolinarum Vulgo germanicè *Muhlbadt* dicti extracto, licet eminenter Alkalino, nupto tamen ſalis neutrius tantillo, *ſi enim* prout notat Fridericus Hoffmannus in ſua diſquiſitione phiſico medica de Thermis Carolinis, *ſalis ità parati portio denuo in dupla aquæ portione liqueſcit, & liquamen calidæ fornaci in vitro amplioris oſtii, cujus generis eſt ſic dictum conſervale, imponitur, medium hoc ſal ſeu graviùs fundum & parietes vitri occupat, iiſdemque adhæreſcit. lixivioſum verò & alcalinum ab aqua non recedit, ſed eidem implicitum manet.*

§. 15. 2dò Atomorum connectionem genericè ſic explicant, læves Atomi, figuræque ſimplicioris & æquabilioris, aliarum angulis coercentur vel hamulis ità incarcerantur, ut pro diverſa harum cohæſione & combinatione diverſa quoad texturam & configurationem exoriantur corpora ſenſibilia; mino-

minores moleculæ quæ intra aliarum hamos aduncos minus cohibentur, tanto facilius vim motus & caloris effugientes ſe ſe expediunt; hoc in aqua vel liquore ſpirituoſo multò citius quam oleum licèt magìs phlogiſticum, nedum metallum vi ignis fuſum, in vapores abeunte, obſervare eſt.

§. 16. Tanta rerum varietas non tam à diverſa Atomorum figura quam vario earum contextu ab iiſdem derivatur, non aliter quam innumerabilia volumina, nedum dictiones ex paucis literis formata nemo non videt, aliter cum communi Atomiſtarum ait du Hamel ſonat vox illa *Roma*, aliter *Maro*, aliter *Amor*, & tamen eædem ſunt ubique literæ, quæ diverſo ordine collocatæ voces itidem diverſas efficiunt. De plurium Atomorum activitate & aliarum inertia ſermo fiet, quando de vi motrice corporum, & motu agetur.

CAPUT VII.

De Principiis rerum ſecundùm Philoſophiæ Moſaicæ Cultores.

§. I.

ENucleatis hucuſque eâ quâ potui brevitate & claritate tam Ariſtotelicorum, quam Mechanicorum de principiis rerum hipotheſibus, quandoquidem Philoſophiæ Moſaicæ, ſacræ Scripturæ, maximè conformis notio, ab iiſdem haud parum neglecta, Medicis hodiedum & vel maximè Chimiæ addictis idque jure meritò multum ſit in deliciis, nec inconſultum nec Tyroni Medico inutile fore, judico, antequam de vi corporum motrice & animantium forma fiet ſermo, celebriorum è Medicis & Philoſophis, tam hujus, quam noviſſimè elapſi ſeculi, Doctrinæ Moſaicæ Cultorum, aliam à Mechanicis mo-

dernis Philoſophandi Methodum in Phiſicis proſequentium, placita, breviter & candidè proponere; inter hos (ſaltem quos ego legi) eminent è Medicis celeberrimus Becherus Medicus Spirenſis in ſua Phiſica ſubterranea, & è Philoſophis, Recentiſſimus Author inſignis Pater Ludovicus Caſtel Societatis Jeſu in ſuo verè gravi de gravitate corporum Univerſali Tractatu, Pariſiis in Idiomate Gallico Anno 1724. edito.

§. 2. Horum quippè non pauci contendunt principium Univerſi maximè actuoſum non aliud eſſe quàm materiam Cæleſtem à Deo una cum terra primordiali creatam, à qua omnium mixtorum activitas principaliter deſumenda, omnésque formæ & virtutes animantium ſeminariæ proficiſcuntur, idem ſuo tempore opinatus eſt Fernelius exiſtimans formas omnes à Cœlo oriundas, ſuámque de opere ſex dierum Hipotheſim Sacræ Scripturæ præ plurimis conformem gloriatur Beceherus, nec aliam forte nisì magìs correctam amplexus videtur Sanctus Auguſtinus pluréſque Sanctorum Patrum prout ſolidiſſimè notat prælaudatus Caſtel. Ut hæc meliori ordine proſequar; ſit.

SECTIO I.

De Cælo & Terra Primordiali.

§. 1.

Cum DEUS in principio (ſi Angelos fortè de quorum productione nulla in ſacro Textu expreſſa mentio, exceperis) nihil creavit præter Cœlum & Terram id eſt, ſecundùm quosdam licet pauciores interpretes naturam ſpiritualem & materialem, ſecundùm plures verò inter quos Magnus Auguſtinus, materiam Cœli & Terræ proximam & primordialem, prout ſacer Textus expreſsè docet *in principio creavit DEUS Cœlum & Terram*, reliqua omnia mundi aſpe-

ctabilis, ex his producta ſunt & per opus ſex dierum ſucceſſivè formata.

§. 2 Cœlum & Terra primordialis conſideranda tanquam duo principia omnium corporum productorum & producendorum Catholica & univerſalia in ipſo creationis actu diverſimodè characteriſata, itaque (licèt inviſibiliter) formata, ut ex Cælo primordiali (ſecluſo utriuſque charactere diverſo) ejuſdem cum Terra materiæ, non poſſint, juxta Leges Naturæ idem effectus qui ex Terra primordiali vel è contra prodire; nec Terræ enim Cæli primordialis, nec Cælum Terræ vices ſupplere poteſt, niſi eorum primi characteres à Deo ſolo ſicut producibiles ità delebiles, prius aboleantur.

§. 3. Ad idem collimâſſe videtur Marcus Marci Noſter dum contendit Chaos prima Evolutione Idearum diſtingui cæpiſſe in Mundum Cæleſtem & ſublunarem, potuiſſe tamen ex hoc Ideas Cæleſtes, ex illo terrenas evolvi: pagina enim 81. Philoſ. Veteris reſtitutæ ait *& licèt materia utraque* (Cæleſtis nimirum & ſublunaris) *ex eadem Idea confuſa cæpit, ubi tamen hic Idea Cæleſtis ibi terrena ſe evolvit, nequit deinceps ex hac Cæleſtis, ex illa, Idea terrena evolvi: niſi reſolutio fiat corporis & abolitio Idearum jam evolutarum, tum ſiquidem ex hoc veluti Chao, quodlibet poſſe fieri.*

§. 4. Aliter de Cælo Primordiali opinatur Becherus in ſuæ Phiſicæ ſubter:lib. 1. Cap. 1. pag. 12. ubi dicit, *duo tantum Mundi Principia primordialia exiſtunt, unum Hyperphiſicum phiſicum alterum, heic loci de primo Hyperphiſico tantum, nempe de Cælo loquimur cui qualitates Hiperphiſicas medias nempe inter res Spirituales & corporales pro utriusque uniendis adſcribimus*; & pag. ſequenti ſubnectit, *ſequitur præfatum Cælum omnium prout diximus motuum cauſam eſſe non corporalium modo, ſed & Spiritualium rerum.*

§. 5.

§. 5. Dato licèt minimè conceſſo, Cælum primordiale cu m ſuis qualitatibus hyperphiſicis, mediam eſſe ſubſtantiam inter res ſpirituales & corporales, eorumque vinculum & unionem, quæritur quid & hanc prætenſam mediam ſubſtantiam cum ipſo corpore & Spiritu unit ? quodnamve hujus & eorum Vinculum? ſi dicatur eas mediante alia uniri, fiet unionis unio, eaque in infinitum, ſi ſe ſolâ; corpus & Spiritum unit, quare materia & ſpiritus non poſſint à Deo æquè ſe ſolis uniri.

§. 6. Inſuper cum Cælum primordiale pro ſola & unica materia rari & denſi ſeu raribili & denſescibili ab eodem Authore pag. 12. Num. 5to, ejuſdem libri ſtatuitur, quomodo materia raribilis (ut Beccheri ſtylo loquar) & Denseſcibilis ſeu quæ rarefieri poteſt & condenſari, adeoque trina dimenſione commenſurabilis poſſit dici inter ſubſtantiam extenſam & inextenſam, diviſibilem & indiviſibilem media, vel qua ratione, à materia rerum generica à characteribus præſciſa diſtinguatur, non ſatis aſſequor. Plura eaque ponderoſiora contra mediam ejuſmodi ſubſtantiam argumenta Deo favente proponentur, ubi de anima brutorum agetur.

§. 7. Cælum, Elementum Univerſale & locus in quo Terra primordialis omnium corporum materia reſpectivè paſſiva, ſubſiſtit, cujus intima quæque replet, raritatis, & denſitatis, Elaterii, generationis, vegetationis, & accretionis cauſa, in pleriſque ſuis affectibus & effectibus, cum ſpiritu Mundi Chimicorum ſano ſenſu accepto, Æthere Atomiſtarum ſubtiliſſimo, vel primo Cartheſii Elemento conſpirans, differt ab altero Cælo cujus divinus Moſes eodem Capite verſu 8. meminit dum ait *vocavitque Deus Firmamentum Cælum* idem inter alios ſentit prælaudatus Caſtel qui Duce S. Auguſtino, quem in ſui tractatus Phiſici tomo 2do pag. 246. citat, materiam primordialem à Deo creatam dicit eſſe *Semen Cæli & Terræ* quibus verbis

reſpicit Sanctus Doctor Cælum & Terram primordialem tanquam duo rerum Elementa Catholica ab initio inter ſe characteriſticè ſive formaliter diſtincta, licèt confuſa , capite enim 7. Geneſeos explicatæ contra Manicheos dicit , Deum ſecundum ſacrum textum creâſſe , non ideo præciſè quaſi materia primordialis ab initio verè fuiſſet & Cælum & Terra formâ ſenſibili donata, ſed quia ſimili charactere figurari poterat ; *non quia jam hoc erat, ſed quia hoc eſſe poterat.* Hujus conſectarium,materiam Cæleſtem & Terreſtrem non niſi quoad nos informem fuiſſe , vel dici potuiſſe.

§. 8. Materia hæc Cæleſtis in ipſo creationis actu vi motrice hinc & primo motus inſtinctu dotata omnium formarum tam rerum vitæ expertium præſertim actuoſarum , quam animatarum efficiens, earum Naturam & Hipoſtaſim pro diverſa materiæ poſt Lucem factam characteriſatione induit exuïtque.

§. 9. Terra pariter alterum Mundi principium materiale & iners, ex qua omnia corpora producta, non habenda pro noſtra ſolâ, de qua textus in eodem cap. verſ. 10. *Et vocavit Deus aridum Terram & congregationes aquarum Maria*; ejus nomine intelligenda potius materia Terraqueo-aerea tam extenſa , licèt non ita ab initio, ſicut modo & poſt tertiæ diei opus diſpoſita, quàm eſt defacto Mundus aſpectabilis , quam inchoante motu interfluit liquidiſſimus Æther ſive materia Cæleſtis.

§. 10. Aquam à Terra noſtra vulgari diſtinctam & una creatam tacite ex textu colligit Beccherus, *Terra autem erat inanis & vacua , & Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas* , an per Spiritum Domini intèlligendus Aer , ſecundum Beccherum, an potius Spiritus Sanctus aquis incubans, prout interpretum pleriſque placet , Theologis Scripturiſticis decidendum relinquo, contentus cum Clariſſ. du Hamel aſſerere, Aerem noſtrum Atmoſphericum & caliginoſum eſſe velut Terræ & Aquæ lanuginem & ramenta, ſive non aliud, quam halitus ex iiſdem continentur

nentur erumpentes, quos ſubtilior aer fluidiſſimi Ætheris omnia actuantis & ſubintrantis, veluti Capſula & vehiculum interfluit.

§. 11. Ex hactenus allegatis inferunt materiam Mundi terrenam ex Terra Arida, Aqua, & Aere, in ipſo creationis actu à ſe invicem, æque ac Cælum & Terra primordialis inter ſe, diſtinctis, confuſis tamen, tanquam immediatis rerum Elementis contextam eſſe, horumque differentiam non in raritate, denſitate, ulliſve Mechanicis affectionibus pòſt creationem reſultantibus, verum in Idea ſive charactere diverſò in prima creatione indito conſiſtere, quam ſi formam Elementorum nominare velis litem minimè intentabunt; concluduntque prima rerum Elementa confundi & commiſceri poſſe, nunquam verò transmutari ſeu u num in alterum converti.

SECTIO II.

De Prima Luce.

§. 1.

QUid per primam Lucem etiam primæ diei opus & ſecundum Patrem Caſtel, Gaſſendum, & ſaniores Philoſophos contra Beccherum & Cartheſium eorumque ſequaces, cum materia Univerſi concreatam vel ſi mavis unà productam intelligendum, haud parum inter ſeconcertant Phiſici: omnes Authorum de Prima Luce ſententiascommemorare longa quidem mora eſſet. Quidam ſed longè paueiores contendunt Lucem primam fuiſſe ſpiritualem &in ſpecie Angelos, verùm hoc ſuum aſſertum nec revelationenec ulla ratione phiſica demonſtrare poſſunt.

§. 2. Beccherus in ſua Phiſ. ſubterranea pag. 25. neſcio quo fundamento Philoſophico nedum revelatione, ſtatuens primum motum in Mundo per Angelos fuiſſe productum, ad eoſdem verbum *fiat* à Deo directum contendit; ſic cum ſacer

textus

textus habet, *fiat Lux &c.* intelligendum eſſe Lucem ab Angelis factam fuiſſe; *fiat* (ait) Mandantis vox eſt, & ad intelligentem refertur. Ajo & ego *Germinet terra herbam virentem &c.* æque (ni fallor) Mandantis vox eſt, & quæro, an ad Terram tanquam intelligentem referebatur? fatetur Vir Doctiſſimus, cum idem textus ait *producant aquæ reptile viventis animæ, & volatile ſuper terram &c.* id de Aqua vel Terra intelligendum; (idem cum dicitur *Germinet Terra &c.* ſentiendum) ſi Aquam & Terram intelligentem eſſe velit, & cum Pneumocoſmicis Animam Mundi quaſi omniſciam, tueatur Beccherus, non opus habuit ad Angelum pro primi motus, primævè Lucis productione, recurrere.

§. 3. Alii poſt S. Gregorium Nazanzienum, dicunt Lucem primam fuiſſe qualitatem abſolutam à materia diſtinctam, & à Deo per ſecundum miraculum poſt Cæli & terræ creationem productam.

§. 4. Verum enimverò cum Miracula abſque neceſſitate non ſint multiplicanda, prout optimè notat inſignis Caſtel poſt Riciolum quem citat, & S. Auguſtinum cap. Geneſeos ad litteram explicatæ dicentem, *nunc enim quemadmodum inſtituerit Deus naturas rerum ſecundum ſripturas ejus, nos convenit quærere; non quid in eis vel ex eis ad miraculum potentiæ ſuæ velit operari.* Hanc eorum de prima luce notionem, rationibus phiſicis Neotericorum qualitates abſolutas rejicientium, minimè conformem, ſolus hodiedum amplèctitur Peripatus.

§. 5. Fatetur Pater Caſtel cum communi interpretum, primam lucem *nec Solem fuiſſe informem nec nubem luminoſam* à Deo productam, eandemque quæ primo creationis inſtanti prodivit, hodiedum (ſaltem æſtimativè) ſubſiſtere, formamque & efficiens præexiſtens Solis, Stellarum corporumque lucidorum 4ta die productorum, veramque lucem jure meritò dicendam, tenebris faciem abyſſi pro tunc occupantibus directè oppoſitam.

§. 6.

§. 6. Hoc principio ſuppoſito prætendit Vir Eruditiſſimus, in ſuo tractatu phiſico, Tomo 2do pag. 268. quandoquidem „ non aliud quam Chaos & confuſio in abyſſo regnavit, Mun„ dumque abyſſum impenetrabilem reddidit, prima Lux facta, „ huic Chao directè oppoſita, cujus confuſionem abigendi, „ horrorem & tenebras diſſipandi capax fuit; hoc expreſſè „ confirmat S. Gregorius Nazanzienus dum ait *primam hujus* „ *luminis vim impertivit, quo tenebras vaſtamque & illam rerum* „ *congeriem & confuſionem omnia occupantem diſpulit.* Quid „ enim Chao & confuſioni directè opponitur quam pulchra „ rerum ordinatio & ordinata diſtinctio, quæ non ſolius pri„ mæ diei qua haud dubiè inchoabantur, ſed ſex dierum opus „ completum perfectumque fuerunt; hujus rerum Univerſi „ ordinationis & diſtinctionis principium verè productum fuit „ cum Deus dixit, *fiat Lux &c.* & hoc ſine contradictione *mo*„ *tus* eſt.

§. 7. Non quemvis motum indeterminatum & arbitrarium intelligit Author Doctiſſimus, ſed qui aptus partes diſſymbolas & heterogeneas diſſociandi & ſeparandi, ſymbolaſque & congeneres aſſociandi & congregandi, *motum* quaſi fermentativum à Deo in Univerſo excitatum, quô, viâ valde naturali per coagulationis & præcipitationis ſpeciem diverſa conglobantur corpora cæleſtia, diverſique formantur Vortices ſive particularum Mundi congenerum ad idem centrum confluentium aſſociationes, *motum* denique (ſi ejuſdem perfecta fiat Analiſis) non alium quam pattium in ſe impellentium, ſeque vi inæquali repellentium, *oſcillatorium.*

§. 8. Si enim impulſio fieret ex omni parte æqualis, nulla prodiret corporum in Chao confuſorum pulchra & diſtincta ordinatio, ſecus verò cum inæqualis fit, quo partes impulſæ verſus illos quæ minus repellunt tanquam congeneres determinantur, hinc plurium in unum collectio, acervatio, & aſſo-

ciatio,

ciatio, corpora diſtincta, qualia, globus Terraqueo-áereus, Sol, & ſydera, cum vorticibus formans.

§. 9. Motus hic oſcillatorius corpora ſegregans, & viſibilia reddens, Lux eſt verè radicalis, materiæ cæleſtis indivulſa comes, adhuc dum, Chao licet diſcuſſo, durans, ante Solis & ſyderum formationem diſperſa, in iiſdem verò 4ta die formatis collecta & unita, ab initio ob ſummam rerum Univerſi confuſionem turbida & quaſi convulſiva, modo regularis & à centro corporum ad circumferentiam viceque verſa, determinata.

§. 10. Cælo, & Terra, creatis, Lucéque una factâ, opus primæ diei, non ſolis & lunæ nondum formatorum, bene verò primæ Cælì revolutionis rerum Univerſi durationem deſignantis, abſolutum completúmque.

SECTIO III.

De Chao veterum, & Moiſis Abyſſo.

§. 1.

EX hac tam primæ lucis quam ſucceſſivæ Uuiverſi ex Cælo & Terra primordiali formationis notìone facilius eluceſcet, quid per abyſſum tenebroſam ſive primas tenebras, à tenebris ex Solis & Lunæ abſentia rèſultantibus longè diverſas, quas prima Lux ſenſim diſpulit, intellexerunt tam Philoſophi profani quem plerique ſacri textus interpretes, eaſdem cum Antiquorum Chao confundentes; de quibus ſacer textus, *& tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.*

§. 2. Chaos enim & Abyſſus tenebroſa pro Synonimis habentur ſanoque ſenſu accepta, non aliud, quam ſummam primamque rerum Univerſi confuſionem denotant; hoc confirmat expreſſè ipſe Sanctus Auguſtinus lib. 1. Geneſeos explicatæ contra Manicheos, quì licèt ab initio Chaos rejecit,

cre,

credidítque omnia ſex dierum opera in ipſo creationis Inſtanti ſimul & non ſucceſſivè formata & ordinatè diſtincta. poſtmodum retractans ait, *prima materia facta eſt confuſa & informis, quod Credo à Græcis Chaos appellari.* Taceo ſecundum ipſum, Cælum & Terram primordialem *Semen* fuiſſe Cæli & Terræ ſucceſſivè formatorum

§. 3. et Sanctus Gregorius à Patre Caſtel citatus, in ſuo poemate in Laudem Virginitatis dicit:

Omnia nox quondam tenebris horrenda tegebat.
Non erat Auroræ Splendor, &c. - - - -
Sed confuſa ſimul temerarius omnia motus
Volvebat, gravibus tenebrarum vincta catenis
Quas Chaos Antiquum toto diffuderat Orbe.

Non aliter de Chao cecinit Ovidius L. 1. Methamorphoſeos,

Ante Mare & Terras & quod tegit omnia Cælum,
Unus erat toto Naturæ Vultus in Orbe
Quem dixere Chaos, rudis indigeſtaque moles
Nec quidquam niſi pondus iners &c. - - - -
Nullus adhuc Mundo præbebat lumina Titan
Nec nova creſcendo reparabat cornua Phæbe &c.

§. 4. In quonam verò hujus decantati Chaos ſive confuſionis tenebroſæ notio plauſibilior & clarior conſiſtat, de qua inter ſe concertant Phiſici & Interpretes pro diverſitate Hipotheſium diverſimodè opinantes, breviter examinandum: diverſa litigantium ſyſtemata à prælaudato Caſtel ad tria principaliora ſatis aptè referuntur.

§. 5. Primum ſupponit materiam primordialem homogeneam & uniformem ſinè ulla partium vel diſtinctione vel diviſione, hocque ſyſtema inter alios, amplexus videtur Cartheſius cum Aſſeclis.

§. 6. Materiam taliter conſideratam, chaoticam dici poſſe nemo facilè abnegabit, cum nullus in ea ſit partium ordo, diſ-

tinctio, vel determinatio; verùm hæc de Chao notio, minus correſpondet communi interpretum notioni unanimiter aſſerentium, Cælum & Terram primigeniam in ipſo creationis actu diſtinctas fuiſſe; adeoque Chaos non tam negationem perfectam eſſe omnimodæ partium diſtinctionis, quam plurium ſubſtantiarum realiter diverſarum confuſionem & miſcelam, idem plane opinatus eſt Ovidius dum cecinit,

congeſtaque eodem

Non bene junctarum diſcordia ſemina rerum.

§. 7. *Secundum* in Chao, Elementorum vulgarium, terræ nimirum, aquæ, aeris, & Materiæ Cæleſtis, quam ignem & quartum non pauci dicunt, elementum, diverſitatem, minimè vero confuſionem & commixtionem ſupponit, potius concentricam unius elementi ſuper alterum locationem.

§. 8. Clar. Beccherus, inter alios ſtrenuus hujus ſyſtematis fautor & protector, contendit Elementa primordialia glaciei inſtar denſa fuiſſe & quaſi Cryſtallina, hancque communem denſitatem tenebroſitatis & maximi frigoris tum temporis cauſam fuiſſe, & impediviſſe, nè elementa ante *Lucis* productionem miſceri potuerint vel rarefieri; ſtatum ergo Cæli & materiæ Terraqueo-Aereæ in prima creatione ante rerum productionem per quinque reliquos dies durantem, ſe ut ovum habuiſſe ſibi immaginatus eſt vel potius ſomniavit Vir Doctiſſimus, *cujus vitellum terram, albumen aquam, cuticula aerem, & putamen Cælum, ambiens verò locus ſeu continens ovi, Deitatem indigitat.*

§. 9. Hanc notionem, Chaos ſpeciem, ſaltem reſpectu noſtri noſtrorumque uſuum, eſſe, fatendum; terra enim aquis undique circumcincta (idem eſto judicium de aqua, aere, & Cælo,) reſpectu noſtri fuiſſet inviſibilis, inhabitabilis, ac quaſi non eſſet, verum pace tanti viri & ſequacium, ejuſmodi Chaos in quo Elementa perfectè diſtincta, nullaque prorſus rerum fuiſſet confuſio, pro vero Chao vel Moiſis Abyſſo minimè reputandum.

§. 10.

§. 10. Imò è contra præſens rerum ſtatus in quo Elementa ſunt ita implicata, ut nullâ, ne vel ſpagiricorum, arte vel induſtria perfectè & ex integro ſeparari poſſint, vix non magis Chaos nomen meretur; nec Beccheri Chaos in hipotheſi denſitatis & duritiei quaſi cryſtailinæ, Elementorum, Moiſis Abyſſo ſive imperſcrutabili aquarum, vel potius materiæ aquiformis profunditati, ullatenus correſpondet.

§. 11. Tertium de Chao ſyſtema, intimam & una ſummè confuſam Elementorum miſcelam ſupponit, ita tamen ut utraque materia primordialis, Cæleſtis ſcilicet & Terreſtris, ſuorum minimorum conſtituentium horumque, formarum & characterum prorſus diverſorum diſtinctionem, in, & durante tanta rerum confuſione, conſervat, haud ſecus ac ſi aqua & terra in luto, vinum & aqua una mixta, vel ſal in aqua ſolutum, ſuarum reſpectivè partium diſtinctionem licèt nobis inviſibilem ſartam tectamque retinent.

§. 12. Hanc fuiſſe S. Gregorii Nazanzieni de Chao Ideam ſuo carmine,

Sed confuſa ſimul, temerarius omnia Motus,
Volvebat - - - - - - - -

ſatis ſuperque declarat; pariter & Sanctus Auguſtinus aſſerens Cælum & terram in principio creata, Cæli & terræ prout nunc extant *ſemen fuiſſe* ſive materiam proximam, quod idem eſt ac ſi diceret, Cælum & Terram modo pulchrè ordinata & evoluta, tunc temporis confuſa fuiſſe & involuta licèt diſtincta, ſi enim ly *ſemen* rigoroſè & ſano ſenſu ſumatur, rei nondum perfectæ, nondum ſenſibilis & evolutæ, quæ tamen ſuo tempore evolvi poſſit ac manifeſtari, principium ac Elementa denotat, *non quia hoc erat, ſed quia hoc eſſe poterat.*

§. 13 Hoc confirmat Petrus Lombardus Magiſter ſententiarum dum lib. 2. D. 12. ſupra Geneſim ait, *alii verò hoc magis probaverunt ac aſſeruerunt, ut prima materia rudis atque infor-*

mis 4. Elementorum commixtionem atque confuſionem tenens, creata ſit ; (en veram Chaos Ideam) *poſt modum verò per intervalla ſex dierum, ex illa materia rerum corporalium genera ſunt formata ſecundum ſpecies proprias, quam ſententiam, Gregorius, Hieronimus, & Beda, aliique plures commendant ac præferunt, quæ etiam Scripturæ Geneſeos magis congruere videntur.*

§. 14, Hoc 3ium de Chao Syſtema in quo Elementa per totam ſui extenſionem inter ſe ſimul intime mixta, confuſa, ac quaſi incorporata, potius aquæ lutoſæ quam glaciei denſæ & cryſtallinæ, prout ſomniârunt Beccherus aliique plures, formam præ ſe ferunt, longè melius cæteris, magiſque Philoſophicè Moiſis abyſſum tenebroſam exprimit, imò ſi hujus Univerſi corpora tam ſupra quam ſublunaria denuò (Deo permittente & jubente) ità confunderentur, in priſtinum Chaos ſive abyſſum prout nunc expreſſum, & non aliud ; haud dubiè relaberentur.

§. 15. Abyſſi nomine tam vulgus quam non pauci Sanctorum PP. & Interpretum profunditatem imperſcrutabilem aquarum ſignificant, Venerabilis Beda inter alios prætendit, quod ab initio totum Univerſum materia fuerit humida, aquoſa, nebuloſa, quaſi *Nebulæ tenues* cujus portio *condenſata* aquam Elementarem conſtituit, *rarefacta* in aerem converſa fuit, & modo mirabili collecta terram aridam, Cælos & Aſtra formavit.

§. 16. Ricciolus à Patre Caſtel citatus notat, abyſſi nomen omni tenebroſo & profundo conſequenter materiæ informi hoc eſt nulla forma ſenſibili donatæ, Chao nimirum imperſcrutabili ſatis aptè attribui poſſe, hancque fuiſſe Sancti Auguſtini & aliorum interpretum mentem, *figuratè autem transfertur* (abyſſus nimirum) *ad ſignificandam profunditatem cujuscunque rei imperſcrutabilis aut vix intelligibilis, puta materia informis ut ex S. Auguſtino, Eucherio, Chatarino, Toſtato & aliis*, hæc Ricciolus.

§. 17.

§. 17. Cum traditio originis, Univerſi conditi, tempore Thaletis ſat (reſpectivè,) recens fuerit, illudque pro abyſſo vaſta aquoſa ſeu potius cænoſa ab initio habebatur, Philoſophus ſuo tempore inſignis *ſectæ* Jonicæ Princeps, huic principio in ſua Hipotheſi omnia ex aqua ſimplici fieri, aquamque, ſolum & unicum rerum productarum Elementum eſſe, innixus videtur.

§. 18. Profecto ſi per aquam intellexiſſet materiam quaſi lutoſam & liquidam ex moleculis & minimis diverſimodè in ipſo creationis actu characteriſatis, terram, aquam, aerem, & ætherem conſtituentibus inter ſe commixtis confuſisque contextam, non longè, imò nî (fallor) nec vel minimum â ſcopo aberrâſſet.

19. Si verò omnia Univerſi mixta & miſcibilia ex ſola & ſimplici aqua homogeneâ prout non pauci ſequaces inter quos Helmontius pro Corripheo habetur, hodiedum prætendunt, fieri opinatus fuerit, cum una & eadem res ſimplex & homogenea ſecundum leges Naturæ, quas ejus Author in corporum ex materia primigenia formatione per ſex dies ſucceſſiva ad amuſſim obſervavit, non niſi numericè miſceri poſſit, Terra Primordialis (hanc ſi Aquam lutoſam & heterogeneam durante rerum in abyſſo confuſione nominare velis, per me licèt) pro mixtione rerum phiſica, qua ſimilia & congenera uniuntur & conſociantur, diſſimilia verò ſegregantur neceſſariò diverſa & heterogenea eſſe debet. Hæcque probabiliter primi ſyſtematis quod Philoſophia Naturalis poſt Adami lapſum de principiis rerum phiſicis introduxit, baſis & fundamentum; ſupereſt aquarum ſuperiorum ab inferioribus, per Firmamentum, diviſionem examinare.

SEC-

SECTIO IV.

De Firmamento & Diviſione Aquarum.

§. 1.

IN commemoratione omnium ſententiarum de Firmamento quod tanquam ſeptum ſuperiores Aquas ab inferioribus diſcriminat ſeparátque, brevitati favens non immorabor, de hoc conferantur interpretes inter ſe diſſentientes, contentus majoris claritatis cauſa prænotare ſententiam aſſerentium Cælos, ſive ſpatium diaphanum planetas, inter ſe, & ſydera diſcriminans, duros & inſtar cryſtalli, metalli vel adamantis ſolidos eſſe, à Recentioribus & Sanioribus tam Phiſicis quam Aſtronomis unanimiter rejectam, Sanctosque Patres quoties de Firmamento cryſtallino mentionem fecerunt magis comparativè quam aſſertivé locutos, nec per firmamenti ſoliditatem aliud intellexiſſe, quam ejus extenſionem trina dimenſione commenſurabilem.

§. 2. Sanctus enim Baſilius à Patre Caſtel poſt Ricciolum citatus, Hom. 3. Hexam. per Firmamentum intellexit, *corpus habens trinam dimenſionem ſed aptum ad reſiſtendum abſque duritie tamen - - - Scriptura autem ſacra quod per robuſtum eſt, neque cedit, id omne* Firmamentum *dicere conſvevit.* Et quod maximè hoc aſſertum confirmat eſt ſequens Sancti Baſilii, *nec tamen* firmamentum *ſimile cenſendum eſt aut Aquæ in glaciem concretæ aut materiæ cuipiam tali ex Aqua confectæ, qualem Cryſtalli lapidis Naturam eſſe conſtat - - eſt enim puerilis ſimplicisque mentis tales de Corporibus Cæleſtibus opiniones habere* imò plures Sancti Interpretes hanc de Firmamento ſententiam tanquam *dogma gentile* & *hæreſim* rejecerunt, vide Patris Caſtel Tractatum phiſicum Tom. 2do pag 284. & 397.

§. 3. Firmamentum à conſiſtentia phiſica, & licèt abſque duritie

ritie cryſtallina, à *Firmitate* nuncupari fatentur ſaniores Interpretes Sanctique Patres paſſim, præſertim S. Auguſtinus lib. 2. Geneſ. ad litteram explicatæ, *Firmamentum enim propter firmitatem aut propter intransgreſſibilem terminum ſuperiorum & inferiorum Aquarum vocatum intelligere licet* quis autem ſit terminus ille intransgreſſibilis, quaſi ſeptum Aquas ab Aquis diſcriminans, controvertitur.

§. 4. Quidam, inter quos Clar. du Hamel, opinantur à vero non abhorrere per Aquas Cæleſtes, ipſum Aerem intelligendum, adeoque Firmamentum Aquas ab Aquis ſeparans, à diverſo Aquarum inferiorum & ſuperiorum loco, conſiſtentia, partiumque conſtituentium texturà & configuratione, non diſtingui, ſeque ſuper S. Auguſtini verba lib. 3. Geneſ. ad lit. fundat du Hamel quòd nimirum, *Aquarum Natura bipartitum locum ſortita eſt inferiorem ſilicet in unda labili ſuperiorem in Aura flabili, illum deputatum natantibus iſtum volântibus: ſicut huic Elemento congruos duos ſenſus animalibus datos videmus, olfactum explorandis vaporibus, guſtum explorandis liquoribus.*

§. 5, Auram flabilem ſive ſpatium Cæleſte, planetas inter ſe, & ſydera, diſcriminans, locum eſſe Aquarum ſuperiorum ſicut Aſtrorum, nemo hodiedum facilè abnegabit, verum pace Doctiſſimi Viri, ex S. Doctoris verbis inferendum (nî fallor) potius, eandem eſſe ſeptum & Firmamentum Aquas ſuperiores ab inferioribus, ſicut & Aſtra à ſe invicem ſeparans, quam ipſas eſſe Aquas Cæleſtes, cum Aura flabilis nullo prorſus ſepto intermedio ſeparatur ab aquis inferioribus quas immediatè cricumcingit, contingit, comprimitque.

§. 6. Melius igitur ſentire videntur qui cum communi Interpretum Sanctorumque Patrum, ſe in hoc conformant ſenſui maximè literali ſacri textus congruè perhibentis, *fiat Firmamentum in medio Aquarum & dividat Aquas ab Aquis, & fecit Deus Firmamentum, diviſitque Aquas quæ erant ſub Firmamen-*

to ab his quæ erant ſuper Firmamentum, vocavitque Deus Frmamentum Cælum & factum eſt veſpere & mane dies ſecundus. Profecto Aquæ ſuper firmamentum ſitæ pari ratione qua Aquæ ſub Firmamento, diſtinguntur,

§. 7. Per Firmamentum igitur non aliud intelligendum, quam extenſio cæleſtis, ſive ſubſtantia Aereo-Æthera *Cælum* communiter dicta, circa globum terraqueum, planetas & aſtra, diffuſa, quæ in ſe ſinè duritie vel ſoliditate cryſtallina ſat elaſtica eſt & firma, ut globo terraqueo & Aſtris ſpeciem *Firmitatis* & conſiſtentiæ, partiumque cohærentiæ, procuret, iiſdem tanquam murus ſeparationis, limes intranſgreſſibilis, & vallum inexpugnabile, intermedia interfluenſque.

§. 8. Cælum hoc Æthereum Elaſticum (inquam) & fluidum, Planetas & Sydera formans & conglobans in tantum ſe extendit dilatatque, quantum globos Cæleſtes comprimit, hinc ſtatus utriusque reciprocus & naturalis eſt compreſſionis & dilatationis.

§. 9. Cælum enim ambiens, Aſtrorum & Planetarum circumferentiam undique comprimendo, partes eorum extimas verſus reſpectivum unius cujuſque Centrum colligit & firmat, quinimò impedit, nè ultra propriam cuique Atmoſpheram extravagentur, non aliter, proportione ſervata, quam Aqua in pelvi conſtituta, unius, vel plurium, olei inſtillati, guttarum longè à ſe invicem diſſitarum, partes in unum collectas tenet, quas vel à guttæ globo ſeu ſubſtantia ſeparatas, nimiſve dilatatas & extenſas, guttæque limites excedentes, in tantum comprimit, ut Aquæ reſpectu guttæ olei innatantis vel ſupernatantis, quam ab aliis longè diſſitis ſeparat, *Firmamentum* & murus ſeparationis dici poteſt,

§. 10, Hæc de Firmamento notio nos ad Gravitatis corporum Univerſalis clariorem Ideam formandam manuducit, liquidum enim Æthereum Globos Cæleſtes & Terraqueum ambiens,

biens, extimas eorum partes ut dictum comprimendo, in unum verſus centrum cogit, & ſi occaſionaliter in reſpectiva cujuſvis Atmoſphera, partes á Globi ſubſtantia ſecedant, eaſdem verſus Globum à quo Avelli videntur repellens, corporum gravitationis ſive ad ſuum reſpectivè Globum tendentiæ ſi non adæquata ſaltem principalis eſt cauſa, à qua Planetarum & Aſtrorum *Firmitas* & conſiſtentia, necnon, Elementorum in Chao confuſorum *ordinata diſtinctio* & *ſeparatio* vel maximè derivanda.

§. 11. His ritè perſpectis meliùs indagare poſſumus, quid per Aquas ſuperiores intelligendum, Sancti Patres & Interterpretes communiter judicârunt Deum in principio portionem Aquarum, totum Univerſum ab initio occupantium primumque *Chaos* formantium, ſuper Terram, ut eadem Aquis in ſuperficie denudata appareat *Arida*, in locum unum coacervâſſe, quod ſacro textui conforme, *congregentur Aquæ quæ ſub Cælo ſunt in locum unum, & appareat arida, & vocavit Deus aridam Terram, congregationesque Aquarum Maria.* Aliam Aquarum partem tanquam extimum Mundi fornicem ſupra Firmamentum collocâſſe.

§. 12. Non aliud habuiſſe videntur motivum, à ſummo ſuo, pro textu ſacro, reſpectu diſtinctum, hoc ultimum aſſerendi, niſi forte, ſicut notat P. Caſtel, quod verò-ſimiliorem modum, textum de aquis ſuperioribus explicandi tunc temporis excogitare nequiverint, hinc ſuum hoc de aquis ſuperioribus & firmamento Syſtema tanquam variis & inſolubilibus difficultatibus obnoxium pro Articulo fidei nunquam tenuerunt, quinimò plures hanc ſententiam utpote valde dubiam tanquam probabilem propoſuiſſe, affirmat Pater Caſtel Tom. 2. pag. 280.

§. 13. Sacer enim textus non dicit, aquas ſuperiores vel fornicem eſſe Mundi extimum, vel ſuper Firmamentum tan-

quam fornicem ſolidum & cryſtallinum collocatas fuiſſe, nec aliud nobis innuere videtur, quam Firmamentum in medio aquarum productum aquas ab aquis dividens, aquasque ſuperiores ſuper Firmamentum ſitas fuiſſe; hocque ità eſſe, nemine refragante credendum putant Sancti Patres, nunquam decidentes quomodo & quales ſint aquæ ſuperiores.

§. 14. Hanc difficultatem optimè percepit Sanctus Auguſtinus de aquarum ſuperiorum qualitate, minimè verò de earum ſupra firmamentum & in firmamento exiſtentia, dubitans, dum lib. de Geneſi ad lit. cap. 5. ait, *quomodo autem & qualeslibet aquæ ibi ſint*, (en S. Doctoris dubium) *eſſe eas ibi minimè dubitemus.*

§. 15. Aſſerendo Aquas ſuperiores ſupra Firmamentum ſolidum & quaſi cryſtallinum collocatas, vel ipſas Aquas inſtar glaciei congelatas induratasque, extimum Mundi fornícem conſtituere, præterquam quod novum maximumque ſapiat miraculum nondum nobis revelatum, nullius videtur pro Fabrica Univerſi vel uſus vel ornamenti, quod de Firmamento liquido, aquiſque ſuperioribus ſicut noſtræ ſunt, fluidis, & undoſis, flammas & ignes cæleſtes temperantibus minimè dici poteſt.

§. 16 Quid quæſo, qualem ignem vel flammas Aqua ſummè congelata utpote iners, paſſiva. hinc inutilis ſupra Firmamentum ſita, ad extimum Mundi relegata, temperare poteſt? quas tamen, æquè ac Aquæ inferiores, temperare ſolent ac debent ſuperiores, hoc non parum confirmat ſequens ex hymno veſperarum Diei Lunæ excerptúm & à prælaudato P. Caſtel citatum, *Immenſe Cæli Conditor, qui mixta nè confunderent, aquæ fluenta dividens, Cælum dediſti limitem,* firmans *locum Cæleſtibus ſimulque terræ rivulis, ut unda flammas temperet, Terræ ſolum nè diſſipent.*

§.17. Si quis objiciat Creatorem Univerſi nullis aſtringi legibus, omnium, quæ facit, uſum nobis revelare, hoc quidem certò certiùs, verùm Philoſophus Naturalis nihil debet rationabiliter admittere, quod nec revelatione, nec ſolido ratiocinio demonſtrabile, vel in defectu invictæ demonſtrationis, ſumma ſaltem probabilitate non ſtabilitur.

§. 18. Si dicas non ratione ſed ſola revelantis Authoritate Aquas ſuperiores admitti, nemo fidelium hoc facilè abnegabit, quinimò ob revelantis Authoritatem obligamur credere juxta ſacrum textum, reales & veriſſimas extra Globum Terraqueum ejuſque Atmoſpheram eſſe Aquas, quas Firmamentum ab initio diviſit, & in hunc diem diviſas retinet, nullibi verò revelatum, vel Firmamentum ipſum, vel Aquas ſupra Firmamentum inſtar fornicis adamantini congelatas vel cryſtalliſatas eſſe.

§. 19. Quidam opinantur Aquas ſuperiores fuiſſe quaſi à Deo aſſervatas pro divinæ ejus vindictæ & voluntatis executione, ideoque durante diluvio Univerſali, Terræ Aridæ faciem hiſce Aquis fuiſſe inundatam; quaſi verò Globus Terraqueus ſufficientem Aquæ copiam præſertim ſi rarefiat, pro Terræ aridæ ſuperficiei inundatione, in proprio ſinu & atmoſphera non recondat, adeoque non credibile Deum extra Terræ Globum quæſiviſſe quod in eodem à ſe productum abundè invenit, quapropter hæc ſententia quam pauciſſimi amplectuntur, plerique rejiciunt, ſicut & alia quævis de Aquis ſuperioribus hucuſque recenſita, ſinè ulla impietate repudiari poteſt, modo ſecundum literam Geneſeos, agnoſcantur aquæ ſuperiores ab inferioribus per Firmamentum ſecunda die productum diviſæ, quod minimè fornix ſolidus & adamantinus in Univerſi extremis ſitus dici poteſt, cum Stellæ magnitudine inæquales inæqualiter etiam à nobis diſtantes (aliæ remotiores, propinquiores aliæ) nec non Planetæ in Firmamento

circumfuſo pendeant, ipſa volatilia in Firmamento volitent, ipſe denique Globus Terraqueus ſuum habeat circa ſe Firmamentum in quo libratur, quoque ab aliis planetis ſeparatur.

§. 20. Cùm igitur Firmamentum prout ante inſinuatum non aliud ſit quam ſpatium Cæleſte, ſicut Aſtra à ſe invicem, ità & Aquas ſeparans, & ſeparatas retinens, Aſtra & Planetas non magìs quam Globum Terraqueum etiam Planetam, aquis propriis deſtitui haud pauci olim, hodiedum plerique ſaniores Philoſophi & Aſtronomi ſentiunt, huicque ſententiæ inter plures alios ſubſcribunt Kirckerus cum ſequacibus, Beccherus,& ſæpiùs laudatus Caſtel.

§. 21. In Luna (ajunt) oculis àrmatis clariſſimè obſervantur partes denſitatis valdè inæqualis, conſequenter ſoliditatis non minùs inæqualis, quarum aliæ aliis obſcuriores, aliæ ſplendentes, inter ſe combinatæ cernuntur, quæ Aquarum in Lunæ æquè ac Terræ Globo præſentiam extra omne dubium indicare videntur.

§.22. Si enim ſupra Lunæ corpus pedem habuiſſemus fixum, (ait inſignis Caſtel poſt Kirckerum & alios) eandem Aquarum & Terræ, in Globo Terraqueo, combinationem abſolutè vidiſſemus, ſpatia nimirum magna obſcura, & alia fulgentia æque magna, in obſcuris ſpatiola fulgentia, & in his varia pariter ſpatiola obſcura tanquam maculas hinc inde diſſeminata; hæc Oceanum, lacus & fluvios, illa Terram Continentem, Inſulas majores & minores nobis repræſentâſſent.

23. Hæc ſola inæqualis, partium Aſtra & planetas conſtituentium, denſitatis, obſervatio, à RR. hodie communiter accepta, ſententiam hanc de Aquarum ſuperiorum ſitu & ab inferioribus ſeparatione, non parum corroborat, aliiſque omnibus hucuſque propoſitis longè præferendam reddit. Quid quid in contrarium allegare poſſunt Adverſarii (ait Caſtel) auditâ tali novitate quaſi animo perculſi, & ob reflexionis debi-

debitæ rerumque naturalium obſervationis ſufficientis defectum, hoc de Aſtris & Aquis ſuperioribus ſyſtema, nondum in eorum ſcholis ſufficienter agitatum, minimè probabile eſſe concludentes.

§. 24. Hoc ità ſuppoſito, ſacer textus ad literam explicari videtur, quandoquidem à principio quamdiu omnia fuerunt in Chao confuſa, nec Univerſum aliud fuit quam Aquarum abyſſus & collectio, quæ, licèt apparenter homogeneæ, fluidæ, labiles, & liquidæ, congelationis & frigoris ſicut & evaporationis ſuſceptibiles, verbo veræ fuerunt Aquæ, nihilo ſecius partium earundem (ſicut ante dictum) diverſimodè & ſpecificè à Creatorè characteriſatarum aliæ, pro Globo noſtro Terraqueo firmando, aliæ pro Lunæ, Solis, cæterorumque Aſtrorum materia & formatione magìs habiles & congruæ fuerunt, unde non immeritò *Aquæ* ob partium heterogeneitatem & non *Aqua* ſimplex & homogenea, juxta ſacri textus literam dicuntur.

§. 25. Cum *Lux* primâ die facta, ſive motus primus, Aquas cum contentis aliis moleculis ad diverſorum Globorum conſtitutionem requiſitis ſecernere inchoaverit, *Firmamentum* ſive Cælum Globos ſeparans ſecunda die formari, ſeque in tantum extendere cæpit, quantum Aquæ portiones in Globos collectæ verſus cujuſvis reſpectivè centrum compreſſæ fuerunt, en *Firmamentum* in medio aquarum *Aquas ab Aquis*, juxta ſacri textus literam dividens, ſi enim Aquæ diviſæ, homogeneæ ab initio fuiſſent, magìs congruum eſſet & naturale, dicere, Firmamentum Aquam in duas pluresve partes diviſit.

§. 26. Idcircò concludit inſignis P. Caſtel verba ſacri textus *dividat Aquas ab Aquis* ſano & obvio ſenſu accepta, notabilem Aquarum diverſitatem indicâſſe, licèt non omnimodam, vel tantam, ut duo hujus diſtinctionis termini eodem nomine, congruè inſigniri non poſſint, exemplo res fit clarior, licèt

Aquæ

Aquæ minerales, acidulæ, ferratæ, ſalſæ, marinæ, paludoſæ, dulces, ob contenta diverſa quibus impregnantur, multum inter ſe differunt, non adeò verò inter ſe diverſæ, ut unaquæque ſeorſim, Aquæ nomen non mereatur.

§. 27. Poteſt quis objicere, hoc de Aquis ſuperioribus ſyſtema contrarium eſſe ſacræ Scripturæ expreſſè dicenti Aquas ſupra Cælum ſitas, *Aquæ omnes quæ ſuper Cælos ſunt* item partes Cæli extimas aquis coopertas, *Extendens Cælum ſicut pellem, qui tegis Aquis ſuperiora ejus.*

§. 28. Huic objectioni abundè nî fallor ſatisfecit inſigniſſimus Caſtel, dum aſſerit nihil certiùs eſſe quam Aquas eſſe ſupra Cælos & in tanta copia ut iiſdem quaſi cooperti ſint, quoniam Aſtra præſertim Stellæ quæ totidem dicuntur Soles re ipſa tam numeroſa ſunt ut ſpeciem fornicis continui efforment quæ nobis etiam, ſi in legitima pro viſu diſtantia collocaremur, veri fornicis, ultimæ nimirum Univerſi ſuperficiei, aſpectum demunt, verbo ſi Cæli cooperti ſunt Aſtris, neceſſariò & Aquis cooperiuntur.

§. 29. Nonnullis forte valde improbabile nè dicam paradoxum videtur, Solem ſaltem utpote luminare majus, maximum primæ lucis receptaculum, ignis Emporium & promum Condum Aquas inſtar Globi Terraquei vel Planetæ in ſuo ſinu recondere idem eſto judicium de Stellis quæ ut dictum totidem Soles reputantur.

§. 30. Verum enim verò, etſi Sol vertigo ignis jure meritò audiat, ob ignis & quidem viſibilis in corpore Solis, præ Planetis, prædominium, hinc Aſtrum dicitur & non Planeta in qua Aqua magis quàm Terra lucens prædominatur, exinde nulla-

nullatenus inferendum, eum & reliqua Aſtra nullas prorſus in ſuo ſinu Aquas recondere, quæ in Solis & Stellarum corpore, æque ac in Globo Terraqueo cæteriſque Planetis, cum aliis Elementis mediante prima Luce ab initio combinatæ, totum formant, functionibus, pro quibus à Natura Archetypa deſtinantur, adaptatum.

§. 31. Cum igitur temperamentum mixtorum Univerſi, (tale eſt corpus Solis & cujuſvis Aſtri) in congrua Elementorum miſcibilium mixtione conſiſtat, qua ſe in naturali ſtatu conſervare poſſint, manifeſtum, Aquam inter omnia Elementa ad hanc congruam rerum mixtionem, vel maximè contribuere, actio enim Aquæ omnium Elementorum activitatem temperaturâ ſuperat, ſinè Aqua, Terra tam noſtra, quàm Globorum Cæleſtium, iners, Aer nimis ſubtilis & activus, Terra prorſus opaca, Aer ſummè tranſparens, Aqua de opacitate & Diaphaneitate participans, mediumque tenens, præ aliis Elementis corporum Mechaniſmum continuat, Globorúmque motum & æquilibrium promovet, in quibus principale circulationis agens eſt, & cauſa proxima perennitatem ignis Globorum Cæleſtium centralis, in ſua juſta & congrua temperatura, conſervans.

§. 32. Hæcque temperatura in ignis centralis augmentatione & ad certum gradum dilatatione conſiſtit, quem ob Aquæ per interiora Globi, circulantis, reactionem, excedere non poteſt; ſicque *Undæ* juxta hymnum in omnibus Planetis & Aſtris *Flammas temperant.*

SEC-

SECTIO V.

De Opere reliquorum quatuor Dierum.

§. 1.

FActa Aquarum ab Aquis per Firmamentum ſeparatione mediante prima Luce ſe magìs magìſque manifeſtante, & potentius agente, non tantum ſpatium Cæleſte Planetas & Aſtra diſcriminans & paulatim *firmans* puriùs magisque diaphanum reddebatur, verum etiam tenerioris & purioris Terræ adhuc lutulentæ & limoſæ, Aquis ſuperioribus pertinaciter adhærentis magna quantitas, una cum iiſdem Aquâ inferiore multò ſubtilioribus, elevata, planetis & Aſtris materiam & originem ſuppeditavit.

§. 2. Unà Terra noſtra ſpiſſior vi primordialis Lucis indeſinenter agentis, & nubes, Aquarum portionem tenuiorem magiſque evaporabilem rarefaciendo, formantis, indies in unum coacta, Aquis paulatim in ſuperficie denudarij cæpit & *Arida* apparuit.

§. 3. Aquæ ſuperſtites fæculentiores & craſſiores in Terræ Aridæ foveas & Cavernas, Deoità ordinante gradatim defluebant, quas in unum locum collectas & per Terræ penetralia circulantes ſacer textus Maria appellat, *congregentur Aquæ quæ ſub Cælo ſunt in locum unum, & apparuit Arida, & vocauit Deus Aridam Terram, congregationesque Aquarum Maria.*

§. 4. Terrâ Aquis denudatâ adhuc humidâ & lutoſâ, per plurimæ ejus moleculæ & Atomi à Natura Archetypa characteribus ſeminalibus vegetabilium (etiam & mineralium licèt horum nulla in ſacro textu directa mentio) dotatæ, fermentorum ſive ſeminum invisibilium per ejus corticem latenter ſparſorum

ſorum nomen & indolem aptè induerunt ex quibus lucis calore actuatis & de materia Cæleſti immediato lucis ſubjecto eaque interfluente participantibus, levi negotio & brevi tempore, varii generis vegetabilia è Terræ ſinu evoluta fuerunt & formata; eodem modo mineralium in Terræ viſceribus evolutio concipienda.

§. 5. Terra in ſua ſuperficie characteribus ſeu fermentis ejuſmodi fæta, vegetabilium feraciſſima facta; itaque Terræ aridæ, Maris, & Vegetabilium productio tertiæ diei opus. *Germinet Terra Herbam virentem & facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus ſuum, cujus ſemen in ſe met ipſo ſit ſuper Terram &c. - - - & factum eſt veſpere & mane dies tertius.*

§. 6. Subtilior & tenerior Terræ pars cum Aquis ſuperioribus elevata adhuc limoſa & lutoſa Aſtrorum & Planetarum formam uſque ad quartam diem non aſſumpſit; quam primum verò ac Aquæ ab Aquis per Firmamentum materiæ Cæleſtis ſubtiliſſimæ omnia interfluentis, primæque Lucis Vehiculum Catholicum, diviſæ, & Aſtra primò ſub forma Luti adhuc liquidioris à ſe inuicem ſucceſſivè ſeparari, diverſæque partes Aſtra conſtituentes à Natura Archetypa inter ſe, ſicut Aqua & Terra in Globo Terraqueo, ità diſtingui cæperunt, ut Firmamentô, ejus quaſi inquinamentis unà grumeſcentibus, & in diverſos vortices & Atmoſpheras abeuntibus, magis Diaphano facto, paulatim materia Aſtrorum terreſtrior quaſi Aquarum ſedimentum in unum coivit, aquoſiori parte ſicut in *Arida* noſtra in unum collecta, per hujus interiora circulante; hinc Planetarum & vel maximè Lunæ ſubſtantia inæqualiter denſa (ut dictum) in Continentes, Maria, Lacus, Inſulas, Montes & Valles Globi inſtar Terraquei, ab accuratioribus Noſtri hujus & noviſſime elapſi ſæculi Phiſicis & Aſtronomis partita obſervatur,

 § 7. Quar-

§. 7. Quarta verò die, Aſtrorum materiâ quaſi Terræ & Aquæ ſubtilioris flore, influxus materiæ Cæleſtis primordialis, *primæque* ejus *Lucis* motus nimirum primi, præ aliis ſuſceptibili, earumque antea per Univerſum diſperſarum, in Aſtris poſt formationem pro majori ſaltem parte collectarum receptaculo & matrice facta, pars Aſtrorum Terreſtrior ab Aquis Aſtralibus, ſicut in Planetis, in quibus Aquæ magìs prædominantur, diſtincta, motus tumultuarii & pernicis ignei qualem in flamma vel igne viſibili obſervare eſt, magìs eſt ſuſceptibilis, hinc *Terra lucens* & maximè phlogiſtica audit, hæc inquam inſtar ſedimenti à Luce prima accenſi, Centrum copioſè occupavit, & ob ejus præ aquoſa parte *Flammas temperante* prædominium, totum aſtri corpus perniciter rarefaciendo, idem inſtar flammæ vel ignis vertiginoſi viſibile & nominis Aſtri, quale Sol, & Stellæ reputantur, dignum reddidit.

§. 8. Materia enim purè Cæleſtis ſive Mundi ſubtiliſſima non aliter quàm per effectum, idque vel maximè in materia phlogiſtica & lucente, propria ejuſdem pro flamma facienda matrice, vel viſibilis fit vel ſenſibilis; corpori Solis (idem de Stellis eſto Judicium) copiam maximam ejuſmodi materiæ tenerioris & phlogiſticæ una cum aquis in primordio elevatis ineſſe, ſatis ſuperque inter alia confirmant maculæ ejuſdem, ſolares dictæ, modò magìs, modò minùs conſpicuæ, quas Carthesius materiæ ſuæ *ſtriatæ* ſive *tertii Elementi* portionem eſſe opinatur.

„ §. 9. Sydera enim & Stellas (Beccheri verba ſunt) ex ſin„gulari Terra lucente & aqua conſtare nemo inficiabitur qui „textum accuratè examinabit in Pſalmo *& contignas cænacula ejus ex Aquis* per cænacula enim Sydera intelligi communis Interpretum opinio eſt; hæc ille in ſuæ Phiſ. Subterr. Lib. 1. pag. 32.

§. 10.

§. 10. Syderum productionem quarta die abſolutam ſacer textus expreſſè docet, *Fiant Luminaria in Firmamento Cæli, & dividant diem & noctem, & ſint in ſigna & tempora & dies, & annos, ut luceant in Firmamento Cæli & illuminent Terram &c. & factum eſt veſpere & mane dies quartus.*

§. 11. Sole & Syderibus formatis, Lux primordialis in illis, præ aliis Mundi partibus, una cum materia Cæleſti ſubtiliſſimâ indivulſo lucis primæ ſubjecto gliſcens, multumque concentrata, longè moderatius quam antea in Globum Terraqueum influens, pro animalium terreſtrium & aquatilium generatione, ex moleculis ejuſdem, à Natura Archetypa in hunc finem characteriſatis aptior facta eſt, hinc ſicut in Mari ità in Terræ ſuperficie, variæ animalium ſpecies primò, quinta die in Lucem prodiêre. *Producant Aquæ reptile viventis Animæ, & volatile ſuper Terram ſub Firmamento Cæli, creavitque DEUS Cete grandia & factum eſt veſpere & manè dies quintus.*

§. 12. Hiſce peractis, ſexto die ex temperatiori Terræ limo plaſmari cæpit homo, Cæleſtium omnium & Terreſtrium nodus, qui ſolus inter animalia animâ Dei-formi nobilitatur.

SECTIO VI.

De Corrolariis quæ ex hac Doctrina formari poſſunt.

§. 1.

Ex hoc ultimo Univerſi ſyſtemate Doctrinæ Moſaicæ præ aliis conformi, haud infundate inferendum, Univerſam Naturam in Magnetiſmi ſpecie poſitam, qui in mutuò non inferiorum tantum cum ſuperioribus, ſed etiam ſuperiorum, ut & inferio-

feriorum inter ſe, Sympatheiſmo, & Antipateiſmo à Veteribus *Catena Aurea* dicto conſiſtit, quo Sydera de ſublunaribus,& vice verſa, animalia de Vegetabilibus, Vegetabilia de Mineralibus, Microcoſmus de Macrocoſmo mutuò participare videntur,ut veriſſimum ſit Hermetis dicterium,*verùm ſinè mendacio certum & veriſſimum: quod eſt ſuperius eſt ſicut id quod eſt inferius, & quod eſt inferius eſt ſicut id quod eſt ſuperius.*

§. 2. Hicque Naturæ Magnetiſmus quem Cartheſiani plerique minus fundate cum puro & ſimplici confundunt mechaniſmo in affectionibus mechanicis & profluviis ſubſtantialibus unicè conſiſtente, præter hæc duo in corporibus exigit ſpecificam & idealem concatenationem, ſymboliſationem, & conſenſum ſimilium ſive *Sympathiam*, & diſſimilium diſproportionem, diſconvenientiam, fugam & quaſi averſionem, ſive *Antipathiam.*

§. 3. Pro majori vel minori hac ſimilium inter ſe harmonia, proportione, & conſenſu, pariter & diſſimilium diſſenſu Magnetiſmi vis deſumenda, qui, à prima Elementorum *Cœli* nimirum & *Terræ* primordialis, mediante prima luce ſive motu, phiſica mixtione & ſimilium coalitione, hincque reſultante vel ſaltem primo in lucem prodeunte ſpecifica & ideali, (ad Ideæ Archetypæ normam) mixtorum tam ſupra quam ſublunarium characteriſatione in prima eorum ex Elementis productione impreſſa dependet: vi cujus Deo ità volente & concurrente, ſimilia congregata & diſſimilia ſegregata ſunt, quæ congregationis & ſegregationis Lex perpetua eſt quamdiu durabilis eſt Mundus conditus ſemper & inceſſanter manens.

§. 4. ab Univerſali rerum Magnetiſmo, convenientia, ſymboliſatio, tractus, ſeu coalitio Lucis & ignis ſolaris cum Sole (idem de Stellis quæ parvi ſunt Soles ſentiendum) à quo radiant & in quem tanquam in Mare igneum redeunt, *Conſenſus* aquæ cum aqua, aeris cum aere, omnium denique effluviorum

rum

rum à Planetis & Aſtris in ſuis reſpectivè Atmoſpheris radiantium, & in ea, lege circulationis Univerſalis redeuntium derivanda; non ſecus ac *Antipathia* ſive fuga, pugna, diſſymboliſatio, & ſeparatio ignis ab Aqua, Aeris à Terra, pluriumque mixtorum, de his, vel illorum primis concretionibus, ut ſale & ſulphure proximè vel remotè participantium modò tumultuariæ effervescentiæ, modò amiciſſima unio, coalitio, & conjunctio, pro majori unius vel alterius Elementi in mixto prædominio.

§. 5. Non mirùm igitur ſi elapſis tot mille annis corpus ſolare, Stellarumve, nec imminutum nec viribus deficiens, cum omnis ignis & lux ex Sole & Stellis expirans, lege communis circulationis, & particularum congenerum coalitionis ad eoſdem tanquam ignis & lucis principalem fontem, denuò redeant.

§. 6. Per Magnetiſmum ſano ſenſu intellectum reddi poſſunt rationes ſat plauſibiles plurium phenomenum quæ per qualitates vulgò occultas in Scholis explicantur, v. g. mutua coalitio & attractio ferri & magnetis ob utriuſque in principiis & activitate convenientiam licèt inæqualis ſit principiorum mixtio, ferrum enim propter corpus Mercuriale in eo prædominans malleo ductile, magnes plerumque in ferri fodina repertus ob partes ſulphureo-terreſtres, Mercuriales, copia ſuperantes, malleo reſiſtit, ferrum de ſe ſpargit effluvia metallica, ejuſdem, cum magnetis Spiritibus, generis & indolis aſt ſubtiliora & actuoſiora, magnes verò copioſiora de ſe radiat effluvia, ideoque cum inter ſe quoad principia ſymboliſent, ad ſe in æquilibrio poſita confluunt, non ſecus ac ignis ad ignem aer ad aerem.

§. 7. Talis convenientia ſympathica obſervatur in Auro vel Argento & Mercurio amalgamatis, quinimò oculariter experimur dum Mercurius vivus in deauratione Argenti alteriuſ-

ve

ve metalli in igne tractatur, moneta aurea in ore Artificis, vel debitâ diſtantiâ aliquandiu retenta mox albeſcit & Mercurio calore ignis rarefactò & avolante obducitur, idque ob principii mercurialis magnam in utroque convenientiam & ſimilitudinem.

§. 8. Ab eodem fonte derivanda compaſſio & conſenſus inter aereo-ætherea effluvia & noſtrum principium vitale, hincque reſultantes variæ corporis noſtri alterationes pro diverſa aeris mutatione; morbi enim epidemici & contagioſi tam vernales quam autumnales ab effluviis terraqueis, calore ſolis in aerem ambientem exhalantibus orti, tantam homogeneitatem & conſenſum principii noſtri vitalis & Spirituum aereo-aſtralium indicant, quanta inter eoſdem Spiritus & effluvia Globi Terraquei intercedit;

§. 9. Spiritus quippe Aſtrales una cum aere partim à nobis quotidie inſpirantur, partim cum alimentis nobis communicantur, hinc efficienter & materialiter noſtris aſſimilati noſtrates & domeſtici fiunt, unde non mirùm ſi principii noſtri activi & vitalis, penes materialis conſtitutio, aeris ambientis conſtitutioni correſpondeat, non aliter proportione ſervata, quam ignis in ferro candente latentis, & reliqui ignis ferrum ambientis eadem omnino eſt conſtitutio.

§. 10. Inſuper miaſmata peſtilentialia & maligna à quocunque Regno orta ſe nobis mediante aere vel ambiente vel inſpirato inſinuantia, & ſui in nobis multiplicativa, aptè fermentationis indolem & ideam retinent, ſicut fermentum ſive fæces cereviſiæ vetuſtæ indolem retinent & vires tam cereviſiam novellam fermentandi quam ſe multiplicandi, ex quo (ni fallor) inferendum, fermentationem ſive depuratoriam & pefectivam, ſive putredinoſam & corruptivam, ſine ſimilium & congenerum mutua aſſociatione & coalitione ſano ſenſu concipi non poſſe.

§. 11.

§. 11. Item Tarantiſmus, Hydrophobia, Lycanthropia, ictus Scorpionum, viperarum, aliorumque animalium venenoſorum ab effluviis ſubſtantialibus animalis rabidi depravatis & ſpecificè characteriſatis, ſpiritusque noſtros cum iiſdem in principiis & activitate multum convenientes & congeneres, pro diverſitate idearum impreſſarum nobis ſummè infenſarum diverſimodè characteriſantibus, proficiſci videntur.

§.12. Averſio pariter ſeu repugnantia tam innata quam aſcititia variorum animalium, ciborum & medicamentorum, verbo Idioſincraſia non aliter provenit quam à previa ſpeciali textura, & characteriſatione ſolidorum & fluidorum noſtri corporis præſertim fluidi cerebroſi & cerebelloſi, nobis vel in utero Matris vel ab alia accedente cauſa externa & occaſionali impreſſa, & impreſſionibus ejuſmodi animalium vel ciborum ſummè oppoſita & diſſimili imò ſæpius indelebili.

§. 13. Nauſea verò immaginativa ſolo nimirum rei ingratæ viſu vel auditu ſæpiùs inducta, præter rei ingratæ impreſſionem vel innatam vel aſcititiam ſolidis & fluidis præviè factam à qua originaliter præcedit, immaginationem etiam depravatam tanquam cauſam occaſionalem & diſpoſitivam neceſſariò præſuponit.

§. 14. Cum mores animi juxta Galenum, & ante ipſum, Hipocratem, ſequantur temperamentum corporis, ad mutuum amorem plurimorum poſt longam & frequentem converſationem (teſte experientia,) contractum, Spirituum ſive principii vitalis & temperamentorum contrahentium, convenientia & ſymboliſatio, ſicut ad odium, eorum diſconvenientia, plurimum haud dubiè contribuit.

§. 15. Hunc Naturæ Univerſæ Magnetiſmum magis ad captum concipiemus, ſi diverſos liquores diverſi coloris & gravitatis ſpecificæ conſideremus uni vitro commiſſos, qui licet agitatione confuſi videntur, & ſpeciem Chaos quodamodò re-

præ-

præſentant, quivis ad ſuum ſimile movetur, & priſtinum competentem occupat locum.

§. 16 Ad Idem collimaſſe antiquiſſimorum Philoſophorum & Chimicorum ſaniores, ſatis ſuperque confirmant ſequentia eorum dicteria, *Natura Naturâ lætatur: Natura Naturam continet: Natura Naturam ſuperat; Natura propinquat Naturæ; Natura aſſimilatur Naturæ; Natura conjungitur Naturæ; Natura ſubmergitur in Natura, Natura non emendatur niſi ſua Naturâ, Natura nihil fruſtra mollitur, Natura fine ſuo nunquam excidit, Natura neque redundat in ſuperfluis, neque deficit in neceſſariis, Natura eſt ſui & univerſi conſervatrix, Morborum medicatrix.* De hoc inter alios conferatur Sebaſtianus Wirdig Medicinæ Profeſſor in Academia Roſtoch: in ſua nova Medicina Spirituum.

SECTIO VII.

In qua Naturæ Natura & Notio examinatur.

§. 1.

QUandoquidem Notio *Naturæ* de qua tot ac tanta deprædicârunt Veteres, quâque nihil extenſius, & in ore Phiſiologorum & Medicorum magìs tritum, nihil penes obſcurius magíſque amphibium, in ipſis quaſi Naturæ penetralibus ità involuta, & occulta latere videtur, ut vix aut ne vix, ullâ hactenus induſtriâ, vel hominum etſi lumine Naturæ & Doctrinæ illuſtratorum, cogitatione, evolvi vel ad captum erui poſſit: Hoc (ni fallor) ſatis ſuperque teſtantur tam fabuloſæ Antiquitatis de Natura commenta, quam diverſa modernorum Hipotheſiſtarum inter ſe de ejus Notione

tione & Natura altercantium placita, quam ſi *acu* ſeu potius mentis *acie* evidenter tetigiſſent, omnes uno ore in Naturæ, ſicut aliorum Ideâ clara & diſtincta Notorum, conceptu, haud dubie convenirent; non mirum ſi quodcunque pro *Naturæ* Natura illuſtranda ſtatuatur, reprehenſionem vix effugiat.

§. 2. Difficultatem tam nodoſam Doctiſſimorum Ingenia & olim & hodiedum torquentem enodare, mihi, tanto támque duro nodo, impari, ſatísque conſcio *quid poſſent humeri quid ferre recuſent*, uſque dum meliùs à Doctioribus edocto ne in mentem quidem venit.

§. 3. Interim aſſeverare auſim Philoſophum Medicum Naturæ Miniſtrum, Naturæ Leges & ductum ad amuſſim ſequi geſtientem, nec meliùs nec tutiùs in Theoria & Praxi Medica procedere poſſe, quam, ſi propoſitionem de Naturæ Natura *datam*, & non ſolùm à cordatioribus Phiſiologis magìs rerum veritati quàm Logomachiis contentioſis, inſudantibus, verùm etiam ab ipſis Hipotheſiſtis Naturæ Notionem ad ſuum ſenſum torquentibus communiter & unanimiter receptam amplectatur, inque *Naturæ* Leges potius quàm Naturam, indagare ſatagat, non aliter quàm moderni Phiſici & Mathematici (Duce Famigeratiſſimo & Nobili Anglo Iſaco Newton) legibus motus potiùs quàm ejus Naturæ magìs hucuſque quæſitæ quàm inventæ explicandis inſudant.

§. 4. Nec faciliùs (meo tenui judicio) nec feliciùs ſcopum intentum attingere poſſumus, quàm præviè examinando in quo concordant diſcordantque Phiſiologi de Naturæ Notione inter ſe litigantes.

§. 5. Hoc ut meliùs illuſtretur præmittendum 1°. Nos hìc minimè Sermonem facere de Natura rerum Methaphiſica, quæ cum ipſis identificatur quamque Methaphiſicis diſcutiendam relinquimus.

§. 6. 2. Naturam rerum univerſam cum ejus Authore & ſupremo Opifice haud quaquam confundendam, prout olim non pauci Gentiles, & hodiedum PneumoCosmicorum nonnulli prætendunt, Deum ſæpius *ignem Artificem*, *opificem*, *Spiritum igneum*, *intelligentem*, *lucémque Primam* imò & *ipſam Mundi Animam* cùm Stoicis appellantes.

§. 7. Nec longè aliter opinatus eſt Nobilis Robertus Fludd ſivè de fluctibus Medicus Oxonienſis Vir omni Doctrina eruditus, qui in ſuo Tractatu de Creaturis Cœli Empirij, primam Lucem à Deo productam Spiritualem eſſe; ipſámque Subſtantiæ Spiritualis ut à materiali diſtinctæ Naturam (hinc & Divinam) in luce puriſſima conſiſtere prætendit. De his plura in ſerie hujus Tractatus.

§. 8. Si cum gravi Peripato poſt Ariſtotelem Naturam dixeris *principium & cauſam motûs & quietis ejus in quo eſt primo & per ſe* hanc definitionem licet obſcuram Naturæ competere nemo facile abnegabit, fieri tamen petitionem principii contendunt Antiperipatetici; uſque dum principii & cauſæ prædictæ notionem meliùs illuſtraverint.

§. 9. Si cum iisdem, principium motus & quietis activum *formam* dixeris ſubſtantialem materialem & non materiam, ipsámque *Materiam* principium eſſe rerum paſſivum & iners, præterquam quod materiam ut a Peripato explicatam rejiciant prout cap. 1. hujus Diſſertationis notatum, formam ejusmodi ſubſtantialem quæ materialis ſit & non materia implicare mordicus tuentur, vide dicta de forma rerum inanimatarum cap. 2. §. 10. & 11.

§. 10. Eadem Argumenta, inter alia æquè militant contra Pneumo Coſmicos quosdam, inter quos Marcus Marci noſter haud infimus, qui tuentur Principium Naturæ Vniverſi activum eſſe Animam Mundi quam materialem dicunt & non

mate-

materiam, indiviſibilem, Univerſo coextenſam, viventem, & vix non omniſciam, de qua plura ſuo loco.

§. 11. Si denique cum Mechanicis rigidioribus formas rerum abſolutas (Si rationalem animam exceperis) abdicato Naturæ Miniſterio rejicientibus, omnémque corporibus activitatem adimentibus, ſingula quæque tam Mundi aſpectabilis, quàm quæ ab ipſis brutis induſtriè ac ſcitè facta videntur, ad purum mechaniſmum & motûs leges à Deo ipſò ſancitas refundere volueris, & allegaveris fortè cum Cartheſio nec corpora nec Spiritus creatos niſi populariter & abuſivè dici poſſe cauſas motûs ulliusve activitatis ad exrra vere *productrices*, bene verò *Occaſionales* motus à ſolo Primo Motore communicati & determinationis ejusdem mutatæ, adeòque ignotam in tota Creationis hiſtoria nedum prætenſam Naturæ Notionem; de qua (inquiunt) ne verbum quidem Moiſes fecit, ſed completam Mundi Geneſim Verbo Divino *fiât* aut *producat* adſcripſit, altum item de Natura ſiluerunt Job, David, & Salomon magnus ſi quis, rerum creatarum ſcrutator.

§. 12. His ſe nervoſe opponunt Ariſtotelici, Gaſſendiſtæ, aliique Activitatis cauſarum ſecundarum viſque corporum internæ motricis vindices, de qua capite ſequenti plura in quo utriuſque partis Argumenta fortiora proponentur.

§. 13. Interim tametſi Cartheſius cum aſſeclis poſt Gomeſium Pereira contendant motum corporum ab ipſis corporibus minime proficiſci, haud inficiantur materiam ſuam ſubtilem ſive primum elementum, quæ, qua talis, ſine motu concipi nequit, omnium motuum corporum majorum ac ſenſibilium originem eſſe, & cauſam proximam naturalem ſaltem occaſionalem, ab ea, (ajunt) quatenus in jugi ac perpetuo motu conſervatur, motus omnes corporum ſenſibilium derivantur. Vide Purchotium in ſuæ Phiſices parte 1. Sect, IV. cap. VII.

§. 14. Admiſsâ ſubſtantia ejusmodi ſummè actuoſa, & fluidiſſimâ, reliqua hujus Univerſi actuante, permeante, & interfluente, in igne, ſole, ſtellis, & corporibus lucidis vel maximè gliſcente, quæ motum in ſua Eſſentia connotantia ſinè motu concipi nedum eſſe nequeunt, eam tam in lucidis corporibus quam in Univerſo hoc, cujus & ipſa pars præcipua eáque delibatiſſima, motus reliquorum Univerſi *Principium, & Cauſam* eſſe internam maximè activam neceſſario vel inviti concedent, quod (qualecunque demum ſit) ab aliis ſine injuria *Natura* rerum activa audit & cum reliquo Materiæ reſpective inertis quam actuat *Naturam* completam conſtituit. Naturæ igitur Ectypæ ſive productæ miniſterium quod expreſſe repudiare videntur, tacitè admittunt Medici Carthesianæ Hipotheſi addicti.

§. 15. Ex hactenus allegatis liquet, Phiſiologos paſſim licet inter ſe de Naturæ præſertim activæ Idea haud unanimes, unanimiter concludere ſubſtantiam dari ſummè actuoſam Æthere & Aere Atmoſpherico longè ſubtiliorem in corporibus lucidis maximam Mundi partem conſtituentibus potiſſimum vigentem, quæ in Planetas & ſublunaria influit & intima quæque in Globi Terraquei ſinu recondita actuat permeátque.

§. 16. Nec Ariſtoteles aliud per quintum Cœli elementum ſive quintam rerum Eſſentiam omni Aere & Igne ſubtiliorem & vitali animantium Spiritui congenerem intellexiſſe videtur, à quo vel à nullo, influxus, interpretum notione Cœleſtes, deſumendi.

§. 17. Nec alia eſt ſubtiliſſima Carthesii Materia de qua recens ſermo, quam ex tornatione Globulorum ſecundi elementi proficiſci fingit per omnes Mundi partes craſſiores diffuſam, omnisque corporum motus ſi non opificem ſaltem principium & cauſam occaſionalem internam.

§. 18.

§. 18. Hæc Subſtantia ab Atomiſtis modernis Æther audit *Lucis* & ignis ſenſibilis Parens, cujus minima ſive Atomi conſtitutivæ, *Lucis* & ignis ſubtilioris & inviſibilis materia & efficiens, in 4. Elementis vulgaribus, & Chimicis gliſcunt.

§. 19. Hanc, Chimici ſaniores Animam Mundi ſpiritualem vel materialem quæ non ſit materia, rejicientes, ſpiritum *Characteribus ſeminalibus* dotatum appellant, qui reliqua Elementa minus activa ſubintrando & actuando Univerſi miſcibilia temperat & unit

§. 20. Scio quidem Spiritus Mundi nomen à pluribus ſed perperám ſpretum, rejectum, & (ni fallor) invidioſum, allegantibus, eum nec ſenſibus percipi, nec ad captum explicari poſſe, quaſi vero, *Ætheris*, *Materiæ ſubtilis*, vel *Cæleſtis, quintæ rerum Eſſentiæ*, vel *materiæ & formæ* quibus magni Stagiritæ interpretes Naturæ nomen liberaliter concedunt, Notio, ſit nobis clarior magiſve ſenſibus obvia: nec ſatis aſſequor cur à reliquis Philoſophis Spiritus Mundi ſano ſenſu acceptus tam faſtidioſe rejiciatur, cum omnes quiddam illi ſimilimum (ſi non plane idem) vocibus paululum immutatis admittant.

§. 21. Nec ab iisdem forte niſi explicatione & Nomine tenus diſcrepare videntur Fernellius omnes tam corporum actuoſorum quam animantium formas à Cælo proficiſci exiſtimans, Beccherus, Kirkerus, & recentiſſimus nec minus inſignis Author, ſæpiùs laudatus Pater Caſtel, aſſerentes à Materia Cœleſti vi motrice à Deo cooperante indita, & cum terra primordiali concreata, omnem corporum Univerſi activitatem deſumendam.

§. 22. Pro meliori dicendorum illuſtrationē notandum præfatum Caſtel in ſui tractatus Phiſici de gravitate corporum univerſali tom. 2. lib. 3. cap. 6. cum pleríſque ſacræ Scripturæ interpretibus nervosè contendere 1. poſt primæ diei opus Cœli ſcilicet & Terræ primordialium primæque *Lucis* creationem

tionem inſtantaneam omne tempus excludentem, generationem Mundi, ſive concinnam & pulcherrimam materiæ primordialis ordinationem, quam poſt opus ſex dierum in Orbe condito & olim, & hodiedum, cernere eſt, fuiſſe continuam & ſucceſſivam, tempùsque à primæ Lucis ſive motus productione inchoatum in hunc diem continuari; nec ſatis miratur Magnum Auguſtinum qui poſtmodum retractavit, hanc propoſitionem primitus negâſſe.

§. 23. 2dò. DEUM eaſdem leges quas in prima mundi Geneſi condidit obſervavitque, in ſubſequente rerum generatione ſine ulla interruptione obſervâſſe ſemperque quamdiu mundus extabit. Obſervaturum

§. 24. 3tiò. Poſt Creationem *Naturæ* per quam non aliud intelligit Caſtel quam materiam Cæli & Terræ primordialem ſive eorum ſemen, cum primis formis, primaque luce concreatis prima rerum producendarum Elementa conſtituentibus, ad quas cauſæ ſecundæ nullatenus contribuerunt, DEUM Mundi fabricam condidiſſe, rerumque Generationem inchoaſſe, adeoque nec *prius* nec *poſterius* quod tempus audit, inter materiæ primordialis & Lucis primæ ſive primi motus productionem, prout ſomniavit Cartheſius, interceſſiſſe; quinimo tempus potius à primæ lucis actione inchoatâ, originem traxiſſe.

§. 25. Quarto formam, primumqne motum a nullo naturali ſeu creato principio originem derivantes ſolius creationis ſicut ipſa materia, minime generationis, quæ motus ſpecies eſt & creationem præſupponit, conterminos reputandos; creatio enim materiæ primordialis nullatenus ad motûs, nec motus ad formarum primarum productionem contribuit, DEUS ſolus ſuâ omnipotentiâ ſine cujuſvis cauſæ ſecundæ concurſu hæc tria produxit,

§. 26.

§. 26. Natura Ectypa ex his tribus reſultans, mundum prout nunc & olim aſpectabilem, ſucceſſive, DEO ſemper & immediate cooperante produxit, in curſu enim & ſerie operis ſex dierum rationabiliter (ait) concludendum, DEUM immediate ſe ſolo non omnia produxiſſe, cauſas ſecundas potius una & dependenter operantes pro majori ſuæ ſapientiæ manifeſtatione ſubordinâſſe, *Germinet Terra herbam virentem, &c. - - creſcite & multiplicamini.*

§. 27. Nec videt Clariſſimus Author quomodo de ſucceſſiva rerum productione aliter ſentiendum, ad quid DEUS ſex dies continuos in Mundi fabrica conſumpſit quam unico ſuæ omnipotentiæ actu formare potuit, niſi eam ſumma ſapientia hoc eſt regulari eventuum cauſarumque ſubalternarum, nexu, cohæſione, & concatenatione fieri ſtatuiſſet, vel quare poſt primæ Lucis productionem quatuor dies transacti, ut Sol & Luna formentur, niſi ordinarius Naturæ in primordio curſus tantum temporis exigiſſet, ut prima Lux per Univerſum cum ſuo vehiculo diſperſa ſe pro maxima ſui parte in globos ſeparatos colligat & ſenſibilis, fiat.

§. 28. Si quis objiciat, res haud aliter in Mundo formatas quam ſicut DEUS voluerit ut formentur, hoc quidem veriſſimum, Natura enim ſicut divinæ voluntatis immediatum eſt productum, ita & inſtrumentum, hinc quoties aliquid fit in Natura v. g. quando Sol oritur & occidit, terra herbam germinat, hic lapis vel capillus à capite deciduus deorſum tendunt, DEUS ſemper dicit, oriatur Sol & occidat, terra hanc herbam germinet, hic lapis vel capillus deorſum tendant, & qui hoc ſcriberet æque verum diceret ac ipſe Moyſes, haud enim credibile DEUM aliter & ſpecialius olim, quam nunc loqui, hæc enim dicta nihil quam voluntatem divinam denotant, nec immaginandum DEUM, res licet ſucceſſive productas, ſucceſſive voluiſſe. Creando naturam voluntate generali

nerali & expreſſa omnes in Mundo Eventus præteritos, præſentes & futuros complexus eſt, quam Moyſes ad meliorem noſtrum captum particulariſavit omnibuſque eventibus in Geneſi ab eodem recenſitis aſſociavit, perinde ac ſi DEUS novam quotidie voluntatem, ſicut novum ſaltem reſpectu noſtri, in Natura, productionis terminum, haberet, cui tamen nihil novi, omniaque ab Æterno præſentia.

§. 29. Opponet forte Cartheſii fautor, primam Lucem poſt Naturæ, Cæli ſcilicet & terræ primordialis creationem, factam, in naturæ conceptu nullatenus includi pro ut prætendit Caſtel, Moyſes enim expreſſis verbis dicit *in Principio creavit DEUS Cælum & terram*, & poſtmodum addit, *dixitque fiat Lux & facta eſt lux*:

§. 30. Reſp. Neminem abnegare poſſe Moyſen, productionem *Lucis* poſt Cæli & Terræ primordialis creationem recenſuiſſe, exinde haud inferendum Cælum & Terram primo, & Lucem poſtea vel tardius productam, DEUS, nemine refragante materiam & Lucem unico verbo ſeu potius voluntatis actu creare potuit, Moyſes vero unico verbo hunc triplicem creationis effectum recenſere non potuit, hinc Cæli ante Terræ Creationem nobis recenſuit, *in Principio creavit DEUS Cœlum & Terram* quæ tamen ſimul creata fuiſſe omnes fatentur Interpretes, unum poſt alterum neceſſario referre debuit, ita tamen ut rationabiliter ex textu concludere poſſimus; materiæ & Lucis, ſicut Cæli & Terræ, creationem ejuſdem voluntatis effectum fuiſſe ſimultaneum, etenim cum dixit Moyſes *in Principio creavit DEUS cælum & terram, dixitque fiat Lux & facta eſt Lux*: Li *in Principio* æque primæ Lucis ac Materiæ creationem reſpicit, quoniam Moyſes utriuſque productionem in eadem periodo expreſſit. Nec aliter facere quivit, quoniam inter creationem Materiæ & Lucis quæ temporis productionem præceſſit, nec *ante* (ut dictum) nec *poſt*, nec *priùs*, nec

poſte-

Poſterius numerari poteſt, poſt Lucis productionem primò Moyſes primæ diei & Noctis meminit, & a *Luce*, durationis Mundi Epocham notare incepit.

§. 31. Sed ut eo unde digreſſus eſt revertatur ſermo, ſubtiliſſima hæc ſubſtantia tot támque diverſis nominibus velut larvis magis hactenus occultata quam illuſtrata, Materiæ præſertim Cæleſtis, cujus forte & ipſa delibatiſſima portio, Quaſi flos & complementum maxime actuoſum præcipuum *Lucis* primæ ſive Motus vehiculum & ſubjectum, Omnigeris rerum omnium de facto in Mundo exiſtentium characteribus ſeminâlibus a ſummo Conditore abundantiſſime dotata, cum Materia Mundi ſenſibiliore quam actuat & interfluit, ab initio chaoticâ ſive nulla forma ſenſibili donatâ, etiam characteriſatâ, tanquam duo Catholica rerum Principia compagem Univerſi juſto *Numero*, *pondere*, & *menſura*, ſummo artificio & Mechaniſmo quia Divino inſtructam conſtituunt.

§. 32. Hæc combinata a pleriſque modernis *Natura* Univerſi adæquata, & a Clariſſimo du Hamel *Mundus ſeminarius* haud inconcinne audiunt, primum & vere Catholicum *Motus & quietis principium*, productum & velut Organum *Naturæ Archetypæ*, quæ non invenuſté a Platone *Ars DEI in Materia* definitur, nec alia, quam virtus divina ab ipſius Providentia minime ſejuncta, ad cujus Leges *Ideas* nimirum, ſive, ſecundum Magnum Aquinatem, *Similitudines Ideales* Mente Divina ab Æterno conceptas ſupremus Artifex ea dirrigit quæ ad extra operatur.

§. 33. Hæc (inquam) eſt *Natura* rerum *Ectypa* de qua præſens ſermo, cujus pars ſumme actuoſa (Naturâ Archetypa dirrigente) Mineralium & Foſſilium productionem non ſecus ac vegetabilium generationes promovet & ad debitæ magnitudinis incrementum perducit.

§. 34. Hâc, Natura Archetypa quaſi quodammodo veſtita & velut corporaſcens, in ipſius Mundi regimine ſe prodit haud longe aliter quam ars in Præceptore vigens in ipſa voce quâ diſcipulos erudit, fit ſenſibilis.

§. 35. Hanc cum Aere reſpirantes ducimus, hâc vivimus, alimur, actuamur, hujus denique Noſtratis factæ, portio eaque delibatior in corpore humano ſicut in Belluino gliſcens a parente in filium ſeroſque Nepotes per traducem implantata, ductum Organiſationis à Natura Archetypa verbo Divino *Creſcite & Multiplicamini* præſcriptæ ſequens, proprium ſuum domicilium format, ſui quoad ſpeciem multiplicativa, ſui & domicilii conſervatrix, morborum ſuſceptrix & Medicatrix ſola in homine ſicut in Bruto principium vitale plaſticum, ſola Natura Medica Activa, ſola denique Organiſmi ſicut & Mechaniſmi (Natura Archetypa ſemper dirrigente & cooperante) efficiens & impetum faciens Hipocraticum Jure merito audit: non Anima Mundi Phantaſtica Pneumo-Coſmicorum, Naturæ Archetypæ Notionem vel negligentium, vel ignorantium, Archæum hominis & bruti conſtituens, nec juxta Traducianos anima rationalis non aliter quam per creationem producibilis.

§. 36 Hæc enim licet vera ſit & phiſica hominis forma actúſque primus, ſive nobiliſſima perfectio embryonem fœtúmque humanum vivum in eſſe hominis eſſentialiter conſtituens, ab omni non homine diſtinguens, ſuarúmque operationum ita conſcia, ut nec minimum ad intra vel extra (nisì fortè indirectè vi ſuæ cum corpore unionis & commercii) dirrigere poteſt quod non præcognoſcit, (*nihil enim volitum quod non præcognitum*) quúm vi plaſtica & ſui quoad ſpeciem multiplicativa principio vitali ſecundum omnes, ſubſtantiæ ſpirituali nequaquam competente, minime polleat, ad Embryonis in utero formationem, ſanguinis circulum ſagaciſſimis Phiſiologis

logis & Anatomicis uſque ad Harvei tempora ignotum, aliasque functiones vitales, quas, niſi per Ideas & notiones poſt Nativitatem acquiſitas, & reflexe ratiocinando edocta, prorſus ignorat, dirrigendas nedum peragendas omninò eſt incapax.

§. 37. Quandoquidem verò omnes actus vitales in homine ſolius animæ gratia, nec non animales in ſtatu ſanitatis ad ejus nutum & imperium fiunt, ſi à nobiliori tanquam potiori denominatio deſumenda, poteſt anima rationalis dici populariter & per eminentiam, omnium in corpore vivo, cujus vitam reflexè agens pro poſſibili tuetur, functionum ſuprema directrix. De his fuſiùs ubi de anima Mundi, & vi Spiritûs creati motrice agetur.

§. 38. Ex hactenus de *Naturæ* rerum Univerſi natura dictis, facilè concipere eſt, an, & quo titulo, natura Ectypa provida & prudens dicenda.

CAPUT VIII.

De Activitate & Vi Corporum Motrice.

SECTIO I.

In qua Authorum diſſentientium Placita proponuntur.

§. I.

INgens in Schola Medica irrepſit invaluítque Hæreſis, ob diverſa Phiſiologorum de Corporum motu & vi motrice placita, quibus arbitrariè innitentes Hipotheſiſtæ plurimi tam

VV. quàm RR. & à Methodo plana & ſimplici Hipocraticâ nunquam non immitanda multum recedentes, complures erroneas & plane deſpoticas in re medica infeliciſſimo ſydere introduxerunt opiniones quibus diverſæ de ví corporum Motrice Hipotheſes haud levem dederunt anſam, qarum principaliores non tam ſcopo refutandi quam evitandi & ab iisdem ſicut cordatum decet Medicum, præſcindendi, breviter & candide recenſebo.

§. 2. Prìmo Galenici cum Peripato nullam efficaciam aut cauſalitatem activam Materiæ ſecundum eoſdem incrti & purè paſſivæ tribuentes, ſtatuunt formas ſubſtantiales tanquam intimas & maximè activas rerum corporearum ſubſtantias, eſſe principia activa & interna causásque ſecundas motuum naturalium qui fiunt in corporibus, primo & per ſe productrices ſemper tamen dependenter à primo Motore cooperante non ſolùm in *eſſe* & *conſervari* verùm etiam *operari*.

§. 3. Ad ſpecialiora deſcendentes, animam rationalem dicunt eſſe cauſam efficientem non ſolùm functionum ſpiritualium verùm etiam animalium & vitalium, cui ſpiritus vitales tanquam inſtrumenta & potentiæ famulantur, idem de forma in belluis ſentiente & locomovente ſentiunt, non ſecus ac de anima ſeu forma vegetabilium actuoſa quam vitæ vegetativæ radicem aſtruunt, ſpeciales etiam formas in Mineralibus, Metallis, ipſiſque Elementis tam quatuor vulgaribus, quam Chimicis admittunt, quæ motus Naturales ipſis proprios eorumque conſervationi neceſſarios producunt.

§. 4. Atomiſtarum nonnulli licet longe aliter quam Peripatus de formis ſubſtantialibus ſentiunt (has enim tam in animatis excepto homine, quam Elementis & corporibus Activis dicunt eſſe puriorem ſubtiliorem & delibatiſſimam materiæ portionem vide cap. 2. Sect. 2. §. 6.) hæc eorum placita ſuis quodammodo adjunxerunt.

§. 5.

§. 5. Alii poſt Gaſſendum volunt Deum primum Motorem Atomis quibuſdam materiæ v. g. terreſtris, ſeu potius ad globi Terraquei & Planetarum conſtitutionem maxime contribuentibus ſtatum *quietis* indidiſſe, ut nunquam à ſe bene vero ab aliis, moveantur, aliis vero Atomis certâ, pro motu cieundo, unione inter ſe ; nexis tanquam Lucis primæ vehiculo & ſubjecto, facultatem ſe movendi a Deo libere & liberaliter inditam, quæ, corpora, non ſecundum omnes determinationes, motuſque quantitatem, rapere , ſed pro uniuscujusque modulo determinatam ,eidem proportionatam, & conſtantem, pro majori & conſtantiori Mundi aſpectabilis harmonia, producere poteſt.

§. 6. Has motuum determinationes dicunt fortioribus vinci, motum aliquando augeri, modo minui, pro varia & diverſa corporum colliſione, imo quandoque tolli poſſe , præſertim ſi Atomi ſint aliæ cum aliis implicatæ , ſemper tamen perpetuum & inamiſſibilem in iis manere conatum, preſſuram, ſeu *niſum* à prima earum geneſi inditum, quô ſui Juris quaſi factæ, ſolutis vinculis, motus ſuos motuumque determinationes quorum naturaliter capaces ſunt repetere tentant.

§. 7. Exemplo ſequenti rem illuſtrant, in Cera, ligno, pulvere pyrio, aliave materia phlogiſtica ſeu combuſtibili deliteſcunt Atomi igneæ cum terreſtribus & Salinis implicatæ quarum (ſi ignis alter partes materiæ phlogiſticæ dividat & repagula frangat) Niſus perſeverans ſubito in Motum localem & determinationem plane ſimilem determinationi partium ignis dividentis erumpit.

§. 8. Niſus hic ſecundum eoſdem Authores in quibuſdam Atomis v. g. igneis vehementior & velocior , in aliis lentior, in quibuſdam verſus hanc, in aliis verſus illam loci partem determinatur, pro diverſa Atomorum a natura ſolidiſſimarum figura & determinatione.

§. 9 Si dicas cum Cartheſianis primò Corpus de ſe & ratione ſui indifferens eſſe ad mutationem localem & quietem, nec ipſius naturam fieri deſtructam ſive permanenter ſive ſucceſſive, ſit in loco, 2do Corpus motum à Natura ſua indifferens eſſe ut celerius vel tardius ad quamlibet determinationem moveatur.

§. 10. Reſpondent conformiter ad ſua principia, per ſequentem paritatem: Tametſi figura hæc vel illa numero, ſit contingens corpori vel Atomo generatim ſumptæ, & abſtractæ a tali vel tali Atomo ſeu corpuſculo minimo Numerice ſpectato, nec Atomi generice ſumptæ natura ullatenus intelligitur deſtructa ſive rotunda dicatur ſive anguloſa, ac proinde indifferens ſupponitur ad quamcunque figuram, ſicut proportione ſervata animal ut *ſic* ad hominem vel brutum; idem nullatenus ſentiendum de diverſis minimorum ſolidiſſimorum, &, viribus ſaltem Naturæ inſectilium, figuris, v. g. rotundâ reſpectu hujus Atomi numericæ, Anguloſæ reſpectu illius, quæ ſi non eis eſſentialis prout complures contendunt, ſaltem de potentia ordinaria ab iiſdem inſeparabilis. vide dicta cap. 6. ſect. 6.

§ 11. A paritate rationis licet Motus Localis & quies, hæc vel illa motus determinatio, velocitas major vel minor reſpectu atomi vel minimi generice ſumpti, & ab hac vel illa Atomo numerice ſpectata, abſtracti, poſſint dici contingentes, nec Natura Atomi ut *ſic* intelligitur deſtructa, ſive quieſcens ſupponatur ſive localiter tranſlata velocius aut tardius verſus hanc vel illam loci partem; contendunt concluduntque exinde nullatenus inferendum, conatum ſeu perpetuum *Niſum* ad motum, majorem vel minorem motus velocitatem eſſe contingentem reſpectu *talis Atomi* vel Atomorum quibus in certo nexu primus Motor Vim Motricem in prima earum creatione indidit. idem de ſtatu quietis & inertiæ ſeu potius diſpoſitione ad quietem aliarum Atomorum, ſentiendum.

§. 12.

§. 12. Si inferas exinde ſequi Atomos differre ſpecie inter ſe cum gradus habere videantur eſſentiales & ſpecificas quibus inter ſe diſtinguantur; Reſpondent rigidiores Gaſſendiſtæ cum Atomi ſint prima rerum Elementa, nihil ſequi abſurdi ſi dicantur inter ſe tantum differre quantum ignis ab aqua, vel unum Elementum Peripateticum, Chimicum, aut Cartheſianum, ab altero.

§. 13. Illuſtris Dominus de Stair in ſua Phiſiologia nova experimentali, exploratione tertia de Motu, tenet cum Gaſſendiſtis, omnes motus naturales præſertim inanimatorum, à ſola materia ſuiſque potentiis motricibus, partibus quibuſdam materiæ primordialis libere à Deo inditis. nec inde niſi ab ipſo ſeparabilibus oriri.

§. 14. Cæterum hanc vim materiæ motricem magis limitat quam præfati Authores, aliam enim ei non attribuit quam *conatum, Niſum, Molimen* ad motum, & ratione præſentis ſtatus Univerſi, ubi omnia ſecundum ipſum, (Zenoniſtam), plena, *preſſuram* verſus motus ſimplices & uniformes, in quibus nulla eſt varietas aut alteratio in toto curſu motus, quâ fiat aliquando celerior aut tardior, rectior aut obliquior.

§. 15. "Inſenſibilis (ait) materia omnino incapax eſt varia-
" bilis potentiæ intrinſecæ, quia cùm perceptione careat im-
" poſſibile eſt ut per ſe ſtatum aut curſum mutet pro diverſis
" circumſtantiis quas percipere nequit.

§. 16. Omnes vero motus violentos aut variabiles & mixtos a concurſu aut contrarietate, reſiſtentia aut Auxilio iſtorum motuum ſimplicium aut uniformium derivat.

§. 17. Motus ſimplices & uniformes à materia producibiles dicit eſſe 1° motum *rectum*, (hujus ſimplicitatem & uniformitatem (ait) omnes concedent) 2do *circularem*, ſi cum eadem celeritate & cum iiſdem viribus procedat (quidquid in contrarium dicunt Cartheſiani) cum certum ſit juxta eorum

prin-

principia, maximam materiæ partem nempe Ætherem & pleráque corpora cœleſtia moveri circulariter, taceo motum circularem in mundi fabrica & Vorticibus Carthesianis ab iisdem Authoribus frequentiùs adhiberi, imò motus rectus qui fit à gravitate circa Terram non ſolùm annuo ſed diurno motu, ſecundùm ipſos & Copernicum, agitatam, vere eſt ſpiralis & ad circularem accedens, licet à nobis cum Terra motis non ſenſibiliter advertitur; quocirca ſi in rerum Natura (ait) ſit circulus cujus omnes partes æquidiſtant à Centro, haud dubie motus ſecundum iſtum circulum erit ſibi uniformis; 3° ad modum Cochleæ *ſpiralem* omnes enim partes cochleæ perfectæ, ſive concavæ ſive convexæ neceſſario ſunt uniformes & invariatæ, hinc (prætendit vir doctiſſimus) ſi cochlea convexa exacte concavæ reſpondeat & per eam poſſit procedere, implicat ullam in alterutrâ varietatem reperiri; hac ſemel poſitâ, convexa cochlea non poteſt ulterius procedere, quales igitur ſunt ſuperficies cochleæ tam concavæ, quam convexæ uniformis, tales erunt lineæ, æque nimirum uniformes & ſpirales quam ſuperficies.

§. 18. Ad hanc Gaſſendiſtarum de vi corporum Motrice ſententiam haud parum inclinant e Medicis, viri Celeberrimi Williſius, Highmorus, Baglivus, Hermannus Boerhave, Fridericus Hoffmannus, Thomas Freind, & Doctiſſimus Bernierus non ſecus ac ſaniores Chimici innumeras motuum varïetates à ſuis elementis fieri autumantes.

§. 19. Alii, iique non pauci RR. e Scholâ Medica inter quos Cranen, Bontekoe, & Zipeus numerandi, Carthesianorum placita tanquam Sacrum Canonem amplectentes cum iiſdem ſupponunt Deum Primum Motorem non tantum eſſe primam, verum etiam ſolam & unicam omnis motus & activitatis corporum cauſam vere efficientem, adeoque nec corpora nec ſpiritus creatos niſi populariter & abuſive dici poſſe cauſas motus

tus ulliúsve activitatis ad extra verè productrices, bene verò *occaſionales* motus à Deo communicati & determinationis mutatæ, mordicúsque tuentur nec motum nec vim ejuſdem motricem de novo produci.

§. 21. His quoad inertiam corporum ſubſcribit celeberrimus Stahlius cum ſuis aſſeclis Traducianis qui ſupponunt motum eſſe rei incorporeæ actum incorporeum adeóque non corporis cujuscunque juxta eos mere paſſivi productum eſſe, bene verò à Spiritu fieri non ſolùm Divino verùm etiam creato, ut Angelo, anima rationali, & ſenſitivâ belluarum, quam etiam immaterialem eſſe volunt.

§. 22. Inſuper cùm Eſſentia Spiritus (ajunt) in activitate motoria conſiſtat, contendunt contra Cartheſianos, ſpiritus creatos eſſe veras cauſas ſecundas motûs vísque & activitatis corporum motricis productrices, concludúntque in homine vel bruto haud aliud eſſe principium agens & vitale quàm eorum reſpectivè animas, utráſque incorporeas, quas nomine principii vitalis *prudentis*, *intelligentis*, *&* *ſapientis*, nec non *Naturæ* animalium non tantum phiſicæ verùm etiam Medicæ, morborum medicatricis, imò & productricis, in ſalutarem ſui corporis effectum, inſigniunt, nec affirmare erubeſcunt praxim Medicam hiſce principiis non ſuperſtructam mancam eſſe & mutilam.

Argumenta in utramque partem uſitatiora breviter & candidè in ſequentibus examinabuntur.

SECTIO II.

In qua proponuntur Argumenta pro vi interna Motrice corporum.

§. 1.

VIndices activitatis creaturarum contendunt 1° tametſi omnia creata à Deo tam in *eſſe* quàm *operari* ità dependeant, ut ſublato ejus concurſu conſervativo omnia in nihilum haud dubiè relaberentur, exinde nequaquam inferendum Creatorem omnia prorſus in præſentia creaturæ operari; quis ſaltem Orthodoxorum inficiabitur de fide dari in animæ volentis arbitrio libertatem tum *contradictionis* ſeu indifferentiam agendi vel non agendi poſitis etiam omnibus ad agendum prærequiſitis, quàm *contrarietatis* ſeu hôc vel illo modo agendi, mediáque eligendi, adeóque nobis ineſſe capacitatem merendi vel demerendi.

§. 2. Si enim Creator omnia prorſus in præſentia creaturæ ſaltem rationalis & liberæ operaretur, toleretur omnis creaturæ libertas, ipſeque ſolus, & non creatura prorſus iners & paſſivè ſe habens, foret author peccati, quis, his ſtantibus cum fundamento dicet Angelos vel Proto-Parentes lapſos, habuiſſe demeritum.

§. 3. Hanc hominis in agendo libertatem expreſſis verbis confirmat Concilium Tridentinum Seſſ. 6. de Juſtificatione cap. 4. ubi dicitur, *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti atque vocanti quoad obtinendam juſtificationis gratiam, ſed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque paſſivè ſe habere, anathema ſit.*

§. 4.

§. 4. Quomodo Malebrantii & ſequacium, principia Carthesii ulterius proſequentium, & omnes noſtras cogitationes à ſolo Deo fieri docentium, Placita, cum libero Arbitrio & Concilii Tridentini Cenſura ſtare poſſunt non facile capio.

§. 5. Inſuper nihil nobis notius eſſe poteſt quam nos cognoſcere, dubitare, amare bonum, qua tale appetere, & malum fugere, aliosque actus vitales exercere, qui qua tales aliunde quam à principio vitali oriri nequeunt, quo admiſſo concludendum defacto dari Agentia creata cauſásque ſecundas verè cum Cauſa prima cooperantes.

§. 6. Reſpondent Occaſionaliſtæ Orthodoxi, Mentes creatas præſertim animam rationalem plenariam habere cogitandi libertatem, vimque agendi intra ſe ſeu immanenter cum indifferentiâ & Mediorum electione, adeóque quamdiu Viatores, Merendi & demerendi limitatam, à cogitatione Divina & illimitata diſtinctam, ita quidem ut ad animæ volentis nutum juxta leges a Deo corpus inter & animam ſancitas, tales & non alii plerumque fiant in corpore quamdiu ſano, motus, verum negant mentes creatas, multóque minus corpora poſſe motum *ad Extra* vel in ſe, vel aliis producere vel communicare, niſi occaſionaliter ut dictum, vel aliquid extra ſe, propriâ & interna activitate operari.

§. 7. Regerunt vindices cauſarum ſecundarum 1°. cauſalitatem corporum (de ſpiritus activitate ſuo loco) ſeu vim internam motricem & productricem ad extra nullatenus implicare, nec perfectioni Divinæ vel minimum derogare, quin imo infinitæ ejuſdem bonitati & omnipotentiæ multo magis convenire, ut motus ordinarii à cauſis ſecundis (Deo una cooperante) fiant, prout à ſenſibus percipiuntur, quorum teſtimoniis cum recta & ſolida ratione ritè concurrentibus & combinatis rationabiliter & ſine erroris formidine acquieſcendum, quàm, ut à Deo omnia prorſus in Creaturarum præſentia fieri dicantur,

§. 8. Et, ſi fatentibus Occaſionaliſtis ſanioribus verùm ſit, Deum non eſſe, qui in nobis vel Angelis cogitat & vult, mentésque creatas propria intelligendi & volendi potentia gaudere, tametſi Deus æque ſpiritibus creatis, ac corporibus præſens, cum iisdem ut cogitent neceſſariò cooperatur & concurrit, ſublato enim ſeu ſubtracto concurſu Divino, nec cogitare magis quàm exiſtere poſſunt, æquè pariter rectæ rationi conſonum corpora propriâ virtute moveri, verumque dicere Deum non eſſe qui ſolus in animalibus ſentit, creſcit, locomovet, vel movetur, ſibique ſimile generat, qui ſolus in vegetabilibus vegetat, qui ſolus denique in igne urit inque corporibus lucidis lucet, licet ad omnes has operationes Divina cooperatio & concurſus abſolutè neceſſarius.

§. 9. Quid prohibet quò minùs Creator, ſicut Creaturis quandam ſuæ Divinæ Eſſentiæ ſimilitudinem, ſeu *quoad eſſe* impertiit, iis etiam vim activam ad extra, pro ſuo quæque modulo, ſeu *quoad operari* ſuæ poteſtatis radium largiretur.

§. 10. Illuſtris de Stair pulcherrimè inter alia notat non
" ſapientiam Dei manifeſtari in conſtructione Univerſi, ſi ipſe
" ſolus omnia efficiat, ideoque potentia tantum non Sapien-
" tia manifeſtatur, nec tanta potentia, quàm, ſi Creaturis etiam
" potentias motrices indiderit.

§. 11. Quin igitur id *potuerit* Altiſſimus, nullus eſt dubitandi locus, nulla prorſus implicantia, quod *decuerit*, adeoque Deus voluerit, infinita ejuſdem Sapientia & in omnes Creaturas diffuſa bonitas omnino perſuadent.

§. 12. Nec credibile eſt Deum tantam rerum varietatem produxiſſe ut otioſæ ſint inertes & purè paſſivæ, easve tot ac tantis inſtruxiſſe formis & organis (quæ, ſi effectus, ſolus efficeret Deus, fruſtra forent) niſi ut certos duntaxat & determinatos edant effectus, cum Mundi perfectio in mutua & Symmetrica rerum actione & paſſione contineatur.

§. 13.

§. 13. Taceo nec bruta nec viventia, ſublatâ corporum innata activitate, in Carthesianorum omnem ipſis animam veram denegantium hipotheſi, à non viventibus verè diſtingui nec in uno magis quàm in altero ſecundùm Carthesianos vim ineſſe internam ſui multiplicativam, quod, ſi prægreſſa ritè conſiderentur, Sacræ Scripturæ contrariatur, ubi Geneſ. 1. dicitur *germinet terra herbam virentem & facientem ſemen &c.*, item Marci 4. *Terra fructificat propriam herbam.*

§ 14. Profectò ſi Virtus illa corporibus actuoſis, ut brutis, vegetabilibus, & igni, quæ motum & activitatem in natura ſua & Eſſentia complectuntur, ſine quibus neceſſe nec concipi poſſunt, à Deo indita, genuina & continens motûs cauſa ſit verè & purè divina, miniméque cum illis concreata, ſequeretur Deum eſſe ſolum & unicum principium activum & internum corpora actuoſa eſſentialiter movens, conſtituens, & tam à ſe invicem, quàm ab aliis diſtinguens, quoniam à Materia (ſi ipſis danda fides) purè paſſiva & inerti, nulla operatio, actio nulla derivari poteſt, hujus denique conſectarium inevitabile videtur, Deum non tantum Creatorem eſſe & primum Univerſi Motorem verùm etiam & formam informantem ipsámque Mundi Animam, corporum particularium archæos conſtituentem; adeóque Oſores Activitatis cauſarum ſecundarum modernos, cum Stoicis & PneumoCoſmicis veteribus vel invitos coincidere, qui Deum olim *Spiritum igneum intelligentem, ipsámque Mundi Animam* appellârunt, quo ſemel admiſſo neceſſario fateri debent hominem cujus ambæ compartes ſecundùm ipſos creatæ, omnium actuoſorum corporum, nedum Animalium viliſſimorum, viliſſimum eſſe, nobilitas enim & vilitas corporis deſumenda à nobilitate aut vilitate majori vel minori formæ informantis, quæ, hiſce ſtantibus, in ſolo homine creata, in aliis divina, increata, & perfectiſſima,

§. 15. 2do. Prælaudatus de Stair Exploratione 3a. de Motu, variis argumentis *preſſuram* materiæ intrinſecam, immediatam motuum ſimplicium & uniformium cauſam, in Univerſo dari contendit.

§. 16. Nemo (ait) qui communem ſenſum non abnegabit, inficiabitur corpora inanimata præſertim Elaſtica v. g. " Aerem, Spongiam, lanam, pulverem pyrium accenſum, arcum tenſum & liquores ſpirituoſos premere, cùm integrum " effectum iſtius preſſuræ, proprium nimirum & corporum contiguorum (ſi non quoad totum ſaltem quoad totius partes) " motum non aſſequantur, licet enim quis contenderet imperceptibilem durare motum, quamdiu durat preſſura, recuſare tamen non poterit preſſuram illam non eundem ſortiri effectum quem haberet, ſi non impediretur, concludit " igitur Vir doctiſſimus preſſuram durare, cum, & quamdiu " motum ſibi proportionatum non producit, nec ulla ratio ſuadet quod ullus tum motus durat, ſenſus enim ejusmodi motum non percipiunt ſed preſſuram: nec intellectus talem " motum infert, cum preſſura in Ideâ nullum motum implicet, " quia eſt motûs ſimplicis & uniformis causaefficiens quæ nunquam ingreditur effectûs Eſſentiam; quis ſomniabit rupem " rupi incumbentem à creatione aut diluvio, perpetuô moviſſe versùs centrum, cum tamen cauſa gravitatis (quæcunque ſit) nuſquam ceſſavit premere licet effectum non pertigerit, ſi quis evaſionem effingeret quod preſſura non ſit " potentia ſed modus, procul dubio inter modos Cartheſianos non continetur, nec alia potentia activa in ſtupida materia ſupponenda præter preſſuram, ſive dicatur potentia, " ſive modus, utcunque manifeſtum eſt, eſſe principium activum & productivum motus niſi impediatur. Nihil ergo " manet dubium niſi num iſta preſſura ſit intrinſeca materiæ " an ſit à ſolo Deo atque ita à cauſa extrinſeca, quam incongruum

"gruum eſſet Deum ſolum premere & reſiſti, reſiſtentia enim "à Deo erit, atque ita erit ſibi contrarius, Hæc ille.

§. 17. Cartheſii Aſſeclæ quotquot materiam primordialem exiſtentiâ propriâ & intrinſeca exiſtere agnoſcunt, haud facilè poſſunt inficiari, Deum æquè poſſe materiæ, intrinſecam preſſuram ſeu *Niſum* ad Motum indere, eóque magis quod juxta propria eorum principia motus obliquus conatur recedere ab obliquitate ad rectitudinem, Carthesius enim hanc Naturæ legem à non paucis rejectam propoſuit, *Quidquid circulariter movetur nititur à centro ſui motûs recedere quantum poteſt & ideo eò vehementiùs quò vehementiùs movetur.* Vide Dagoumerum, Purchot: Denyſe, & alios.

§. 18. Numquid in hoc caſu admittitur Niſus qui effectum non ſortitur, quique non ceſſat usque dum effectus in actum ponitur, activitatis Motricis Vindices non aliud exigunt, quàm talem in quibusdam materiæ partibus conatum ad Motum eliciendum, qui à Zenoniſtis vacuola non admittentibus *Preſſura*, ab Atomiſtis *Niſus* ad Motum intitulatur, nec capere poſſunt cur Materia ſit conatûs ad Motum rectum, & non ad alios motus uniformes, capax.

§. 19. Si enim Deus ſola Motûs cauſa, prout Occaſionaliſtæ prætendunt, cur omnis Motus conatur ad rectum procedere, niſi impediatur, an ergo Deus in Motibus naturalibus, producendis impedietur & quidem à ſe ipſo?

§. 20. Si dicant ab alio externo corpore obvio rectitudinem motus perturbante adeòque motum determinante, quare Deus non æquè Motûs determinationem ac ipſum motum cauſaret? cum Motûs determinatio ſit vera ipſius ſpecificatio diſtinctis Motûs ſpeciebus eſſentialis, quid enim Motum naturalem à violento, vel mixto, rectum ab obliquo, regularem ab irregulari, diſtinguit, quàm diverſæ Motuum determinationes, quibus ſublatis Motus nihil aliud, ut optimè

mè notat prӕmemoratus Stair quàm *abſtracta notio nulla habens immediata individua.*

§. 21. Confirmatur, cum Motus etiam Voluntarii à ſolo Deo (ſi Carthesii Aſſeclis danda fides) ad nutum Animӕ noſtrӕ volentis fiant, cur iſtorum motuum effectus toties voluntati noſtrӕ non quadrat, quare projiciens globum vel lapidem versùs metam, quam vult attingere, eandem non ſemper attingit, quare Deus moveret globulum ad nutum voluntatis projicientis, & non ſecundùm projicientis voluntatem; quod ſperatus effectus ſemper & inevitabiliter non ſequatur ſecundùm projicientis intentionem, aliquod ſupponendum Principium activum in medio, v. g. Aere ad unum agendi & movendi modum eúmque motui voluntario contrarium & reſiſtentem, determinatum, quod ſi à Deo cooperante ſit diſtinctum, nulla ratio aſſignabilis, cur principium Motus voluntarii ſeu ad nutum Animӕ volentis facti, ӕquè à Deo cooperante non diſtinguatur.

§. 22. Si dicas principium in medio movens, ab ipſo Deo minimè diſtingui, Vindices activitatis cauſarum ſecundarum cum prӕfato Stair uno ore clamabunt valdè incongruum eſſe Deum ſolum ſimul & ſemel movere, reſiſtere, & reſiſti inque motuum communicatione, determinare ſimul & determinari.

§. 23. Pro coronide inter plura abſurda quӕ fautores activitatis cauſarum ſecundarum ex Sententia Occaſionaliſtarum deducunt, haud infimum videtur ſequens, quandoquidem multiplici & conſtanti experientiâ, Medicorumque obſervationibus compertum eſt, perverſam & depravatam Matris gravidӕ phantaſiam, cujus actio, non magis, quàm Matris intellectio & volitio, pro ſola Dei actione venditatur, ſæpenumero fœtus in utero formationis negotium multum turbare ac pervertere, ſi verum ſit ſecundùm Carthesianorum placita, Deum ſolum fœtum in Utero formare & Parentes nihil

activè

activè concurrere, neceſſario exindè ſequitur immaginationem Matris depravatam, Deum in ſuo opere ſæpius turbare, quod à ſana ratione alienum ne dicam impium exiſtimant Peripatetici & Atomiſtæ Moderni.

§. 24. Plura alia in favorem cauſarum ſecundarum à Modernis propoſita, brevitati favens omitto, de quibus conferantur, Bernierus poſt Gaſſendum, du Hamel, Maignanus, Caſimirus Toluſanus, Pater Caſtel, & Moraſch Ingolſtadienſis, Medicinæ Profeſſor emeritiſſimus, in ſua Metaphiſica Ingolſtadii recèns impreſſa. Ex Argumentis Occaſionaliſtarum patefiet eorum ad hactenus allata reſponſio.

SECTIO III.

In qua proponuntur Argumenta contra Vim Motricem internam Corporum.

§. I.

PRæter antea, de Corporis indifferentia ad Motum & quietem Sect. 1. §. 5. & 6. hujus Capitis, recenſita, quibus ſe abunde ſatisfeciſſe opinantur Atomiſtæ, quodlibet Corpus (ajunt Cartheſiani) ſive craſſum ſive exiguum, ſi remotis Infantiæ præjudiciis ſecundùm Ideam Corporis omnibus hominibus innatam conſideretur, omnis actus & motus eſt expers, nec ſe movere, nec moveri poteſt, niſi ab alio moveatur, vis enim ſeſe movendi aut aliis corporibus motum tribuendi in eorum natura non continetur, primum igitur aliquod movens agnoſcere neceſſe eſt à quo motus omnis incipit, & in corpora transmittitur, Deus nimirum qui ſicut Mundum ita & Motum creans & conſervare volens, certas leges tam com-

municationis motuum in corporibus, quàm, corporum ſibi occurrentium occaſione, variæ motûs determinationis, ſancivit.

§. 2. Si opponas Deum corporibus facultates quasdam ſe movendi conceſſiſſe v.g. gravibus ut deorſum tendant, vegetabilibus & viventibus ut creſcendo ſe moveant, animalibus ut artus ſuos agitent & à loco in locum progrediantur.

§. 3. Regerunt Occaſionaliſtæ, cuivis ad genuinam corporis Ideam attendenti conſtare, corpora omnia ratione ſui prorſus inertia eſſe & minimè actuoſa, nec quieſcentia ſe ſe ad motum ullatenus excitare, niſi ab ălio moveantur;

§. 4. Quin imò contendunt corpora nec ab aliis corporibus niſi ut à cauſis occaſionalibus moveri, quibus, ad corpora in diverſis ſucceſſivè locis conſervanda Deus tanquam Author Naturæ ſecundùm Leges à ſe ſancitas determinatur.

§. 5. Quod Corporum gravitatem concernit, prætendunt Cartheſiani, ea non à ſe ipſis ſive ab innata ſibi gravitate, ſed à Vorticoſo, fluidiſſimi Ætheris Subſtantiæ, circa globum Terraqueum motu deorſum ſeu versùs terram ferri.

§. 6. Vegetabilia creſcunt dum tenuiores ſucci Nutritii particulæ vi Materiæ ſubtilis à Deo primitus motæ, ſurſum protruſæ per quosdam Plantarum tubulos ſeu canaliculos aſcendunt.

§. 7. In Animalium locomotione certi quidam motus in Spiritibus animalibus ſive fluidiſſimo cerebri & nervorum liquido excitantur, quibus Nervos ſubeunt, Muſculos implent, & ipſos artus agitant:

§. 8. Hi motus in homine ſunt Voluntarii quatenus ad Nutum animæ volentis ſecundùm Leges corpus inter & mentem ab Authore Naturæ ſtabilitas, Spirituum copia ad certas corporis partes quas movet, influit, hósque ſpiritus agit ſubtilior Materia quæ à ſolo Deo movetur.

Reſ-

§. 9. Reſpondent Atomiſtæ, ſi teſtimoniis ſenſuum cum recta ratione ut ante inſinuatum, ritè uti par eſt & decet, combinatis, acquieſcendum, quivis remotis Hipotheſium præjudiciis concipiet omnia *Animalia* non ſolùm ſentire verum etiam pleráque ſe loco movere, *Vegetabilia* a principio actuoſo interno Nutriri, augeri, & vi plaſtica ab Authore Naturæ indita quoad ſpeciem multiplicari, omnia *Lucida* v. g. Solem, Stellas fixas, & ignem ſublunarem, pro potiori parte ex minimis ſummè activis, ſe & alia non ſolùm reſpectivè minus activa quorum meatus ſubeunt, nimirum Ætherem, Aerem, omniáque liquida, maximam Mundi aſpectabilis partem conſtituentia, verum etiam maximè inertia, opaca, & terreſtriora celeriter & perniciter agitantibus conſtare.

§. 10. Minus igitur fundate (ajunt) concludunt Occaſionaliſtæ omnia corpora eſſe purè pute paſſiva, inertia, omnísque motus & activitatis internæ expertia, cum contrarium nulla ratione vel experientia phiſica invictè demonſtrare poterint.

§. 11. Taceo nec trium Carthesii Elementorum notionem ſine motus & activitatis Idea, quibus ſublatis & illa in priſtinum Chaos relaberentur, conceptibilem.

§. 12. Si dicant, replicando, extare quidem corpora quæ qua talia ſeu quatenus formam habent quæ motum abſolutè exigit, ſine motu nec eſſe nec Idea clara concipi poſſe, ſi verò ſpectentur corpora genericè & ſimpliciter, nemo abnegabit ea æquè eſſe ad motum quàm ad quietem indifferentia.

§. 13. Facile reſpondebit Gaſſendiſta quibusdam Materiæ partibus, vim internam motricem & motum tribuens, ſe nec aliud prætendere, vide dicta Sectione prima hujus Capitis, §. 8. 9. 10. & 11.

§. 14. Verùm, hoc ipſorum aſſertum de corporis ad motum & quietem indifferentia quod mordicus tuentur, ſtante Hipotheſi Cartheſiana, corruit. Corpus enim quodvi ſſecundùm Leges à Cartheſio dictatas *in eo ſtatu* motûs vel quietis *in quo ſemel poſitum eſt remanet* niſi fiat occaſionaliter Statùs mutatio, omniaque Univerſi corpora (ne minutiſſimo excepto) *phiſicè* ſpectata defacto moventur, nec ulla, à prima materiæ primigeniæ diviſione & motu quieſcunt, licet *mathematicè* pro motus meliori definitione corpora ab iisdem *tanquam quieſcentia* ſpectantur, quæ verè & phiſicè moventur; vide Purchotium, Denyſe, & Cartheſianos paſſim. Hoc ritè perpenſo.

§. 15. Quomodo corpora quævis ſecundùm ipſos Cartheſianos verè in motu conſtituta, hinc ad motum determinata verè ad motum & quietem indifferentia dici poſſint, captu (ni fallor) difficilè, ne dicam implicans.

§. 16. Adeóque cum dicatur Lapidem, Ferrum, vel ceram ſibi relictam purè paſſivè (ſaltem ad ſenſum) ſe habere, hoc ultroneè fatentur Gaſſendiſtæ, cum pro majori parte (ajunt) atomis conſtent magis ad quietem quàm ad motum & activitatem diſpoſitis, licet quá corpora mixta & quidem perfecta, minimis activis Haud omnimodè vacua, quod non parum confirmat analyſis eorum ſpagirica, non ſecus ac ſcintillæ igneæ ex attritu fortiori ſilicis lapidisve durioris, & chalibis, imò vel duorum lapidum, confeſtim erumpentes.

Aliud Occaſionaliſtarum Argumentum tripartitum.

§. 17. *Primò:* Quoniam deſtituitur omne corpus notitiâ, " quò ſe moveat quì ſe hàc potiùs quàm illac determinet, " quomodo in aliorùm occurſu, quæ faciliùs cedant, quæ difficiliùs,

" ficiliùs, diſtinguat, quæve illius activitatem ſuperant, nul-
" lum corpus ſine implicantia quadam, dici poteſt activitate
" interna donari.

§. 18. Reſpondet Vindex activitatis corporum, defectum cognitionis, corporibus ad unum eúmque ſimplicem agendi modum determinatis, (niſi fortè animatis) indebitæ, à Cauſa prima Omniſcia dirrigente, & cum ſecunda non ſolum quoad *eſſe* & *conſervari* verum etiam & *operari* ut dictum concurrente, ſatis ſupérque ſuppleri, adeóque corporibus ſaltem Vitæ & Animæ expertibus non opus eſſe notitiâ propria, ipſorum Naturæ indebitâ, quâ ſe determinent, cùm eorum activitas & motus tam ſimplices & uniformes quàm variabiles & mixti à corporum concurſu, contrarietate, reſiſtentia, & auxilio derivati, Legibus Naturæ à primo Motore ſancitis ſuperabundè regulantur determinantúrque.

§. 19. Nec in hoc vel minima videtur implicantiæ umbra, quin imò multò magis manifeſtatur infinita Dei Sapientia & Potentia, ipſiusque Univerſi Pulchritudo, quod ſummus ejus Author creaturis quibusdam activitatem motoriam cum libertate & notitia, aliis ſine propria cognitione indiderit, quàm, ſi ille ſolus omnia efficiat, nullique creaturæ, niſi intelligenti & volenti activitatem & vim ſui Motricem largitus fuiſſet.

§. 20. *Secundò*: Urgent Adverſarii ſi Deus ipſe extra ſe non
" agit niſi quia liber niſi quia vult, qùi fieri poteſt, ut corpora
" extra ſe agant & à ſe diſtincta efficiant cùm nec libertate nec
" voluntate ſint prædita.

§. 21. Inſuper ut creaturis det velle & nolle aut potentiam
" agendi libere, oportet ut Creaturæ à Deo participent qua-
" dantenus de ratione proportionatè ſimili vel analoga ei, quâ
" Deus ipſe volens ac liber eſt, nec poſſunt creaturæ velle ni-
" ſi per voluntatem, ſicut nec Deus, proinde ſicut Deus nequit

agere

" agere ipſe niſi volens, ità nec creaturis vim agendi communi-
" care niſi & unà vim volendi communicet, & ſi Omnipotentia
" ſpeciali titulo addicatur Omnivolentiæ ſeu voluntati omnia
" regulanti, quomodo ſemipotentia, aut particularis & limitata
" potentia non addicatur limitatæ volendi potentiæ.

§. 22. Reſpond. Minimè inferendum corpora utpote agentia ſecunda & primo Motori ſubordinata nec libertate nec voluntate prædita, extra ſe, (Deo Omniſcio & Omnipotente una cooperante, intellectus & Voluntatis qui ipſis minimè debentur defectum ſupplente), agere non poſſe, nec à ſe diſtincta efficere, ideò purè quia Deus ipſe extra ſe non agit, niſi quia liber niſi quia vult; nemo Fidelium inficiabitur Deum Omniſcium Omnipotentem & Omnivolentem perfectionis ſimpliciter ſimplicis centrum & circumferentiam infinitè immenſam, ob attributorum Divinorum, quæ & ipſa Divina eſſentia realiter ſunt, Identitatem, nihil velle poſſe ad *Extra*, nihil vel ad *intra* vel *extra* facere poſſe, quod ab ejus Omniſcientia unà non percipitur, mentibus etiam creatis de intellectione & volitione Divina analogicè participantibus, prioritates tamen & attributorum diſtinctiones admittentibus, *Nihil volitum quod non præcognitum*, corpora verò notitiâ deſtituta à primo Motore Omniſcio unà (ut ſæpius dictum) cooperante, in ſuis actionibus dirriguntur determinantur & quaſi manuducuntur, quod ipſorum motibus tam Uniformibus quàm variabilibus & mixtis ſufficit, adeóque neceſſitas cognitionis in Mente Divina imò & creata utpotè Subſtantiâ eſſentialiter cogitante, nullatenus evincit cauſas naturales cognitionis expertes agi duntaxat & non agere, nec vim ullam motûs effectricem à cauſa prima ideo quod nec voluntate nec libertate prædita ſint accepiſſe; qvaſi verò Deus qui (ſi Carthesio credendum) poteſt facere ut *unum & duo non ſint tria* quique creaturis largitur ut ſint & ſubſiſtant,

non

non poſſit de plenitudine ſuæ potentiæ vim quandam effectricem & actuoſam *ad extra* veluti ſuæ infinitæ poteſtatis radium munificentiſſimè impertiri ſemper tamen dependenter in *operari* ſicut *in eſſe*. Hiſce ritè perpenſis, quivis facilè concludet ſemipotentiam (ut eorum ſtylo loquar) præſertim corporum ad extra, non tam ſpeciali titulo limitatæ volendi potentiæ quàm Omnipotentiam Omnivolentiæ addicendam. Taceo Occaſionaliſtas aſſerendo, Deum, quoniam & ipſe nequit agere nisi volens, ita nec creaturis vim agendi communicare poſſe, nisi & unà vim volendi communicet, plenitudinem Divinæ Potentiæ non parum coarctare & Universi pulchritudinem & perfectionem ex productorum & producibilium varietate, diverſitate, & activitate reſultantem, minùs reflexè conſiderare.

§. 23. *Tertiò* : Concludunt Occaſionaliſtæ, ſi præterea " vis creandi eſt æquè affixa Deo ac ipſa Omnipotentia & Vo" luntas, quidni & vis agendi ſit ſimiliter Deo affixa ut nul" li eam communicet, niſi cui vim volendi communicat. Hoc argumentum tripartitum proponit Rev. Pater Arcedekine in ſuo curſu Philoſophico, Cap. XIV. Pag. 224.

§. 24 Reſpondetur : Adverſarios minus ſolide concludere, ideo quod vis creandi ſit æquè Deo affixa ac ipſa Omnipotentia & voluntas, vim agendi (niſi forte velint ſimpliciter, independenter & in genere cauſæ primæ quod ultroneè fatentur vindices activitatis cauſarum ſecundarum) æquè eidem affixam eſſe, ut nulli eam communicet niſi cui vim volendi largitur, maximum enim ſi non infinitum diſcrimen eſt inter vim creandi Deo ſoli competentem tanquam actionem ad extra perfectiſſimam excogitabilem verámque notam & characterem quo Deus Creator à creaturis ſejungitur, in cujus ſolius virtute totus effectus creatus vel creandus continetur, ſuumque *eſſe* ſimpliciter mutuatur, & vim internam corporum Motricem

qua

qua nihil novi ſimpliciter & ſecundùm totam Entis rationem fit, licet à varia partium materiæ per motum transpoſitione, nova eaque diverſa quoad formam, figuram, & partium configurationem emergunt corpora reſpective talia, Deo ſemper cooperante, ita & cognitionis, naturæ corporum, indebitæ, defectum ſupplente, ut ſæpiùs antea commemoratum.

§. 25. *Tertiò*: Contra vim creatam Motricem ad extra objicit Clariſſimus Philoſophus & Medicus, Wyerus Guilielmus Muis in Elementis Phiſices pag. 924.

"Talis (ait) qualis ſupponitur creatæ vis motricis prima exiſtentia, ab Authore Univerſi producta eſt, igitur & ejusdem exiſtentiæ continuatio ſeu hujusce vis conſervatio ab eodem unicè pendet producitúrque, ergo & omnis agendi efficacia in hac vi ab Authore Univerſi unicè pendet.

§. 26. Reſp. breviter: *Hoc ultroneè fatentur Vindices activitatis corporum, modo admittatur Deum tanquam cauſam primam una cum corpore vi motrice prædito tanquam cauſa ſecunda efficiente & non occaſionali cooperari.*

"§. 27. Et nulla proin erit in hac vi agendi efficacia niſi quam Author Univerſi in illa conſervat hoc eſt continuè producit, & per conſequens, omnis agendi efficacia, ſeu omnis potentia hujus vis propriè loquendo nihil eſt niſi ipſa potentia Authoris Univerſi.

§. 28. *Reſp. ſine contradictione & implicantia haud concipi poſſe quomodo efficacia hujus vis agendi quam ab Authore Naturæ conſervatam hoc eſt continuè productam adeóque ejus effectum ad extra, hinc & à Deo diſtinctam affirmat Vir Doctiſſimus, nihil ſit propriè loquendo niſi potentia Authoris Univerſi prout idem concludit, conſequenter ab eodem indiſtincta*, ex his infert, ac proin effectus hujus vis propriè loquendo erunt effectus Authoris Univerſi, Reſp: *haud dubiè ſed cum cauſa ſecunda unà agente cooperantis.*

§. 29.

§. 29. Aſt Author Univerſi (ſubſumit Vir Clariſſimus) " effectus puta motus corporum qui huic vi aſcribuntur pari " facilitate, & majori compendio immediatè producere poteſt " quam interventu talis vis à Virtute Divina diſtinctæ, atta- " men per illam ſolam operantis, ergo ex ſolis effectibusſive " motibus corporum, exiſtentia talis vis nullo modo colligi " poteſt, cum hæc ad hos producendos haud quaquam ne- " ceſſaria imò ſuperflua ſit.

§. 30. Reſpon. Profectò nemo facile abnegabit Authorem Univerſi de plenitudine abſoluta ſuæ potentiæ non ſolùm effectus huic vi corporum motrici aſcriptos, verùm etiam vi intelligendi & volendi mentis creatæ tribui ſolitos intellectiones nimirum & volitiones actuales pari facilitate & majori compendio immediatè producere potuiſſe, quàm interventu talis vis intelligentiæ creatæ à Virtute Divina ſecundùm pleróſque Carthefii Diſcipulos diſtinctæ, mediante qua mens creata immanenter, ſicut corpora actuoſa per vim motricem tranſeunter óperantur.

§. 31. Verùm quis ſemoto præjudicio non videt Omnipotentiæ Divinæ modo ordinario præcedentis Manifeſtationem, & Univerſi Pulchritudinem per unum æquè ac alterum vel maximè auctam, adeóque vim internam corporum Motricem non magìs ſuperfluam imò ad Mundi pulchritudinem complendam æquè neceſſariam quam ſit vis intelligendi & volendi in mentibus creatis à Deo diſtincta, conſequenter argumentum hoc contra vim intelligendi & volendi creatam æquè ac contra vim corporum motricem militans, cum nimis probet, nihil probat.

§. 32. Si replicando dicas, magnam eſſe inter utramque vim, diſparitatem, mens enim creata potentiis agit ſibi identificatis, nec aliter ab ejus natura, quàm animal & rationale in homine, hoc eſt formaliter vel virtualiter diſtinctis,

vis verò corporum motrix eorum Naturam vel conceptum nullatenus ingreditur ipsísque contingenter advenit.

§. 33 Reſpondet Gaſſendiſta hoc gratis aſſertum, contendit enim vim quarundam materiæ partium motricem ſeu Niſum ad Motum inamiſſibilem minimè contigentem eſſe, nec minùs nec aliter ab iisdem diſtingui quàm vis ſeu Potentia intelligendi & volendi à mente creata (eodem modo de ſtatu quietis & inertiæ aliis materiæ partibus indito, judicat, quo nunquam à ſe, bene verò ab aliis moveri poſſunt) ac proin nihil obſtare concludit quo minus corpora à natura actuoſa quæ in lucidis & igneis maximè vigent æquè ac mentes creatæ, potentiis agant ſibi identificatis, quibus, à minimis materiæ inertibus, & in ſtatu quietis conſtitutis ſpecificè diſtinguanrur.

§. 34. Hæc de corporibus ſpecificis Notio nullatenus contrariatur paulò ante aſſertis de corpore genericè ſumpto, cujus Natura non intelligitur deſtructa ſive quieſcens ſive mota, magis quàm animalis ut ſic ſive rationale dicatur ſive irrationale.

§. 35. Aſt dices, Natura Subſtantiæ Spiritualis quæ ſine potentia intelligendi & volendi nec eſſe nec concipi poteſt, eo momento deſtruitur quô intelligens & volens non ſupponitur, quod de corpore & potentia motrice dici nequit.

§. 36. Reſpondetur 1°. idem ipſum de corpore à natura actuoſo, víque motrice prædito, ſentiendum, quâ ab inerti ſpecificè diſtinguitur. 2do. Licet poſito præſenti Statu rerum, hoc Cartheſianorum aſſertum plauſibile videtur quandoquidem non actu extat ſubſtantia inextenſa & indiviſibilis entitativè una intellectu & voluntate carens, quæ de potentia Dei extraordinaria æquè poſſibilis ac ſubſtantia diviſibilis entitativè multiplex actu in corporibus vigens, & perceptionis expers, (hoc, in quo nullam video implicantiam,

mor-

mordicus tuetur illuſtris de Stair in ſua Phiſiologia Experimentali) ſi talem Deus produxiſſet nunquid verum eſſet dicere Naturam Spiritûs generice ſumpti non ſupponi deſtructam ſive cogitans dicatur ſive cogitationis expers, nec vis intelligendi & volendi magis ſpecifice mentem creatam ab ejusmodi ſpiritu cogitationis experte diſtingueret qàm vis interna motrix corpus actuoſum ab inerte.

SECTIO IV.

In qua proponitur Sententia Authoris.

§. 1.

COllatis rite argumentis in utramque partem propoſitis, quivis ſemoto Hippotheſium præjudicio facile (ni fallor) judicabit, nondum revelatum nondum invicte demonſtratum, corporibus etiam maxime activis vim ineſſe internam motricem ad Extra ă Deò liberaliter conceſſam, causáſve dari ſecundas vere licet dependenter efficientes ſéque & alia ad extra moventes; multóque forte minus, Deum primum motorem ſolam & unicam eſſe cauſam omnis motus & activitatis corporum vere efficientem, nullámve creaturam dici poſſe niſi populariter & abuſive cauſam ſecundam ullius activitatis ad extra productricem, ſolumodo *Occaſionalem* motus à ſolo Deo communicati, & determinationis ejusdem (ut §. 19. Sect. 1a. hujus Cap. dictum) mutatæ.

§. 2. Rem ita ſe habere, litemque de activitate cauſarum ſecundarum non dum ex integro deciſam eſſe ſatis ſupérque confirmant Philoſophi celeberrimi & olim & hodiedum in diverſas de hac materia & è diametro oppoſitas recenterque propoſitas, abeuntes Sententias.

§. 3. In tanta rerum ambiguitate reſtat, ut ſententiam, quam ego (meo tenui judicio) tanquam probabiliorem & verò ſimiliorem, relicta minus probabili usque dum melius inſtructus, amplector, ſequentibus patefaciam.

§. 4. Dico igitur *primò* cum nullam hucusque videam implicantiam quare Deus in omni opere ad extra maximè liber, non poſſit, æquè partibus Materiæ Univerſi à natura actuoſis, verbi gratia *Lucidis & igneis* vim internam Motricem ad extra, ac mentibus creatis potentiam intelligendi & volendi ſeu motus immanentes eliciendi, impertiri, mihi longè probabilior, ſanæ rationi conformior, Omnipotentiæ denique & ſapientiæ Divinæ minus derogans videtur Sententia affirmantium Deum creâſſe quasdam Materiæ partes viribus activis inſtructas, quibus dependenter à primo Motore cooperante, ſe aliasque inertes & paſſivas, per motus ſimplices occaſionaliter variabiles & mixtos, movere poſſint.

§. 5. Nemo quidem facile inficiabitur creaturas ejusmodi moventes & ex neceſſitate agentes non ſolùm paſſivis & à natura inertibus quas actuant longè perfectiores eſſe, verùm etiam ad Divinæ Sapientiæ & Omnipotentiæ quas Occaſionaliſtæ ſat leviter conſiderare ne dicam negligere nimiſque limitare videntur, manifeſtationem & Univerſi pulchritudinem ſummámque decentiam, æquè (cæteris paribus) ac Agentia libera creata, contribuere.

§. 6. *Secundò*: Mihi hactenus præplacere Atomiſtarum Modernorum Sententiam mordicus tuentium vim hanc internam Motricem quarundam Materiæ partium, nec magis nec minus, ab iisdem diſtingui, quam vis intelligendi & volendi à mente creata, cujus effectus licet immanentes, cogitationes nimirum actuales, æquè (proportione ſervata) ab ejus potentia intellectiva & volitiva, ac motiones ſive motus tranſeuntes à vi corporum Motrice, diſtinguuntur.

§. 7.

§. 7. *Tertiò* : Particulas maximè actuoſas vi motrice prææditas per Univerſi molem ab initio diſperſas, omniáque minus activa permeantes, Lucis primæ Subjectum indivulſum, in corporibus lucidis & igneis vel maximè vigentes ſi *Materiam Cœleſtem*, *Mundi ſubtiliſſimam*, *Ætherem* vel *atomos igneas mundive Spiritum* nominare velis per me licet, has inquam principium eſſe & cauſam, omnium qui in Mundo aſpectabili fiunt motuum, verè efficientem, aſt ſecundam, ſubordinatam, & à prima dependentem, quæ cum particulis inertibus & paſſivis ad quietem à natura ſua determinatis Terrámque primordialem Globi terraqueo Aerei & planetarum materiam, pro majori parte conſtituentibus, quas actuat combinata, integram Univerſi Naturam Motûs & quietis principium & cauſam complet.

§. 8. Minus igitur à Modernis Hipotheſiſtis præſertim à Celeberrimi Stahlii Familia reprehendendum puto Clariſſimum Fridericum Hoffmannum in ſua Medicina rationali ſyſtematica Tom. 1. pag 21. conquerentem *infeliciſſimum hoc in philoſophicis dogma*, *Materiam in ſe & ſua Natura eſſe ens mere paſſivum & ab alio ente activo agitandum*, *complures erroneas in re philoſophica pariter ac Medica omni tempore peperit opiniones.*

§. 9. *Quartò* : Quandoquidem pleríque recentiores tam Philoſophi quam Medici licet diverſimodè de corporum activitate opinantes, unanimiter hodiedum concludunt omnes majorum ac ſenſibilium corporum motus à minimis materiæ primigeniæ ſubtiliſſimis ſumméque activis derivari, quæ in jugi ac perpetuo motu (vel ſaltem aliquorum *Niſu* ad Motum quoties occaſionaliter vel interrumpitur vel impeditur) à primo Motore continentur, Medicæ conſiderationis ſolumodo eſſe Materiam, & Motum à quocunque demum proveniat, ad corporis phiſici ſive animati ſive Vitæ expertis, Generationem,

nu-

nutritionem, & corruptionem ſummè & abſolutè neceſſaria eſſe, nec hilum *directè* facere ad punctum Medicum Theoretico-practicum, ſcholaſticè diſputare, an corpora ſint veræ cauſæ efficientes Motus an tantumodo occaſionales.

§. 10. (*Directè* inquam) quoniam indirectè, ad meliùs percipiendum & penes evitandum varia Medicorum Novatorum ſyſtemata fundamento tam inſtabili innitentia, hujus, ſicut & plurium aliarum Controverſiarum notitiam competentem Medicis tum diſcentibus tum vel maximè docentibus, Hipotheſium præſertim oſoribus, ſcitu & jucundam & neceſſariam exiſtimo.

§. 11. Ex hactenus de vi Corporom Motrice dictis liquet quàm infirmo ſtare talo videtur aſſertum Stahlianorum contendentium praxim Clinicam Principiis ſui Anteſignani de corporis inertia & animæ activitate motoria, non ſuperſtructam, mancam eſſe & mutilam.

CAPUT IX.

De Mentis Creatæ Activitate Motoria.

SECTIO I.

An Angeli & Animæ Rationales ſeparatæ Vim habeant internam Motricem ad Extra.

§. 1.

CArtheſii Aſſeclæ Spiritibus creatis æquè ac corporibus vim internam & ſe & corpora locomovendi adimunt eóſque ad ſummum cauſas motus occaſionales dici poſſe contendunt, alle-

allegantes Spiritus creatos non aliud in ſuo conceptu vel idea includere quam cogitationem, (ſicut nec Materiam, quàm Extenſionem) quæ motum (ajunt) tranſeuntem nec formaliter nec eminenter in ſe continet.

§. 2. Cùm hujus aſſerti, cui nec ipſi ſatisfacere poſſunt, evidentia quamvis diu mulúmque queſita, nondum inventa ſit, ob rationes pro vi corporum Motrice, & cauſarum ſecundarum ad extra activitate recèns allegatas, quarum pleræque æquè, ni fallor, pro mentis creatæ activitate ſe ſaltem movendi militant, mihi præplacet ſententia affirmantium Angelos utpote Dei Nuntios & Miſſos, quos *adminiſtratorios eſſe Spiritus propter eos qui capiunt hæreditatem Salutis æternæ*, docet Apoſtolus, & animas rationales ſeperatas ſe ſaltem à loco ſibi competente definitivo ſilicet, in locum modo ſpirituali licet nobis nulla ratione vel experientia Phiſica perceptibili, movere poſſe:

§. 3. Nec huic ſententiæ refragatur ſacra Scriptura quâ teſte, Angeli venerunt ad Abraham & Lot, Rhaphael fuit Comes itineris cum Tobia juniore, Gabriel miſſus ad Mariam Virginem ;

§. 4. Fatendum quidem definitionem Motus Cartheſianam ſpirituum motui nullatenus competere, exinde haud inferendum, eorum *translationem à loco* ſibi competente *in locum*, motum non eſſe verum & realem nec mentem creatam, motum ſui ſaltem localem, ideo excludere, quod eum fortè in ſuo conceptu vel Idea non includat (forte inquam) cum ipſa perceptio, motus ſit immanens, quâ mens tendit intra ſe, & ad motus ſpeciem ab ipſo Cartheſio reducitur;

§. 5. Neque Intellectu difficilius, qui perceptio & Motus ad Extra, modi licet diverſi non tamen oppoſiti & repugnantes eidem ſubſtantiæ inſint & ab eâdem proximè proveniant, quam ſubſtantias toto Cœlo diverſas corpus nimi-

rum

rum & Animam rationalem tam arcto nexu in Homine conjungi.

§. 6. Major vero difficultas reſtat, an nimirum vis quâ Angeli & Animæ rationales ſeparatæ aſſumunt corpora, quâ Angelus ſecundùm ſacram Scripturam cum Jacob luctabatur, & poteſtas illa Dæmonibus conceſſa quâ in Aere Atmoſpherico dicuntur movere tempeſtates, excitare ventos, fulmina torquere & vibrare, quâ denique à Satana Salvator noſter Chriſtus ſecundùm Novum Teſtamentum in Montem excelſum & ſupra Templi pinnaculum evectus dicitur, ſit ipſis intrinſeca, an ſint tantumodo cauſæ occaſionales cur in corporibus ſimiles fiant motus.

§. 7. PneumoCoſmici, præſertim qui poſt Platonem & Pithagoram contendunt principium internum omnis motus eſſe incorporeum, affirmant ſed nullatenus confirmant menti creatæ vim ineſſe internam Motricem quâ ſe & omnia corpora à Natura ſua ſecundùm ipſos mere paſſiva & inertia ad libitum moveat,

§. 8. Hæc eorum Opinio Traducianis in deliciis eſt & vel maximè illuſtris Stahlii diſcipulis aſſerentibus animas tam rationales quam brutorum eſſe principium à natura activum & movens cui nihil niſi motus eſſentialiter competit, quódque nec aliter agere quam movere poteſt de hoc conferatur Georgius Daniel Coſchwitz in ſuo Organiſmo & Mechaniſmo pag. 28.

§. 9. Atomiſtæ recentiores poſt Democritum, Leucippum & Epicurum aliter opinantur, qui inter Atomos activas & cauſas ſecundas efficientes nullum faciunt reale diſcrimen, Atomos enim activas volunt dici ***materiam*** in quantum corpora ſenſibilia ex eorum cum inertibus combinatorum congerie formantur, & ***cauſas*** ſeu prima motûs principia in quantum à natura maxime ſunt activæ & mobilitatis imperceptibilis,

§. 10.

§. 10. Ex hactenus recenſitis inferunt & ipſum corporum motum diviſibilem, &, ſicut ejus principium internum & proximum, verè corporeum eſſe.

§. 11. Quandoquidem enim motus corporis, ſive translatio ejusdem à loco in locum ſit corporis translati modus, neceſſario rei modificatæ utpote corporeæ forum ſequitur, non aliter quam translatio Spiritûs creati à loco ſibi competente in alium, ſicut ipſe Spiritus, incorporea eſt.

§. 12. Hoc non advertiſſe videtur cel: Stahlius, qui paſſim in ſuis Scriptis docet motum eſſe rei incorporeæ actum incorporeum; in ſua diſſertatione Epiſtolica de Motu Tonico vitali pag. 42. ſic opinatur, *Cum enim Motus per ſe conſideratus res utique corporea non ſit neque ità neceſſario cum corpore reciprocetur uti figura, Magnitudo, Soliditas, &c. Sanè conceptui meo aptius videtur incorporei actus incorpoream eſſe cauſam, quam à quocunque Corporeo agente illam expectare.*

§. 13. Tandem concludunt Atomiſtæ mentes creatas, vi percipiendi & ſui probabiliter motrice præditas, corpora non niſi occaſionaliter movere poſſe.

§. 14. Præterquam enim quod Metemphſicoſis niſi forte ſano ſenſu accepta hodiedum ex Scholis Orthodoxorum multum exulet, nec Pneumocoſmici de ſui Idoli Animæ & Spiritûs Mundi quidditate phiſica inter ſe concordes, prout ſuo loco fuſius dicetur; actiones phiſicæ & naturales v. g. nutritio, augmentatio, generatio &c. Utpote corporeæ & materiales neceſſario (inquiunt) principium exigunt phiſicum corporeum, ſine quo tanquam cauſa ſecunda & proportionata nequeunt eſſe, magis, quam actiones ſpirituales ſive cogitationes actuales mentis creatæ, ſine principio ſpirituali.

§. 15. Enim verò cùm principium Motûs corporis proximum non aliter quam premendo, impellendo, ſeu in minima inertia corporis in quo glilcit & continetur impetum faciendo

 idem,

idem, & unà, corpora vicina obvia moveat, hinc neceſſario in motu corporum ſecundùm Naturæ Leges prærequiritur contactus realis & phiſicus, moventis & mobilis; Phiſiologo cordato imperceptibile, quomodo movens creatum ſi incorporeum, conſequenter ſine mole, ſine ſoliditate, duritie, aut resiſtentia (quæ omnia ad contactum & impulſum phisicum requiruntur) poteſt ſecundùm Leges Naturæ taliter corpori quod impellit applicari, ut mutuus & ipsius inextensi omniáque penetrantis, & corporis à Natura extensi & impenetrabilis fiat contactus, ſolis corporibus, ſpiritibus nullatenus competens, juxta id Lucretii à Phiſiologis generaliter pro Canone acceptum *tangere nec tangi, niſi corpus nulla poteſt res.* Aliter de motu locali Spiritus creati utpote modo incorporeo ſentiendum.

§. 16. Fridericus Hoffmannus aliàs Phiſicæ Mechanicæ Fautor in ſua diſſertatione Phiſico-Medica curioſa de Diaboli potentia in corpora Ulmæ impreſſa pag. 374. Huic Atomiſtarum Argumento ſequentibus reſpondere videtur. *Quæſtio vero eſt num corpus moveri queat ſine alterius corporis actione, vel impreſſione virtutis in ipſum & quidem per aliam ſubſtantiam immaterialem nempe Spiritum? Quam ob cauſam id non fieri poſſit equidem non video. Nam ſi conſideremus cujus indolis ſit vis iſta quæ corporibus in motu imprimitur certè non alia quam immaterialis. Nihil enim corpus quando celerrimè impellitur materialitatis, ut dicam, recipit, nihil ipſi additur, vel mouenti derogatur, nam unum corpus, infinitum id eſt absque fine, ſine diminutione virium ſuarum, motum provocare in quieſcentibus poteſt; & ut verum fatear, vis illa ſubſtantialis quæ omnium operationum id eſt motionum in corporibus cauſa & fons eſt, non alia quàm immaterialis dicenda videtur, omnem enim Subſtantiam & Eſſentiam Creaturarum colloco in immaterialitate. Cùm itaque Spiritus ſit Subſtantia immaterialis ſummè activa,*

activa, qua de cauſa vim ſuam non poſſit etiam cum corporibus communicare non intelligo.

§. 17. Quomodo hæc Clariſſimi Viri de vi corporum Motrice notio, cum ejus Aſſerto, §. 8° Sectionis 4æ præcedentis Capitis fideliter citato, combinari poſſit non ſatis aſſequor multò minus cum §. 2° præfaræ ſuæ diſſertationis pag. 372. in qua Carthesii Doctrinam reprehendens expreſſe dicit, *acceperunt itaque corpora à Deo virtutem internam moventem, quæ ſimul patitur, hoc eſt, quæ actionem alterius corporis recipit. Falſum itaque eſt earum vim immediate eſſe divinam.* in calce ejusdem paragraphi collatione prævié facta cum noſtris cogitationibus & vi corporum Motrice ſubjungit, *ità etiam corpora moventur virtute propria ad cujus conſervationem Univerſali divina opus eſt.* Hócque ſuum aſſertum tanquam propriam ipſius Sententiam pag. 386. §. 10 ejusdem diſſertationis confirmat, dum ait: *Equidem ita comparata eſt Natura Spirituum nullum ut corpus, ſi accuratè loqui velimus, moveant. Non enim vera illa ac adæquata motûs cauſa Spiritus eſt, ſed dirrigere tantum certos motus corporum vel certi generis corpora excitare poteſt ad motum, quod patet ex indole Animæ noſtræ quæ non propria ſua virtute ullum corpus extra ſuum domicilium movet, neque ſuo in corpore in omnes partes idem jus movendi habet; (nam pro lubitu, cordis, arteriarum, ventriculi, inteſtinorum motum vel ſuſpendere vel augere non poteſt) neque etiam immediatè & proximè Voluntas Animæ, vel ullum articulum vel muſculum manûs & pedis movet, ſed alio Agente interveniente, cujus motum dirrigere & cui imperare poteſt. Ex quo intelligimus quoniam Spiritus non ſunt creaturæ propria virtute moventes,* (quod notandum) *ipſis non competere in corpore promiſcuam, liberam, & neceſſariam facultatem movendi, ſed potius certis modis, conditionibus, & limitibus reſtri-*

 ctam,

ctam. En genuinam ni fallor Authoris inſigniſſimi Sententiam.

§. 18. Prægreſſis enim ritè & ſolitariè perpenſis non video quo fundamento ſine contradictione aſtrui poteſt indolem iſtius vis, quæ corporibus in motu imprimitur, non aliam eſſe quam immaterialem, niſi fortè vim illam à ſolo Deo & nullatenus à creatura cum Cartheſio quem reprehendit oriri ſtatuat, vel Animam Mundi propria virtute moventem quam Spiritibus creatis ineſſe negat, & una intelligentem, hinc iisdem longè perfectiorem, admittat.

§. 19. Inſuper, cùm nec ratio, nec revelatio, nec experientia nobis unquam dictaverit, accidens ſpirituale, ſive abſolutum ſecundùm Scholas dicatur, ſive modale, Subſtantiæ materiali, magis quàm materiale Spiritui immateriali, inhærere poſſe vel immergi, multò minus *omnem creaturarum*, (præſertim materialium à mentibus creatis eſſentialiter diſtinctarum) *naturam & Eſſentiam in immaterialitate collocari*; minus fundate concluditur 1° vim illam ſubſtantialem creatam quæ omnium operationum & motionum in corporibus cauſa & fons eſt ipsisque propria, non aliam quam immaterialem eſſe, 2do motionem vel motum corporum immediatum ejus effectum & mobili ſicut quivis modus ſuo modificato, inhærentem, qui diviſo mobili dividitur, incorporeum vel immaterialem, magis dici, quàm virtus ſpiritui intrinſeca & propria (neminè refragante) immaterialis, corporea & materialis dicatur, nec aliter celeberrimus ipſe Author, ſi mens ejus penitius & ſano ſenſu examinetur, ſentire mihi videtur, prout pag. 386. §. 10. ſuæ diſſertationis recéns citato ſincere & accuratè fatetur: hæcque non ſcopo Authorem tam gravem corripiendi, verùm mentem ipſius illuſtrandi, & hactenus ex ipſo citata ſanò ſenſu interpretandi annotare haud inconſultum puto.

§. 20.

§. 20. De primo Motore licet incorporeo longè aliter ratiocinandum, cum enim virtutis ſit infinitæ omnibúsque creaturis per immenſitatem, contactus Phiſici defectum eminenter ſupplentem, intimè præſens, immobilis & immotus, (hæc de creatis mentibus dici non poſſunt) omnia per ſolam voluntatem tanquam primus Motor primáque cauſa moveat, Spiritus verò creati nec virtute pollent infinita, nec ubique per immenſitatem preſentes, nec ſola voluntate vel hilum *ad Extra* niſi occaſionaliter facere poſſunt, adeoque, licet ipſis non ſit fortè deneganda vis interna ſe à loco ſibi competente in locum transferendi, cujus nullam habemus certitudinem phiſicam, minime concludendum eos ſecundùm Leges Naturæ, poſſe aliter quam occaſionaliter, ut ſæpiûs commemoratum, corpora vel aſſumere vel transferre, quatenus primus Motor ſecundùm Leges, ab ipſo mentes creatas inter, & corpora ſancitas, ad eorum Nutum corporum Motus accelerat, auget, determinátque.

§. 21. *Secundùm Leges Naturæ inquam*, quis abnegabit Deum *in principio* de plenitudine ſuæ potentiæ & via plane extraordinaria Spiritibus ſupernaturaliter elevatis activitatem intellectus humani captum prorſus exſuperantem, corpora movendi, ſicut & corporibus mentes (ſi vellet) à loco in locum transferendi impertiri potuiſſe, verùm *à poſſe*, & vel maximè vires Naturæ ordinariæ excedente, *ad actum* minimè valere conſequentiam nemo etiam facilè inficiabitur.

SE-

SECTIO II.

De Activitate Animæ Rationalis Corpori Unitæ.

§. 1.

HActenus recenſita nos haud parum illuminant ad melius indagandum an Anima rationalis corpori unita majorem habeat activitatem corpora & vel maximè proprium phiſicè movendi, quàm ſeparata? antequam huic quæſtioni ſatisfiat.

§. 2. Prænoto primo Animam rationalem eſſe veram hominis formam, hoc in Concilio Viennenſi eſt expreſſe & clare definitum, per eam homo *in eſſe* hominis eſſentialiter conſtituitur, & ab omnibus aliis diſtinguitur, & id quod homini inter animalia maximè proprium eſt *intelligere* nimirum & *velle*, operatur, eſt etiam actus primus ſeu nobiliſſima perfectio corporis Organici humani cui præcisè inexiſtit & hipoſtaticè unitur, (Homo enim eſt vere unum individuum una perſona) licet per corpus non ſubſiſtit, quod nutui & imperio Animæ volentis obſequitur.

§. 3. Prænoto 2do Unionem ſubſtantialem corpus inter & animam rationalem non eſſe *merè localem* utpote inſufficientem, ut ex corpore & Spiritu reſultet unum individuum vel ſuppoſitum qualis eſt homo, aliàs, cum omnia ſint in Deo, in quo vivimus, movemur, & ſumus, ex eo & Creaturis vel ex Angelo & corpore aſſumpto, localiter unitis, reſultaret una Subſtantia totalis.

§. 4. Nec merè *Intentionalem* cum non ſit ipſa cognitio Corporis, ſeu actio Facultatis cognoſcentis circa objectum co-

cognitum, nec ex objecto cognito & Subſtantia cognoſcente per unionem mere intentionalem reſultat unum compoſitum phiſicum, aliàs ex Deo, vel Angelo cognoſcente & Creatura cognita reſultaret unio ſubſtantialis & compoſitum.

§. 5. Nec mere Affectivam quæ conſiſtit in mutuo actu Amoris ſeu *pondere in objectum amatum & viciſſim*, ut cum Dagoumero loquar, licet enim Anima luteam ſuam Conjugem plerumque conſtanter amet, quid abſurdiùs, quam eam à Corpore cognitionis, hinc & amoris experte redamari; (plerumque inquam) quoties enim tædet Animam Vitæ ſuæ, quod in deſperatis & qui ſibi mortem inferunt videmus, toties unio Corporis & Animæ manet ſine affectu Animæ in Corpus.

§. 6. Prænoto 3tio cum Recentioribus Unionem ſubſtantialem Corpus inter & Animam rationalem non eſſe modum quendam realem & abſolutum, vel unicam vel duplicem prout plurimis è Peripato placet, quoniam unio vel eſt ipſa relatio uniti ad unitum, vel ſi fundamentum relationis dicatur, cùm ſit modus, neceſſario dicit reſpectum & ordinem ad rem quam uniendo modificat conſequenter hoc ipſo quod modus dicatur implicat eam dici abſolutam, niſi terminos confundendo, cum accidentibus Peripateticorum abſolutis confundatur, inter quæ, modi minimè (quod ſcio) ab iisdem reputantur.

§. 7. Inſuper cum formæ aliæ ſubſtantiales præſertim materiales quæ nihil habent abſoluti, ut dictum, & à Materia non magis ſeparabiles ſunt, quàm modi accidentales, minime per interjectum modum abſolutum prorſus ſuperfluum & rejiciendum, ne modi abſoluti modus vel unionis Unio in infinitum admittatur, conjungi vel uniri poſſint, ſe ipſis hoc ipſo quod educantur ſeu fiant actu uniuntur, omni alia

entitate

entitate reali detracta; ut doctiſſimè notat du Hamel in ſuæ Metaph. tractatu 2do pag. 366. *Non poſſunt enim* (formæ ſubſtantiales materiales ſilicet) *eſſe actu niſi in materia, non quod Eductio formæ ſit unio, illa enim tranſit, hæc permanet: ſed poſita eductione ipſa Unio reſultat, ut poſito termino relatio emergit: atque ubi utraque, Materia & forma ſimul ſunt, ſtatim exurgit unio, neque ea poteſt eſſe ſine materia & forma ſimul ſumptis, neque adèo ulla eſt inter eas diſtinctionis nota, adeo ut Materia & forma per ſe ipſas uniantur:*

§. 8. Quidni & Anima rationalis, hoc ipſo quod in corpore organico cui infunditur, creatur & fit actu, eidem corpori absque ullo interjecto unionis modo abſoluto & ut dictum implicante, uniatur. Taceo nùllam nobis ſupereſſe rationem phiſicam aſſerendi unionem ejusmodi, dato (licet non conceſſo) quod corpori & formæ Materiali conveniat, corpori humano vivo & formæ ſpirituali ſimul & indiviſibili competere.

§. 9. Prænoto 4to uſque dum melius inſtructus, mihi præplacere ſententiam aſſerentium, Unionem Corpus humanum inter & Animam rationalem, conſiſtere in intima Animæ præſentia in corpore organico, ritè quoad ſolida & fluida pro ejus receptione diſpoſito formatóque, & mutua Animæ & Corporis dependentia, quæ à Recentioribus *comercium* audit, à generali Authoris Naturæ decreto in duobus conſiſtente 1o. ut Animæ volenti & imperanti corpus eidem ſubjectum obſequatur. 2do ut in mente humana excitentur ſpeciales cogitationes & diverſæ quidem, tam, pro diverſitate impreſſionum in corpore ab objectis externis factarum, quam diverſa motuum corporis naturalium & præternaturalium determinatione, hinc *ſentire, movere, & imperare,* eſt tota unionis hujus ratio.

§. 10. Hiſce prænotatis dico primo cum Anima rationalis per ſolam creationem minime per traducem producatur pro

ut

ut ſuo loco probabitur, in Hominis generatione, ſi non utrumque Parentem, (quod mihi longe verò ſimilius videtur) Saltem Marem ſecundum omnes activè concurrentem, haud dubie aliquid ſui actuoſum prolificum & materiale communicare, quod vi plaſtica imbutum non tam ex, quam in ovuli colliquamento ſeu materia in fæcundo coitu exhibita, ſuum proprium domicilium corpus nimirum organicum, parentis, per omnia quoad ſpeciem ſimile, efformat delineátque, unde ob ſummam ſubtilitatem *Spiritus Plaſticus & genitalis*, *Aura ſeminalis* imò *principium vitale* audit, quandoquidem actionum in homine purè vitalium & naturalium, corporis nimirum organici formationis, nutritionis, & accretionis (non aliter quam actuoſum vegetans in plantis) cauſa ſit immediata & conjuncta.

§. 11. 2do Cùm Fœtus humani formatio & delineatio motus ſit ſpecies, præfatíque Spiritûs immediatus effectus; dico, eam nullatenus derivandam ab anima rationali fœtui infuſa quæ Spiritus prolifici & delineantis in ſinu debito receptionem actionémque formatricem præſuponit, modúmque quo propria ſui Domicilii formatio fit, prorſus ignorat. Multò minus ab *Anima Patris*, quæ utpote indiviſibilis nec quoad ſe totum alias in genito replicaretur, nec quoad partem quam non habet, in generatione communicatur, vel *Matris*, ob eandem rationem, quæ (ſi ipſis Traducianis fides danda) non aliter in generatione quam materiam & nutrimentum fœtui exhibendo, concurrit. De Animæ rationalis corpus ſtruendi impotentia legi meretur Petri Chriſtophori Burgmanni Med: Doctoris Succinctum & doctum Hypotheſeos Stahlianæ Examen de Anima rationali corpus humanum ſtruente &c. Lipſiæ Anno 1731. impreſſum.

§. 12. Tertio quemadmodum actuoſum vegetans in vegetabilis cujuscunque ſeminio deliteſcens in ſui ſecundum propriam

priam ſpeciem domicilii tanto organorum & vaſorum apparatu inſtructi formatione ſpecifica, ità & Spiritus Plaſticus in homine & bruto, non propria ac intima prudentia & ratione cujus nulla prorſus dant vel dare poſſunt ſpecimina, ſed alienâ & externâ Divinâ nempe gubernantur & dirriguntur.

§. 13. Si dicas Animalia præſertim Hominem ſuum habere principium internum *prudens*, *ſapiens*, & *intelligens* quo deſtituitur vegetabile, animam nimirum in homine rationalem quæ non tantum actiones ânimales verùm etiam naturales & purè vitales dirrigit, adeoque in animalibus & vel maximè rationalibus non opus eſſe recurrere ad alienam & externam Divinam nempe rationem, niſi in quantum cum noſtra cooperatur.

§. 14. Reſp. Etiamſi anima rationalis corpori unita haud dubie ſit principium eſſentialiter cogitans, ſuæque cogitationis ità conſcia, ut nec vel minimum ad intra vel extra dirrigere poteſt quod non vult, nec velle quod non præcognoſcit (*nihil enim volitum quod non præcognitum*) nulliúsque rei vel minimam habet notitiam, (quod ſeriò notandum) cujus ſufficientia, ſaltem cognitioni proportionata non poteſt dare ſpecimina, cùm de formatione fœtus nullas format ejus anima nec formare poterit cogitationes vel rationes, nullâque ejusmodi cogitationum ſpecimina, magis quam vegetabilia de ſuo vegetationis actu, exhibendi capax ſit; concludendum animam fœtûs humani æquè ignorare quomodo & qualiter corporis ſui formatio & nutritio fiat ac vegetabile incapax ſit percipiendi modum quo ejus vegetatio inchoatur & abſolvitur, conſequenter cum anima fœtus tam incapax ſit, quam planta actiones vitales quas ignorat phiſicè dirrigendi, vel maximè opus eſſe recurrere ad prudentiam ex-

externam Divinam nempe, qua principium vitale in proprii ſui Domicilii tam affabre inſtructi formatione, ductum organiſationis ſequens dirrigitur. *Nobis neſciis* Teſte Hermanno Boerhave, quin imò hoc intima noſtra conſcientia dictat *fluit ſanguis per venas & arterias, fluit chylus per lactea, ſanguini miſcetur*, & *per pulmones tranſit, quod hominum nemo per mentem mutare poteſt.*

§. 15. Huic Argumento abunde ſatisfeciſſe putat Clariſſimus Coſchwitz cum in ſui Organiſmi & Mechaniſmi pag 89. ait: *Notum enim eſt Plures adhuc dari actus animæ de quibus rationes & cogitationes completas NB formare nequit qui tamen ipſi denegari non poſſunt; v. g de ſenſibus Olfactus & guſtus, certiſſimum eſt quod ab anima dependeant. Et tam Odores quam ſapores ab ipſa percipiuntur, interim tamen nemo eſt qui rationem dare nedum mente concipere poteſt, in quonam differentia odorum & ſaporum ſpecifica conſiſtat, licet ſpecificam differentiam percipiat, & ex conſuetudine didicerit alium eſſe odorem roſæ alium vero Cariophili* - - - -

§. 16. Regeritur, nemo ſenſatus inficiabitur tam odores quam ſapores ab anima percipi, quin imò (quod forte oblitus eſt Vir Doctiſſimus) hujus perceptionis clariſſima dat pro lubitu indicia & Specimina, cùm verò ingenuè fateatur ipſe Author ſe nec rationem dare, nec mente in quonam odorum & ſaporum differentia conſiſtat, concipere poſſe, æque clarum videtur egregium Virum non aliud habuiſſe nec habere potuiſſe motivum hoc aſſerendi, quam propriam animam ſimili cognitione non imbui, ideóque pure, quoniam ejusmodi cognitionis nec vel minima exhibuit nec exhibere potuit ſpecimina, è contra & ſuæ, & noſtræ ignorantiæ ejusdem conceptus, indicia, ex propria Confeſſione dat ipſe Author ſufficientiſſima.

§. 17. Ad id quod ſubjungit eadem paginâ plures dari actus Animæ de quibus *rationes completas* formare nequit, implicite fatetur (ſaltem abnegare nequit) animam de iisdem actibus rationes formare *incompletas* ſeu minus perfectas, minúsque intellectui ſatisfacientes, quarum ſpecimina ſufficientia ſed proportionata exhibere poteſt anima in quantum conſcia, quemadmodum rationum & idearum ignotarum ad perfectam & completam cognitionem requiſitarum, ignorantiæ, paria dat indicia ipſe Clariſſimus Author.

§. 18. Anima veró rationalis de Plenitudine ſuæ Potentiæ & cognitionis naturalis, nullas prorsus intra Uterum (nec extra, niſi reflexe diſcurrendo) de actibus vitalibus aut propriis Corporis formatione cogitationes, nec completas nec incompletas format, nec alia de iis, quam ignorantiæ propriæ Specimina exhibere poteſt, quæ ſi extarent, eorum Mentionem in ſuis Scriptis haud dubie Vir Clariſſimus, aliique ejusdem Hypotheſis Fautores facere nequaquam omiſiſſent.

§. 19. Nec magis obſtat vulgare Traducianorum Dicterium Animam humanam morborum ſecundum ipſos medicatricem & Naturam Hominis medicam activam, interno quodam ſubtiliori licet occulto ſenſu tam actuum vitalium quam eorum quæ actus vitales & corpus Organicum offendunt leduntque inſtructam eſſe, quem (ut ab animali ſenſu diſtinguant) *vitalem* appellant, & ſi Coſchwitzio aliiſque e celeberrimi Stahlii familia novatoribus credendum, ad tuendum, eundem nobis ineſſe, ſufficere prætendunt quod ejuſmodi actus rationi in genere non contrarientur vide Organiſmi &c. pag. 89.

§. 20. Si hoc eorum aſſertum quod magis audacter affirmant quam plauſibiliter confirmant vero ſimile ſolùm eſſet, non video cur non æque vegetabilibus ſenſus vitalis cum principio

cipio

cipio vitaliter ſentiente concedendus, cur etiam anima Mundi à ſanioribus Medicis rejecta denuo non ſit univerſaliter acceptata.

§ 21. Præterquàm enim quod ſenſus ejuſmodi vitalis in animalibus juxta Traducianos à ſenſu animali diſtinctus nullis neque rationibus neque obſervationibus phiſico-Medicis eſt demonſtrabilis, cum nulla in animalibus magis quam in vegetabilibus ſenſus pure vitalis extent ſpecimina, quis niſi Enthuſiaſta vel Ideis PneumoCoſmicis non rite digeſtis paſtus, affirmabit oſſa humana cum ad debitam duritiem & integritatem pervenerint (ipſis fatentibus) ſenſu animali carentia, ſenſu vitali plus quam planta pollere, (idem eſto judicium de motu fibrarum minimarum totius corporis tonico & oſcillatorio placido animam ut animaliter ſentientem nullatenus afficiente) vel, ut planius & ad RR. mentem loquar, quis dicet animam rationalem magis per oſſa, quam principium actuoſum plantæ vel arboris per ejus radices vel caules vitaliter ſentire, niſi forte ipſam fibrarum oſcillationem in utriuſque vegetatione communem, ſolo mentis ratiocinantis oculo perceptibilem, ſenſum vitalem (neſcio quo juſto titulo) nominare velis; quis denique dicet animam rationalem tanquam ſentientem circuli ſanguinis uſque ad Harvei tempora ignoti ſenſum habere vel habuiſſe vitalem. De hóc conferatur Diſſertatio inauguralis Phiſico-Medica de Pleuritide cum Miſcellaneis de inflammatione & Naturæ Medicæ Natura à Domino Franciſco Antonio Götz, ſub meo Præſidio Anno 1734. publice in hac Alma Univerſitate defenſa à pag. 53. ad pag. 65.

§. 22, Jure igitur merito & ipſis Traducianis æqué ac Principio vitali verè occultus ſi non per ſomnum Pythagoricum factus fictuſque videtur ſenſus pure vitalis, adeoque quamdiu ejuſdem Natura, origo, organum & animæ prudentis per illud

lud Organum tanquam inſtrumentum, vitalis perceptio, in errorum tenebris occulta & immerſa latet, tamdiu ſenſum vitalem internum & occultum aſſeverantes, occultum per occultius in foro Phiſico-Medico explicant.

§. 23. Hôc igitur rejectô, & ab homine, exclusô, æque corruit ni fallor Juvantium & ledentium ſalubrium & inſalubrium perceptio innata & pure vitalis a medicamenti vel alimenti introſumpti, & aliti recipientis proportione vel diſproportione diſtincta.

§. 24. *Innata inquam & pure vitalis* non deſunt enim Philoſophi inſignes, & curioſi Naturæ indagatores, ideas innatas cognoſcitivas mordicus tuentes, qui haud infundate fortè ſupponunt Divinæ providentiæ Legem cunctis animalibus inditam eſſe & congenitam, eorumque Naturis, characteris inſtar impreſſam, quam, *inſtinctum* áppellant ſive *ſui ipſius conſervationem* quæ non alia, quam vis quædam præſtantis Immaginationis, animalibus, brutis vel maxime, dictans, quid proſequi quid fugere debent, vi cujus Agnellus (idem eſto judicium de aliis) vix ſecundinis exutus nullo duce materna ubera arripit abſque ullo prævio ſenſibilium incurſu, aliaque animalia, libamina, quæ in alimenta, quæ in medicinam, quæque illis noxia, multo melius homine niſi experientia edocto diſcernunt, unde Plinius non male videtur conqueſtus *pudendum hoc, omnia animalia quæ ſunt ſalutaria ipſis, nôſſe, præter hominem.* Verùm inſtinctus ejuſmodi in pleriſque animalibus excellens & innatus, eſt vere animalis , adeoque cum ſenſu quodam interno vitali actuum pure vitalium propriis ejus fautoribus nedum adverſariis vere occulto, minime confundendus.

§. 25. Notitia vero juvantium & ledentium ſalubrium & inſalubrium in homine haud innata eſt ſed indies acquiſita, nec animæ ut ſentientis ſed ſolide ratiocinantis operatio eſt, quod non parum ipſa confirmat experientia quotidie docens , nos

ſæ-

ſæpius maxime appetere quæ ſunt inſalubria & nociva modo ſenſui animali grata, & ſalubria eidem minus grata averſari, quod, ſi anima juvantia & ledentia, innatâ quâdam ratione diſtincte noſceret, & diſcerneret, haud dubie, cùm in corporis perniciem tendat, non accidiſſet.

§. 26. Hactenus allegatorum conſectarium videtur, actus pure vitales licet rationi in genere nullatenus contrariantur, animæ rationali *directe* & *phiſice* non aſcribendos; (directe inquam) quia non inficiandum animam, ob intimam ejus cum corpore unionem & commercium, magnumque ſuper actus animales, cum pure vitalibus arctiſſimo vinculo connexos, imperium, ſæpius motus vitales indirecte multum afficere, multumque alterare & turbare. Hoc plurimis illuſtrari poteſt exemplis, quorum unicum brevitatis cauſa pro hac vice ſufficiat.

§. 27. Cuivis in re medica vel minimum verſato notum, pulſum cordis, hincque pendentem ſanguinis circulum actus eſſe pure vitales, qui (nemine refragante) directo & immediato animæ rationalis imperio non ſubjacent; longe aliter de actibus mixtis, ut de reſpiratione ratiocinandum, quæ in quantum ad Nutum Animæ volentis per aliquot intervalla multum (licet non in totum) ſupprimi, augeri, prolongari, & abbreviari poteſt mediantibus muſculis reſpirationi dicatis, dicitur voluntaria, actuſque partìm *animalis*, neceſſaria vero & partìm *vitalis*, in quantum ejus, & vitæ, extra uterum, continuatio, pari paſſu ambulant; ſinè reſpiratione enim circuitum ſanguinis per pulmones hominis nati ad vitam continuandam abſolute neceſſarium, implicare, nemo poſt Harveum hodiedum facile abnegabit.

§. 28. Hujus actus tanquam mixti cum debita reflectione haud meminiſſe videtur doctiſſimus Coſchwitzius, cum pag. 93. Organiſmi & Mechaniſmi hoc ipſum citans Exemplum ſed in ſuum ſenſum torquens, ait; *Notiſſimum apud omnes eſt, actus vitales*

vitales principales, primarioſque, eſſe reſpirationem & pulſum, hincque pend.ntem ſanguinis circuitum &c. & paulo poſt ſibi contrariare videtur dum ait: *Nunc autem cuique notiſſimum exiſtit quod quilibet imperium habeat in actum reſpirationis, eundemque licet non in totum, tamen in tantum & per aliquot intervalla notabiliter ſupprimere & pro voluntate ſufflaminare valeat*: (en actus mixti partim animalis partim vitalis ſignum vere pathognomonicum) ulterius pergit - *præterea cuique experimentum committimus, an non poſt talem reſpirationis voluntariam ſuppreſſionem, etiam pulſus breviſſimis intervallis alteratur & ſuſpenditur, qui mox iterum alteratur crebriorque redditur, quam primum reſpiratio repetitur & quidem ex neceſſitate phiſica & vitali celerius reiteratur.*

§. 29. Quis ſemoto præjudicio non videt alterationem pulſus in præſenti caſu, reſpirationi cui pulſus cordis arctiſſimo vinculo connectitur, ad nutum animæ volentis alteratæ, phiſice proxime & directe deberi, adeoque non Animæ rationali niſi remote, moraliter, & indirecte, aſcribendam.

§. 30. Quinimo, ipſi actus voluntarii animales dicti, nedum mixti, cum ſint in radice vitales, & ab eadem, cum vitalibus, cauſa proxima & phiſica proveniant, ſuam activitatem ab anima rationali proxime & directe minime mutuantur, quæ nihil aliud contribuit quam quod ex arctiſſimo ejus cum corpore organico vivo connexione & unione reſultat.

§. 31. Nimirum motus omnes voluntarii, quorum, ſicut actuum pure vitalium, organa, curſum, modum agendi & phiſice dirrigendi, Anima, (niſi forte per doctrinam & experientiam longam inſtructa, harum aliqualem ſed imperfectam & obſcuram acquirat ideam) prorſus ignorat; omnes inquam motus voluntarii juxta Leges ut dictum à Deo corpus inter & animam Sancitas, ad ipſius volentis nutum & arbitrium determinantur & peraguntur, non aliter proportione ſervata quam

equi-

equi dociles ad Aurigæ nutum & directionem currum trahunt, vel famulus vi pacti cum ſuo hero initi, plurima proxime & phiſice ad nutum & mandatum heri facit, quæ hero tanquam potiori & nobiliori licet moraliter tantummodo concurrenti, populariter attribuuntur.

§. 32. Pro fortiſſimo & quaſi Achilleo Traducianorum Modernorum Argumento habetur ſequens: Cum nemine re- " fragante Animi pathemata plane (inquiunt) immaterialia, " ſæpiſſime ſtatum ſanitatis & motus in æconomia vitali mirum " in modum immediate & celerrime alterent, quoties enim " non experimur in homine utriuſque ſexus cæteroquin ſaniſſi- " mo, abſente omni, quæ vitio poſſit eſſe, materiâ, poſt gra- " ves animi commotiones, ſolidorum & fluidorum motus & " æquilibrium ſumma cum vehementia & celeritate perverti; " conceptâ in animo iracundiæ Ideâ, Cor ſtatim nulla alia acce- " dente cauſa palpitat, arteriæ validius pulſant, fluida cum im- " petu ad caput & corporis ambitum feruntur; qui pariter ſu- " bito terrefiunt, protenus in extremis frigent & inhorreſcunt; " tubuli ſubcutanei cum poris conſtringuntur, venæ detume- " ſcunt, & in præcordiis à congeſto ſanguine maximas non raro " cum difficili reſpirio patiuntur anxietates, quæ cum à ſola " Anima graviſſimis pathematibus agitata immediate & dire- " ctè cauſentur: neceſſàrio (ajunt) ſequitur, motus etiam vi- " tales & naturales regulariter & moderatè procedentes ab ea- " dem tranquilla, & immoderatis paſſionibus vacua unice & " proximè derivandos.

§. 33. Reſp. 1° Hoc Argumentum licet primo intuitu apparenter ſpecioſum, nullatenus ferire Authores qui præter animam rationalem, aliam in homine ſenſitivam materialem ſimul & cognoſcitivam, brutis communem, tuentur, quam, veram pathematum ſeu paſſionum etiam materialium ſedem eſſe affirmant, & in quantum paſſionibus

agitatur animum vocant, hinc paſſiones Animi, pathemata audiunt.

§. 34. Reſp. 2do. Pro faciliori hujus argumenti ſolutione, in ſententía unicam in homine admittentium animam, rationalem nimirum, pauca de ipſis animi pethematibus præmittere non inconſultum.

§. 35. Primo animus in homine ab ipſa rationali anima quatenus ſentiente, & actiones cum brutis congeneres edente neutiquam diſtinguendus; variique in illo & ab illo procedentes effectus & commotiones, quatenus ſub immagine corporea aliquid tanquam ſibi & corpori gratum & conveniens appetit, vel tanquam ſibi contrarium reſpuit, Pathemata ſeu paſſiones vocantur, cum illas variæ corporis alterationes & impreſſiones quarum ratione anima rurſus patitur modo præcedant modo concomitentur.

§. 36. Secundò hæc animi Pathemata non malè à Modernis quibuſdam deſcribuntur *affectiones animæ in quantum ſentientis quæ ad ipſam referuntur, quæque à ſpirituum & fluidorum commotione procreantur, foventur, & generantur*; (intellige occaſionaliter) quibus verbis ſignificatur non tam à paſſionibus impelli ſanguinem & ſpiritus ſive activum in ſanguine & ſolidis gliſcens, quàm, ab horum impulſu fortiori, à forti rerum externarum impreſſione per ſenſoria communia, factâ, oriri & excitari in anima paſſiones, (*nihil* enim ſaltem materiale, *eſt in intellectu quod prius non fuerit in ſenſu*) quæ in quantum ab intra excitantur, primordia occaſionalia ſumere videntur à conſvetudine inclinandi animum verſus certa objecta, eáque vel hæreditaria & innata, vel concepta opinione de rebus ſenſualibus aſſumptâ, verbo *inclinationibus innatis* pro diverſa corporis complexione & temperamento præſertim innato, diverſis.

§. 37.

§. 37. Hæ à nonnullis haud inepte *paſſiones dominantes*, *paſſiones generales* à quibus particulares pululant, & *animi mores* audiunt, quos ſequi temperamentum corporis jam dudum Galenus fundate aſſeruit, & ante ipſum Hippocrates magnam inter motus ſanguinis & animi convenientiam conſiderans haud obſcurè innuit, dum lib. de flatibus ait: *opinor inter omnia quæ in corpore ſunt, nihil magis ad prudentiam conferre quam ſanguinem, qui ergo cum in conſtante habitu perſiſtit conſiſtit & prudentia, ſanguine verò permutato concidit & prudentia, videmus id in temulentis per ebrietatem, ab auctó repente ſanguine percellitur animus & in animo prudentia.*

§. 38. Hoc maxime liquet in temperamentorum examine, in ſtrictè & ex prædominio *Cholericis* per quorum fibras utpote teneriores, ſenſibiliores, magis tenſas & renitentes, vaſaque reſpective anguſtiora, validior obſervatur principii vitalis & ut dictum materialis vis motrix, quæ celeriori impetu quam in Melancholicis, vel Phlegmaticis ſanguinem in omnes corporis partes & vel maxime (accedente iracundiæ Idea) in Cerebrum Jaculatur.

§. 39. His proxime accedunt *ſanguinei* per quorum vaſa copioſiora ſed non ita ampla, fibraſque nec nimis laxas nec ſtrictas tono æquabili & mediocri præditas, ſanguis placidius & temperatius decurrit.

§. 40. Secus in *Melancholicis* & *Phlegmaticis* fit, ob illorum enim, fibrarum duritiem rigiditatem ac denſitatem, horum, vero, mollitiem, ac Laxitatem, hinc languorem reſpective majorem, Maſſa ſanguinea lente & cunctanter vaſa percurrit, unde humores facile craſſitiem, lentorem, & ſpiſſitudinem induunt.

§. 41. Cum in animo exſurgunt Ideæ, celeriori vel tardiori ſanguinis, per cerebri ſenſuum internorum organi membranas & vaſa minima, trajectui, conformes, facile eſt (ni fallor)

 con-

concipere, cur in cholericorum animis major præcipitantia, celerior impreſſionis à ſenſibili externo factæ, perceptio, inquè cæteris corporis functionibus major obſervatur velocitas quam in Melancholicis & Phlegmaticis.

§. 42. In *Melancholicis* omnes tam animi quam corporis functiones tarde & cum difficultate quadam peraguntur, in *Phlegmaticorum* actionibus magna obſervatur pigrities, torpor & Languor, in *ſanguineis* quorum temperamentum in mediocritate conſiſtit, major eſt alacritas, ſuavitas, & ad motum expeditio. *temperamentum* igitur a Galeno ſat fundate *fundamentum morum* audit.

§. 43. Quo major in animo fit præcipitantia, cæteris paribus, juxta Leges à Deo corpus inter & animam ſancitas, eo citius principium corporis activum & vitale in ſanguine & fluidiſſimo Nervorum liquido gliſcens, fibrarum motricium muſculorumque tonum, nec non motum oſſcillatorium continuans & conſervans, ad nutum animæ volentis & ſentientis, vias ejus & tramites, ut dictum, prorſus ignorantis, tam ad Cerebri ſenſuum internorum organi medullam, quam ad partes motibus voluntariis dicatas pro voluntario eorum motu accelerando influit & determinatur.

§. 44. Hujus influxum & determinationem inchoatam ob ſummam & intimam connexionem, neceſſario & immediate ſequitur major, celerior, & impetuoſior, humorum circulantium etiam ad motus voluntarios neceſſariorum in prædictas partes ingreſſus & affluxus, hinc calor auctus, pulſus ac reſpiratio concitatior, anxia & pulſatoria cordis ſanguinem quaſi momentaneè à Centro ad ambitum pellentis palpitatio, extremorum tremor, ipſius denique mentis tanta de ſtatu ſuo deturbatio, ut qui multum iraſcitur non raro brevem quaſi furorem mentiatur.

§. 45. In terrore ſubito, & timore gravi, è contra ſanguis

à

à corporis ambitu ad majora vaſa circa cor & pulmones motu retrogrado impetuoſe fertur ob principii activi ā motu ſuo naturali ad commotiones præternaturales recedentis, idque ad nutum & imperium animæ ut ſentientis male affectæ, determinationem verſus interiora; hinc partes externæ in terrore fortiter conſtringuntur, aſpectus corporis plerumque pallidus, frigidus, & ob ſubitaneum fibrarum Collapſum contractus, eodem modo de aliorum animi pathematum origine, cauſis, & effectu, proportione ſervata, ratiocinandum.

§. 46. His præmiſſis ut tandem argumento ſatisfiat, quemadmodum fortis rei externæ ingratæ ſimul & offendentis impreſſio in ſenſorio interno facta, quæ prærequiritur ad formandam in animo Iracundiæ ideam, ejuſmodi Pathematis poſſit dici cauſa proxima ſed occaſionalis ſolummodo, quoniam corpus ſecundum ſanam Phiſicam non agit nec influit in ſpiritum phiſicè, niſi Phiſices regulas communiter à Philoſophis ſanioribus acceptas plane invertamus & rejiciamus, ita in animo exſurgens conformis præcipitantia, tam, turbationis adeo præcipitis & momentaneæ motuum principii activi in ſanguine & ſolidis gliſcentis, quàm eorundem verſus Cerebrum & partes voluntati dicatas determinationis cauſa eſt, aſt *Occaſionalis*, & Moralis, nullatenus vero *phiſica* & efficiens.

§. 47. Non enim ab anima volente, bene vero ad nutum ejus & Imperium (uti ſæpius inſinuatum) fiunt & determinantur tam prædicti motus, quam ſubſequentes & conformes liquidorum circulantium in prædictas partes influxus, qui, ſolidorum & fluidorum æquilibrium in tota æconomia vitali pervertentes, morborum exinde pululantium cauſa ſunt proxima directa & conjuncta: non anima rationalis quæ *indirecte* tantum, & occaſionaliter præter omnem ipſius utpote continuo corporis conſervationi ſecundum ipſos Stahlianos invigilantis intentionem, ad morbos animi à motuum volunta-

riorum hinc & pure vitalium per conſenſum turbationibus, proxime provenientes, concurrit.

§. 48. Aliàs, cùm prædicti animi morbi ſeu potius occaſione paſſionum animi producti, quæ & maxima pars morborum eſt, præ aliis, magis in corporis perniciem & deſtructionem quam conſervationem tendant, anima paſſionibus obnubilata cenſeretur nihil magis moliri, quam proprium corpus & domicilium voluntariè & directè deſtruere hinc ab ejus conſervatione deſiſtere.

§. 49. Hoc licet Traducianorum dicteriis è diametro ſit oppoſitum ex eorum principiis neceſſario ſequitur, enimvero Mechanicis opponentibus animam, ſi imperium haberet in actiones vitales, eaſdem poſſe pro voluntate & arbitrio alterare & ad certum tempus ſufflaminare.

§. 50. Reſpondent uno ore cum Coſchwitzio poſt Celeberrimum Stahlium *frivolam talem ludicramque actionum vitalium alterationem ac ſufflaminationem, animæ à ſummo Creatore* (quod notandum) *haud conceſſam, nec permiſſam eſſe, quoniam illa contrariatur Intentioni divinæ quæ vitam ejuſque conſervationem ad limites præfixos uſque pro fine primario poſuit.* Vide Organiſmi & Mechaniſmi pag. 93. & Stahlianos paſſim.

§. 51. Idem Author ſubjungit, *Unde ſi anima rationalis voluntariò actus vitales ſufflaminaret atque ab illis deſiſteret hoc ſane nuſquam rationale quid, ſed contra ſanam rationem actum eſſet* quibus verbis liquet; ipſum Authorem licet forte invitum fateri, animæ rationali qua tali actionum vitalium impeditionem vel interruptionem minime competere.

§. 52. Verum ſibi aperte contradicere videtur dum in eadem pagina linea 34 ait: *è quibus eluceſcit animam utique habere poteſtatem pro voluntate actus vitales primarios alterandi ac ſufflaminandi, & argumentum in contrarium prolatum nihil valere.*

valere. Quanta ſit argumenti in contrarium prolati, ſolutionis, vis & valor, ne dicam contradictio, viderint ipſi.

§. 53 Inſuper cùm Clariſſimus Vir Joannes Junkerus, Practicus Halenſis digniſſimus aliique Stahlianæ Hypotheſis propugnatores cùm ſuo anteſignano teneant, non aliam eſſe aſſignandam genuinam Paraliſis, apoplexiæ, vel lypothimiæ cauſam efficientem quam Naturæ, rationalis nimirum animæ, *deſperationèm & plenariam energiæ motoriæ deſtitutionem*, prælaudatus enim Junkerus in ſuo conſpectu Medicinæ theorico-practicæ Tabula 116. de Apoplexia pag. 819 poſtquam allegaverit, irritum eſſe, cauſam apoplexiæ cujuſcunque in Materia Mucoſa quærere, motuumque vitia à talibus cauſis communibus deduci non poſſe, in hæc verba irrumpit. *Facilius autem agnoſci poteſt plenaria deſtitutio ipſius Energiæ motoriæ quam durabilis & contumax averſio movendi ac faſtidioſa tergiverſatio qualis in Paraliſi reperitur*, item Tabula 119 de Lypothimia ſic ratiocinatur: *Nexus cauſalis in hiſce affectibus præcipuè idiopathicis eandem quam in apoplexia & paraliſi involvit difficultatem, nulla enim connectio & proportio harum mentis fictionum cum craſi & motu ſanguinis apparet. Materiales ſane cauſæ hic non ſufficiunt tam magnam deſperationem Naturæ inducere; quod vel exinde eluceſcit, quia affectus tales Lypothimici & Syncoptici ſine conſpicuâ materiâ occurrunt Hoc autem certum eſt quod animus Meticuloſus & diffidens cum ſtatu plethorico conjunctus hiſce motuum defectibus fundamentum in genere ſubminiſtrat.* Quomodo hæc Junkeri poſt Celeberrimum Stahlium placita, de animæ, cui (ſi iis credendum) nihil niſi motus vel activitas motoria eſſentialiter competit, nec aliter agere quam movere poteſt, in prædictis affectibus, defectione & Eclipſi, cum recenter allegatis univerſaliter in Schola Stahliana acceptis combinari poſſint, candide fateor me non ſatis aſſequi poſſe.

§. 54. Enimvero datâ licet minime conceſsâ, in Apoplexia(ſi non fortiſſima) & Lypothimia ſæpius teſte praxi curatis, plenaria Naturæ prudentis & intelligentis *defectione* & in Paraliſi faſtidioſa *tergiverſatione*, neceſſario admittendum, aliam eſſe conſervationis corporis cauſam ab anima rationali diſtinctam durante animæ faſtidiosâ & infelici tergiverſatione utpote *Intentioni Divinæ* teſte Coſchwitzio & rectæ rationi contrariâ, *quæ vitam ejuſque conſervationem ad limites præfixos uſque, pro fine primario poſuit* principium nimirum vitale materiale quod cum remediis materialibus etiam propria vi & activitate præditis, longe majorem habet convenientiam, quam habet natura immaterialis, multoque facilius per ſimilia remedia congrua ad proprios motus peragendos exſuſcitari poteſt; *ſimilia* enim teſte Hipocrate *ſimilibus* conſervantur.

§. 55. Plura minus ſpecioſa contra hanc aſſertionem prolata in Stahlianorum Libris legere eſt, à quibus utpote minoris momenti, & facilioris, ſi prægreſſorum debita & attenta fiat reflexio, ſolutionis, meumque præſens inſtitutum non adeo concernentibus pro hac vice ſuperſedebo, méque ad Atomiſtarum quorundam, & Peripateticorum ſententiam de Animæ in corpore activitate pauliſper convertam.

§. 56. Gaſſendiſtæ paſſim cum ſuo Anteſignano prætendunt animam rationalem in quantum intellectualem & immaterialem ob rationes recèns allegatas, non alias poſſe actiones quam immateriales, cogitationes ſcilicet formare, eandem verò in quantum materialem tanquam vegetationis, ſenſationis, & locomotionis principium, poſſe in corpore quod ſibi tanquam Domicilium formavit actiones edere corporeas, proprium corpus, & illo mediante, aliena pro libitu movere: de hoc conferatur Bernierus in ſua Epitome Philoſophiæ Gaſſendi.

§. 57. Ex his inferre poſſumus animam rationalem ſecundum præfatos authores ex duabus velut partibus phiſice diſtinctis conſtare, adeoque vel compoſitum phiſicum eſſe, vel agregatum ex duabus coaleſcens quarum una eſt intelligens & volens ſeu *ſuperior*, altera materialis corpori organico coextenſa, ſenſus & motus principium, & comparte cui ſubordinatur *inferior*.

§. 58. In hanc opinionem, quam illeſa fide defendi poſſe fatentur ipſi Conimbricenſes, multùm ſuo tempore inclinabant Occhamus, Antonius Mirandulanus, & alii, vide du Hamel in ſuæ Metaphiſicæ Tractatu 3. pag. 475.

§. 59. Verùm doctiſſimi Viri videntur coincidere cum Clariſſimo Williſio & aliis qui pro aris & focis duplicem tuentur in homine animam, unam rationalem eamque à Deo infuſam, alteram ſenſitivam & materialem per traducem productam, rationali ſubordinatam, licet quandoque reluctantem, ſenſationis & locomotionis principium, aliàs, cum una & eadem numero ſubſtantia phiſice ſimplex partim immaterialis & inextenſa, partim extenſa & materialis prorſus implicare videatur, Clariſſimorum Virorum rationes & motiva hanc ſuam Hipotheſim propugnandi me prorſus latere fateor, taceo nec animam rationalem ſeparatam quæ à ſe ipſa corpori infuſa & unita minime quoad naturam & eſſentiam diſtinguitur, nec ullam mentem creatam, utpote ſecundum omnes phiſice ſimplices, partim immaterialem, partim extenſam & materialem ab ipſis ſine implicantia dici poſſe.

§. 60. Si cum ſubtili Peripato dicas animam rationalem cùm ſit vera hominis forma phiſica, ipſique, animæ definitio Ariſtotelica, *Actus* nimirum *primus corporis organici potentia vitam habentis* competat, hinc jure merito *primum & radicale principium* ſit teſte Philoſopho *quo vivimus, ſentimus, locomovemus,*

vemus, & intelligimus; animam inquam rationalem omnium actuum vitalium & animalium in homine veram & ſolam eſſe cauſam efficientem principalem, & ſi non actualiter & formaliter, ſaltem virtualiter & eminenter vegetativam & ſenſitivam.

§. 61. Ut hæc melius illuſtrentur notandum, Ariſtotelicorum inter ſe diviſorum non paucos tueri, in animalium generatione plures animas ſibi mutuo ſuccedere, quarum imperfectior perit ſeu deſinit eſſe, adveniente perfectiore, fætumque humanum in prima ſua conformatione primum vegetatrice anima, tum ſentiente, tandem corpore rite organiſato rationali anima informari; hocque ſuum aſſertum ſequenti dilemmate confirmare ſibi videntur.

§. 62. Cum fatentibus eorum adverſariis Peripateticis, priùs Embryo & fætus nondum perfecte organiſatus vivat & ſentiat, quàm anima rationali informatur, anima ſeu principium vitæ & ſenſus in fætu, adveniente anima rationali vel remanet vel recedit, ſi primum, ergo non una, ſed plures ſimul ſunt animæ in homine, quod nec ipſi adverſarii Peripatetici dicunt, ſi recedit, neceſſario fit animarum in homine ſucceſſio.

§. 63. Reſp. Peripatetici oppoſite ſentientes, animarum in homine ſucceſſionem & corruptionem nobis minime revelatam, nullo ſtabili niti fundamento, nec ſucceſſionis fautores aliud aſſignare poſſe motivum hoc aſſerendi, quam ut pluralitatem animarum in homine, niſi una deſinat eſſe adveniente perfectiore, ſecundum ipſos inevitabilem & rationi quaſi minus conſonam evitent; rem mature perpendenti valde improbabile ne dicam ridiculum videtur, neceſſe eſſe, Embryonem vel fætum nondum perfecte organiſatum prius mori debere quam infundatur mens rationalis, cum fœtus, eâdem infusâ, perficitur non deſtruitur, hinc, ut dilemmati

pro-

poſito ſatisfiat, fætus (ajunt) ante animæ rationalis infuſionem primò vivit, tum ſentit, anima vero quæ, quamdiu ſola, vegetatrix fuit Embryonisque forma, paulatim rationem potentiæ & facultatis animæ ſentientis cui immediate ſubjicitur, induit; adveniente anima rationali principium illud vitæ & ſenſus nullatenus perit vel deſinit eſſe, licet formæ rationem non amplius retinet, ſed in potentiam animæ rationalis, cui ut formæ nobiliori ſubordinatur, degenerat; Embryo enim vel fætus humanus non prius fit homo quam anima rationalis eidem infunditur, conſequenter unica anima rationalis, & non plures animæ eidem ſubordinatæ, *unum eſſe* hominis cum corpore organico conſtituit. His ſe conformant doctiſſimi Viri Pater Honoratus Fabri, & du Hamel.

§. 64. Hæc Peripateticorum, ſucceſſionem animarum in homine rejicientium, ſententia, ſi ſequenti modo illuſtretur à vero (ni fallor) haud multum aberrare videtur, nimirum Aura ſeminalis ſive principium vitale & plaſticum ab utroque probabilius parente active concurrente in materiam proximam Embryonis & fætus humani per traducem implantatum, ſicut ante, ita & poſt rationalis animæ infuſionem, ſine ulla interruptione ob rationes recèns allegatas omnium actionum vitalium durante vita, vera & immediata cauſa efficiens principalis & non inſtrumentalis eſt, cui ſi nomen animæ ſentientis, ſi non phiſicè ſaltem moraliter rationali animæ ſubordinatæ concedere vel denegare velis, cum hoc ſit pure arbitrarium, litem de nomine non intentabo.

§. 65. Ratione vero ſenſationis animæ rationalis quæ mediante præfato activo in ſolidis & fluidis gliſcente fit, non ſecus ac determinationis ejuſdem in motibus voluntariis ad Nutum & Imperium animæ volentis ſecundum leges ab Authore Naturæ in arctiſſimo corporis & animæ unionis vinculo ſancitas, mihi longe probabilius videtur, principium vi-

 tale

tale poſſe dici inſtrumenti vices obire, adeoque animæ ſentientis ab anima rationali diſtinctæ tanquam in homine ſuperfluæ nomen vix aut ne vix mereri, cum ſola anima rationalis in homine ſentiat, ſolaque quà ſentiens & appetens ſecundum ſententiam probabiliorem animus dicendus, & ad ipſius ſolius nutum & imperium fit principii vitalis in motibus voluntariis, partibuſque iiſdem deſtinatis, determinatio.

§. 66. Ut tandem ad propoſitum redeam iteratò dico animam rationalem ob rationes antea datas, veram eſſe & eſſentialem hominis formam, quæ ſola eſt primum & radicale principium quo homo vita rationali vivit (nemo inficiabitur Deum eſſe vivum & verum, menteſquè creatas vita ſibi propria vivere) & cujus ſolius gratia corpus Organicum animæ unitum vivit, ſola in homine probabilius per organa ſentit, & ſenſualiter appetit; ipſius ſolius nutu, corpus & cum eo ipſa anima à loco in locum movetur, ſola denique, nemine refragante, in homine intelligit, nec plus in Concilio Viennenſi, Clement. I. & unico §. *Porro*, pro vere eſſentiali & principali hominis forma requiritur, exinde vero minime inferendum animam rationalem actionum pure vitalium, vel voluntariarum quæ in radice vitales ſunt veram eſſe & phiſicam cauſam efficientem, bene vero moralem & per Eminentiam ſupremam Directricem. Vide dicta Caput VII. Sect. VII. §. 37. hujus Diſſertationis. Item hujus Capitis Sect. I. §. 20. & 21.

CA-

CAPUT X.

De Motu Corporum.

SECTIO I.

De Definitione & Diviſione Motus.

§. 1.

DE Motu vis Motricis immediato effectu Phiſici in diverſas Claſſes Secti diverſimode opinantur, Peripatus poſt ſuum anteſignanum motum realem & phiſicum in genere (de motu intentionali ſuo loco) definiunt *Actum Entis in potentia quatenus in potentia.*

§. 2. Hanc definitionem, quam, tanquam definito nec hilo clariorem Dominus de Stair Ariſtoteli dedecus, motui nullam elucidationem attuliſſe aſſerens, multum convellit, recentiores aliquot Gaſſendi ſequaces tanquam optimam & à vero non abludentem amplectuntur, aſſerentes per *actum entis* intelligi debere actualem mutationem entis paſſive mobilis ſeu mutabilis quatenus eſt paſſive mobile ſeu mutabile, (En definitionis explicationem nec vel minimum ea clariorem) per ens mutabile intelligunt, quod poteſt aliquid de novo acquirere vel deperdere (hoc admiſſo quivis gratiam v. g. vel indignationem ſive divinam ſive Humanam acquirens vel deperdens actu phiſice movetur) quod acquiritur terminum *ad quem,* quod deperditur terminum *à quo* vocant, concluduntque ad motum realem & phiſicum quinque neceſſario requiri, mobile nimirum, movens, terminum à quo, terminum ad quem, & lationem ſive tranſitum ab uno ad alium terminum.

§. 3.

§. 3. Motum in quantum emanat à movente tanquam agente dicunt eſſe *actionem*, *paſſionem* vero in quantum in mobili tanquam paſſo recipitur, in quantum fluxum ſonat quo mobile formaliter in tranſitu ponitur ab uno ad alium terminum, & ab utroque tanquam ſubjecto vel producente vel recipiente præſcinditur vel abſtrahitur, eundem ab actione & paſſione virtualiter diſtinguunt, de hoc conferantur Maignanus, Caſimirus Toloſate, du Hamel, & Moraſch recentiſſimus Author.

§. 4. Motus pro diverſitate termini ad quem tendit à quibuſdam 4plex ab aliis 6plex dicitur 1mo ſi fiat tranſitus à non eſſe ad eſſe & terminetur ad ſubſtantiam vocatur *generatio*, ſi ſolus terminus *à quo* eſt realis & fiat tranſitus ab eſſe ad non eſſe ſeu à ſubjecto ad non ſubjectum dicitur corruptio.

§. 5. Verum enimvero cum juxta commune Phiſicorum dicterium *Generatio unius ſit corruptio* hoc eſt continuata generatio *alterius* deſinens eſſe, & è contra, alii hanc diviſionem minus attendunt, imo generationem, mutationem & non motum propriedictum ſeu rigoroſum appellant, quoniam omnis motus propriedictus (ajunt) ex mente Philoſophi ambos exigit terminos reales non ſecus ac ſucceſſionem ſeu temporis connotationem, quæ duæ conditiones generationi & corruptioni ſubſtantiali ſecundum ipſos deſunt quæ in inſtanti perficiuntur.

§. 6. 2do. Si à quantitate & quidem minori ad majorem quantitatem terminetur vocatur accretio, vel à majore ad minorem decretio, 3tio. Si à qualitate ad qualitatem ut à frigore ad calorem & viciſſim, dicitur alteratio ſeu variatio. 4to. Si denique à loco ad locum, dicitur latio, locomotio, ſeu Motus Localis.

§. 7. Quandoquidem nec ipſa generatio propriedicta nedum alteratio & accretio ſine partium minimarum transpoſitione,

ſitione, juxtapoſitione, quarundam detractione & aliarum additione, adeoque loci mutatione, ideâ Clarâ concipi queant, eaſdem à motu Locali, tanquam diverſas in radice motus ſpecies, nullatenus ſecernendas eſſe, hodiedum tuentur RR. plerique, præſertim qui animalium & embryonis humani generationem pro motu propriedicto & eſſentialiter ſucceſſivo tenent.

§. 8. Quis enim concipiet ſpiritum genitalem vel auram ſeminalem in fæcundo coitu in ovulum proxime fæcundandum in inſtanti transplantari aut transplantatum utpote materiale, omnia proprii ſui domicilii delineamenta ſimul formare, vel ſaltem prævie licet ruditer ſecundum curioſiores Naturæ indagatores, formata, in puncto temporis indiviſibili expandere & evolvere, quæ ſane ſicut alteratio & accretio non niſi ſucceſſive & gradatim fieri vel perfici poſſunt.

§. 9. Etenim à puncto ſeu minimo phiſico membranæ Ovuli quod in fæcundo coitu ſubintrat aura ſeminalis, non tranſitur ad aliud ovuli extremum ejuſve latifundia ſine tranſito medio, quod quoniam oppoſitionem parit inter utrumque terminum, (ſicut doctiſſime in alteratione, accretione, & locomotione notavit Clariſſ. Moraſch) non tranſitur niſi cum temporis connotatione.

§. 10. Si dicas cum ſubtili Peripato, cui in hoc ſe conformat prælaudatus Moraſch in ſua Phiſica Univerſali Sect. 3. Cap. 1. pag. 325. generationem hominis fieri in Inſtanti, animam rationalem creari & infundi in Inſtanti, adeoque embryonem ex non homine, in inſtanti fieri hominem & lignum pariter ex non igne fieri ignem.

§. 11. Reſp. non paucos Atomiſtarum Modernorum quorum non infimus Clariſſ. Moraſch, rotunde negare tempus niſi forte mathematice ſumptum ex inſtantibus conflari, quinimo mordicus tueri quantitatem ſucceſſivam momentis flu-

entibus

entibus ſeu partibus ſimplicibus moræ quarum alia fuit, alia eſt, & alia erit, conſtare, ſicut continuum ſeu quantitas permanens ex punctis vel partibus ſimplicibus & extenſis materiæ ſimul exiſtentibus conflatur, vide ejuſdem Phiſicam Univerſalem Sect. 3. cap. 2. pag. 438 & Caſimirum Tholoſate in ſuæ phiſicæ parte 1. pag. 231. adeoque ſtante hac Hippotheſi omnem tranſitum naturalem per medium reale ab uno extremo ad aliud (talis eſt generatio & formatio embryonis in homine vel bruto) neceſſario imo eſſentialiter ſucceſſivum, licet ejuſdem morula ſeu ſucceſſio nobis non ſit advertibilis nedum menſurabilis.

§. 12. Reſp. 2do Veriſſimum quidem eſſe animam rationalem ſine ulla temporis morula vel menſura creari ſimulque Embryoni prævie genito infundi & uniri, verum ejus creatio aut infuſio non niſi abuſive & improprie dicitur aut generatio, cum ſit tranſitus à non eſſe ad eſſe ſimpliciter ſeu ſecundum totam entis rationem, qui generationi ſtrictæ ſecundum eoſdem non competit, vel motus realis & phiſicus, cum nullum datur medium ſeu latitudo ſive extenſionis, intentionis, vel ſpatii, quod inter utrumque terminum parit oppoſitionem quæ ſucceſſive & cum temporis connotatione ſuperari poteſt vel debet, hinc homo non ob animæ infuſionem bene vero ob corporis Organici per traducem productionem dicitur genitus, adeoque adæquate ſumptus partim creatur, generatur partim, licèt populariter generari dicitur, quemadmodum idem licet partìm, & quidem ratione nobilioris compartis ſpiritualis ſit, ſecundum vulgarem loquendi modum corporeus dicitur.

§. 13. Ob eaſdem rationes lignum vel metallum non niſi gradatim ex non igne fit ignis, ante totalem ligni conflagrationem ſimul formam habet ligni deſinenter ſecundum ſcholas, & ignis inchoative.

§. 14.

§. 14. Si dicas nequit oſtendi temporis inſtans in quo corpus actu poſitum non eſſet in ſpecie ignis aut non ignis; retorquendo Reſpondetur, nequit oſtendi temporis inſtans in quo corpus mobile v.g. lapis non eſſet in ſtatu motus & quidem ſucceſſivi vel quietis, exinde minime inferendum motum localem inchoatum à natura ſua ſucceſſivum & fluxilem in inſtanti temporis, quod implicat, fieri. Verùm in hoc cuivis pro diverſo genio, opinandi libertatem relinquo, & ad alias motus diviſiones me accingam.

§. 15. Motus Corporum alius eſt juxta Ariſtotelem *naturalis* qui fit à principio interno, vel potius juxta alios qui fit juxta propenſionem Naturæ, alius violentus cujus principium eſt externum, vel potius qui fit cum repugnantia quadam ſeu contra naturæ propenſionem, locomotio enim animalis quamdiu fit juxta propenſionem naturæ dicitur naturalis, quamprimum vero, ac, cum fatigatione & membrorum laſſitudine fit, ut in ſaltu immoderato, montis aſcenſu, alióve corporis exercitio vires ejuſdem excedente, licet à principio interno oriatur, dicitur violentus.

§. 16. Animadvertendum omnem motum ſpectata origine eſſe naturalem & ſimplicem, quoniam ab atomis ſeu minimis materiæ ſimplicibus unitis, ſeque naturaliter ut dictum moventibus & ad motum à primo Motore primordialiter deſtinatis proficiſcitur, conſequenter motum ſpectata univerſalitate rerum per accidens ſolummodo violentum eſſe, quatenus à corporibus compoſitis provenit, hinc variabilis & mixtus dicitur, quandoquidem à concurſu, contrarietate, reſiſtentia vel auxilio, hinc diverſa motuum uniformium & ſimplicium determinatione derivatur: nihil enim reſpectu Naturæ univerſæ (ſecus de natura particulari ſentiendum) violentum dici poteſt, etenim ſi continua & ſucceſſiva corporum generatio & procreatio naturalis ſit, non abnegandum eorum corruptiones, licet reſpectu

Naturæ particularis per ſui deſtructionem leſæ & deſinentis, violentas, reſpectu Naturæ Univerſæ naturales eſſe, quæ ſeriem generationis ſine corruptione & vice verſa proſequi nequit.

§. 17. Cum igitur uniformitas, vera ſit nota veruſque motus naturalis character, & perpetuitatis, ejuſdem, origo, haud inepte Dominus de Stair, & Bernierus poſt Gaſſendum contendunt non alium pro motu ſtricte naturali admittendum qui non ſit uniformis, nec pro violento qui non ſit difformis & inæqualis, inæqualitas enim in motu, ejuſdem, ceſſationis, ſicut uniformitas perpetuitatis, origo, hinc axiomatis *Nullum violentum permanens* ratio ni fallor deſumenda.!

§. 18. Motus Naturales ſecundum pleroſque Neotericos ſunt tres animalis, ponderis, & Elaterii, violenti cenſentur motus projectorum, violenter contractorum aut diductorum, licet motus lapidis vel corporis gravis deorſum projecti, à nonnullis pro motu medio ſeu de naturali & violento participante, habeatur.

§. 19. Cartheſius Corporum motum, nec melius, nec felicius definivit, *translationem corporis ex vicinia eorum corporum quæ illud immediate contingunt & tanquam quieſcentia ſpectantur, in viciniam aliorum.* Præter varia cap. 4. hujus diſſertationis Sect. I. §. 19. contra hanc definitionem allegata ad quæ lectorem benevolum remitto, nihil ſemoto præjudicio indiſtinctius excogitari poteſt, quam quòd in Motus independenter à nobis cogitantibus exiſtentis definitione, ut ante dictum, corpora cingentia licet vere in motu conſtituta, per intellectus ratiocinantis Luxuriem *tanquam quieſcentia* ſpectantur; quaſi vero conceptus formalis & Idea vel entis realis, vel modi Entis, qualis eſt ipſo fatente corporum motus, debet ab intellectu *propter quem nihil ponitur in rebus* deſpotice vel dependere vel in ſua natura variari.

§. 20.

§. 20. Hunc in definitione Motûs Cartheſianâ defectum ne dicam abſurditatem advertentes diſcipuli aliquot, alias, motûs, non multo melioris notæ efformârunt definitiones, à Clariſſ. Purchotio deſcribitur motus Localis *translatio continua & ſucceſſiva corporis à loco in locum*: quæ deſcriptio, cùm locus ſecundum ipſum à corporibus phiſicis non re ipſa, ſed per mentem tantum ac mathematice diſtinguatur, conſequenter per mentem ſolummodo immobilis, iiſdem, ſi non majoribus quam magiſtri definitio premitur difficultatibus.

§. 21. Doctiſſimus Dagoumerus motum localem, tanquam realem quendam corporis mobilis ſtatum, & modum, quo diverſis ſucceſſive locis correſpondet contemplans, eum deſcribit *preſentiam loco ſucceſſivam*, & quietem *preſentiam loco permanentem*, hanc modum eſſe poſitivum quieſcentis prætendit, & utramque differentias eſſe *præſentiæ ut ſic* conſtitutivas & diſtinctivas contendit.

§. 22. Verum enimvero, cum *ubi* ſeu preſentia locati in loco, ſive pro modo corporis poſitivo ab eodem realiter diſtincto prout pluribus hodiedum placet, ſive ſecundum Modernos Epicureos pro conjunctione locati cum loco correſpondente tali parti ſpatii, à motu locali facta, nihilque aliud mobili quam relationem ſeu denominationem extrinſecam addente, ſumatur, (Locus enim & locatum ſeſe mutuo reſpiciunt ſeque cum ſint ſimul, non autem ſeparatim, denominant, eodem modo quo fundamentum & terminus relationis ſeorſim ſpectata, non vero conjunctim, ſine relatione fieri & concipi poſſunt) cum inquam *Ubi* ſeu preſentia rei in loco, quæ non niſi deſtructo ſubjecto tollitur, eademque motus (rectius fortè vis motricis) quantitas à Deo ſecundum Dagoumerum in hoc Univerſo primitus producta ſemper huc uſque duret, non ſatis aſſequor 1mo quomodo corporis in loco preſentia ſucceſſiva, motum ſive tranſitum localem à termino à quo tanquam cauſam ſal-

 tem

tem occaſionalem ut terminum ad quem attingat præſuponens, poſſit dici motus. 2do Quomodo preſentia ſucceſſiva unius globi v. g. Eburnei in alium mole & pondere æqualem vel inæqualem in plano velociter incidens, eidem vel integram ſuam preſentiam vel preſentiæ partem communicet, ſicut motum ſecundum Dagoumerum & Cartheſianos paſſim communicare dicitur, cum globus incidens tam durante motu, quam, cùm terminum ad quem attigerit, integram ſuam habeat preſentiam, licet motûs ſui partem quam in translatione communicare dicitur, amiſit. 3tio Quomodo preſentia loco diu permanens vel durans ſine temporis connotatione æque ac preſentia loco ſucceſſiva inconceptibilis, vere ſicut continua, non ſit etiam durans hinc ſucceſſiva, adeoque definitio motus allata *preſentia* nimirum *loco ſucceſſiva* æque quieti ſicut motui competere videtur.

§. 23. Plerique Gaſſendiſtæ ſpatium ſive locum à Deo & Creatura diſtinctum admittentes, motum definiunt, *tranſitum corporis à loco in locum* Nonnulli poſt illuſtrem Newtonium, motum abſolutum definiunt *ſucceſſivam exiſtentiam corporis in diverſis partibus Spatii, Univerſi, immobilis* vide Petrum van Muſchenbroeck in ſua Epitome Elementorum phiſico Mathematicorum.

§. 24. Admiſſa eorum de loco & ſpatio Hipotheſi, allata definitio haud dubie omnibus huc uſque recenſitis motus definitionibus præferenda videtur, quandoquidem vero Idea Spatii realis, immènſi, incorporei, à Deo & Creatura diſtincti, ipſis mollioribus Gaſſendiſtis inter quos Bernierus noſter haud infimus, nedum Peripato & Cartheſianis pro non Ente habetur, Spatiumque Maignani Immaginarium, pro motus realis & minime immaginarii definitione nec congruum nec neceſſarium, prout Cap. 4. Sect. 2. hujus diſſertationis antea notatum, tranſitus corporis a loco immaginario ad locum, pro intelle-

ctus

ctus ratiocinantis fictione potius, quam vera motus localis definitione habendus.

§. 25. Nec minoribus premitur difficultatibus definitio motus a Muſchenbroekio tradita, quis enim concipiet ſucceſſivam exiſtentiam atomi vel corporis aliud in quod incidit impellentis corpori impulſo ſub quantitatibus infinite diverſis prout ille pretendit communicari.

§. 26. Qui vero ſentiunt Immenſitatem divinam virtualiter & eminenter extenſam locum eſſe communem & internum non ſolum totius Univerſi verum etiam cujusvis moleculæ ad ejus integritatem conſpirantis, æque penetratum & penetrabile quam ſit Spatium aliud quodcunque excogitabile, cum multo meliori fundamento poſſunt tueri tranſitum corporis à loco interno ſic intellecto in locum veram eſſe & genuinam motus localis definitionem.

§. 27. Alii inter quos Illuſtris de Stair & prælaudatus Bernierus Judicant motum, quem pro modorum præcipuo, omniumque Naturæ phænomenon maxime conſpicuo habent, non poſſe nec debere definiri, allegantes ridiculum eſſe & inutile modos rerum pleroſque utpote ipſas rerum explicationes, per definitiones ipſis per ſe ſat notis notiores, explicare.

§. 28. Rerum (ajunt) modificatarum Idea raro clara & diſtincta per earum modos & diverſas modificationes illuſtratur, quos ſi melius ſeu clarius explicare conemur, nos tam, majoribus difficultatibus premi, quam, notionum confuſionibus magis magiſque obrui, experiemur.

§. 29. Si dicam de homine quod diſcurrit, ſtat, vel ſedet, de animali quod ſentit, de bacculo quod ſit rectus vel curvus, de corpore quod ſit extenſum, quomodo poſſum clarius ſine circulo, ſine ſynonimis aut æquivalentiis majorem ſæpe obſcuritatem quam claritatem parientibus, meum conceptum manifeſtare.

§. 30.

§. 30. Si dicam inquit (Bernierus) diſcurrere eſt ratiocinari vel è contra, rationale eſt id quod non eſt irrationale, rectum eſſe quod non eſt curvum, indiſtantia eſſe quæ non diſtant, aut quæ contigua ſunt, vel quæ ſe tangunt, hominem ſtare cum nec jaceat, nec ſedeat, hæc modorum per ſynonima vel æquivalentia explicatio, nec eorum notionem nobis reddit hilo notiorem, quinimo explicationis modi per ſe noti explicationem, & ſic in infinitum, pari titulo ſibi vendicat intellectus noſter.

§. 31. Si rerum indiſtantiam per eorum contiguitatem explicare velimus, adhuc explicanda reſtat quid ſit ipſa contiguitas & ſic de cæteris, actionem non poſſumus clarius explicare quam aſſerendo actionem eſſe actionem & agere eſſe agens, eodem modo, de dolore, voluptate, & centenis aliis modis ratiocinandum, quos multo facilius diſtinctiuſque comprehendimus quam explicamus.

§. 32. Hanc de modis notionem, motui & quieti tanquam modis per ſe claris & cuivis oculato evidentiſſimis, juſtiſſimo título applicandam putat vir doctiſſimus, nec melius quam ſurgendo & ambulando ſicut fecit Diogenes, motûs, & ſedendo, quietis exiſtentiam contra maxime obſtinaces demonſtrari poſſe, quinimo contendit illiteratum plebeum tam claram habere motus & quietis notionem & Ideam, quam poſſit habere acutiſſimus philoſophus; adeoque inutile eſſe motum vel definire vel explicare, nec minus miratur Cartheſianos paſſim magis ſollicitos eſſe in naturæ motus, quam quietis æque ſecundum ipſos corporis modi, indagatione.

§. 33. Si quis dicat quietem Idea ſat clara & evidenti concipi, regerit egregius vir, conſtans eſſe quemvis ruſticum æque ac Philoſophum tam perfecte ſcire hominem ſe movere & ambulare quam eundem ſedere vel quieſcere, adeoque Phiſicos diverſis ſuis motus definitionibus in magnam obſcurita-

tis

tis labirinthum quâ ſe difficillime extricare poſſunt inci-diſſe.

§. 34. Præterquam enim quod Ariſtotelis definitio nihilô ſit definito clarior ut dictum, quid philoſopho indignius ma-giſve ridiculum quam piſcem v. g. in medio fluminis rapidi fixum & immotum moveri, cum diverſis partibus aquæ eum immediate cingentis ſucceſſive ſit applicatus, & e contra piſ-cem in vaſe quocunque aqua pleno incluſum, vel in medio particulæ glaciei una cum torrente delatæ incarceratum non moveri ideo, quod ex vicinia partium vel aquæ vel glaciei eum immediate cingentium non transfertur, quæ abſurda, admiſsâ definitione motus Cartheſianâ inevitabilia putat.

§. 35. Nec minus ingenioſe Bernierus tam definitionem motus à Gaſſendo traditam, cujus Philoſophiam non modo candidiſ-ſime contraxit ſed maxime illuſtravit, quam varia ipſius de Spa-tio poſt Democritum placita, convellit; tandemque concludit non ſolum inutile verum etiam in rerum phiſicarum explica-tione ſumme periculoſum, motum definire velle.

§. 36. Definitiones accuratæ (ait) tanquam diſcurſus, rerum per modos, non modorum per alios modos, naturam expli-cantes, rebus non modis applicandæ, aliter timendum, nè, quoties modi formetur definitio, mens incontinenter & inad-vertibiliter modum definitum cum re vel ente abſoluto con-fundat, nec unum ab altero diſcernat, quod in Phiſica gra-viſſimis erroribus haud levem poterit dare anſam.

§. 37. Hoc non parum eluceſcit in Cartheſianorum de cor-porum colliſione & percuſſione ratiocinio, motum enim quem pro mobilis modo agnoſcunt, dicunt modò diviſibilem, modò ab uno mobili in aliud vel integre vel quoad partem trans-miſſum & communicatum.

§. 38. Cum globus ajunt ſuper planum motus, in alium in-cidit, modò integrum ſuum motum alteri ita communicat ut

incontinentĕr quieſcat integro motu orbatus, modò medietatem tantummodo, modò tertias, modò plus vel minus in alium transmittit, reliquum pro reſerva retinens.

§. 39. Quis hæc vel ſimilia de motu ratiocinia contemplans non conciperet Motum rem eſſe abſolutam, velut ſubſtantiam ab uno globo in alium haud aliter trajectum, quam atomi igneæ ſubtiliſſimæ in flamma per aerem, quem illuminat & calefacit celerrima irradiatione transmiſſæ, vel manui ſe ad focum in hyeme calefacienti communicatæ. De hoc vel maxime legi meretur ſæpiùs citatus Bernierus in ſua Epitome Philoſophiæ Gaſſendi Gallice impreſſa tom. 2. pag. 413.

§. 40 Haſce diverſas & arbitrarias Phiſicorum de Motu Hippotheſes ad ingenii fœcundioris, & novitatis etiamſi quandoque non uſque quaque fundatæ, avidioris, nutum, effictas, advertentes nonnulli recentiſſimi ſcriptores poſt illuſtrem Iſacum Newtonum, qui primus (relicta nimis tædioſa & ut ipſi videbatur inutili principiorum inſenſibilium quæ ſcientiam naturalem non niſi conjecturalem faciunt inveſtigatione) Hipotheſes omnes rejiciens, rerum phiſicarum phenomenon methodo caſtiori & modeſtiori ſcrutinium inivit, hi inquam longe aliter ſemper tamen (pace illorum) hypothetice de motu ſentiunt.

§. 41. Inter hos Petrus van Muſchenbroek in ſua Epitome Elementorum phiſico-Mathematicorum de Motu ejuſquè cauſa pag. 35. Newtoni in hoc veſtigia ſequens ſic ratiocinatur: *Cum motus ſit effectus realis, requirit in corpore moto realem cauſam cujus vi hæc applicatio ſucceſſiva ad diverſas partes ſpatii percurſi fiat* (Epicuri & Gaſſendi Hipotheſem de Spatio tuetur Vir doctiſſimus à pag. 15. uſque ad 20.) *eſt hæc cauſa diſtinctiſſima ab Idea ſpatii, extenſionis, ſoliditatis, cohæſionis & omni modificatione corporea alia,* 2do *Tranſit ab uno corpore in aliud,* 3tio *Penetrat ab extimis uſque in intimas partes corporis,*

non

non per poros ſed ipſam ſolidam ſubſtantiam & in ſingula Atomo immutabili alias, recipitur ſub quantitatibus infinite diverſis, quæ omnia in modificationibus aliis non deprehenduntur, quod ſi tamen modificatio ſit dicenda, tum hæ diſtinguendæ prius in ſuas claſſes forent. An non hæc de motu notio diſtinguitur à *ſucceſſiva exiſtentia corporis in diverſis partibus Spatii Univerſi immobilis* quam dicit eſſe motus abſoluti definitionem pag. 34. Cap. VII. de motu, doctioribus judicandum relinquo.

§. 42. Ulterius pergens ait *an igitur eſt ens phiſicum, ſubſtantia ſui generis? nec hoc videtur niſi Logomachias circa ſubſtantiæ vocem introducamus, An idea primo generata in mente intelligentis dein communicata corporibus & tranſeunti ex uno in aliud* (vide Marcum Marci in ſua Otoſophia) *neque hoc intelligitur ab ullo mortalium, malumus itaque fateri nos ignorare quid ſit motus, ſed effectus & leges motus obſervando cognoſcuntur & ſatisfaciunt indagini & uſibus humanis.* Item pagina 37. §. 112 ait: *Motus hic*, nempe univerſalis *eſt perennis fere ſemper æqualis, cauſamque habuit in initio creantem Deum, nunc conſervantem neque per vortices fuit productus aut conſervatus neque potuit.* Paragrapho 113. continuat *cauſa movens altera eſt univerſalis in omnibus corporibus æque terreſtribus quam cæleſtibus quæ eſt illorum gravitas.*

§. 43. Dominus de Stair cum dicit conatum ſeu preſſuram materiæ ad motus ſimplices & uniformes cauſam eſſe proximam motus univerſalis idem de gravitate abſoluta ſentire videtur.

§. 44. Motui ni fallor ad amuſſim quadrant, quæ Sanctus Auguſtinus de Tempore lib. 11. Confeſſ. cap. 14. ingenue fatetur, dum ait: *quid eſt tempus? Si nemo quærat ex me ſcio, ſi quærenti explicare velim, neſcio.* adeoque Bernierum puto non ſine fundamento dubium ſuum in calce tractatus ſui de primis rerum principiis, an nimirum motus poſſit vel debeat de-

finiri, propoſuiſſe, & una ſuppoſuiſſe motum ſicut tempus exacte definire & ad captum communis omnium ſenſus explicare difficilimum eſſe, ne dicam impoſſibile.

§. 45. Ex definitionibus huc uſque allatis candide fateor mihi præplacere eorum, qui locum vel Spatium internum corporum, ab Immenſitate divina æquivalenter ſaltem & eminenter extenſa non diſtingui tuentur, conſequenter motum ab iiſdem ſat plauſibiliter definiri *tranſitum corporis à loco* ſic intellecto *in Locum.*

SECTIO II.

De Gravitate.

§. 1.

SI pleraquè Phiſicorum Modernorum Naturæ Arcana curioſius rimantium, de Motu, motuſque Legibus, placita & inventa vel in compendio perſequi agreſſus fuiſſem, pagellæ meæ in tantam ſenſim excreviſſent molem ut non enchiridion habuiſſem ſed inſigne volumen meo ſcopo minus accomodatum.

§. 2. Ob eandem rationem ab intimiori & prolixiori naturæ gravitatis & levitatis ita abſtruſæ ut nulla fere occultior nec quicquam de ea certi & explorati huc uſque conſtet, explicatione, pro hac vice ſuperſedere cogor, contentus breviter aſſerere quodcunque ab oculatiſſimis hujus ævi phiſicis de cauſa motus gravium ſtatuitur, vix aut ne vix, reprehenſionem effugere poteſt.

§. 3. Hoc non paucis illuſtris Newtonii ſequacibus haud levem dedit anſam negandi, gravitatis cauſam à nobis inveniri poſſe, inter quos præmemoratus Muſchenbroek dum pag. 48. §. 172. ait: *Cauſa gravitatis ignoratur ab omnibus*

morta-

mortalibus, niſi forte fuerit principium aliquod internum in corporibus, attamen quale hoc ſit neſcimus, ejus effectus obſervare tantum mortalibus conceſſum, quare non datur principium gravitatis & levitatis juxta Ariſtotelem, non enim novimus levia; neque omnia corpora levia ſunt ac deſtituta gravitate ſed tantum preſſa per æthereos vortices juxta Carteſium, neque per vortices inter ſe quolibet modo actos juxta Hugenium, multo minus per aerem juxta Regium; neque corpora gravitant ob emanantes ſpiritus juxta Keplerum, neque per veram attractionem mutuam juxta Gaſſendum, nec quia in propriis locis non ſunt juxta Caſatum; nam hæc omnia aut ſunt hypotheſes meræ, aut adverſantur cognitis rerum proprietatibus, An per actionem divinam corporibus incumbentem?

§. 4. Profecto nemo, niſi Atheiſta forte, abnegabit Deum ſicut motus localis ita & gravitatis cauſam eſſe primam, vero ſimilimum etiam videtur, *conatum*, *niſum*, ſeu *preſſuram* corporum verſus motus ſimplices & uniformes vel gravitatis generalis & indeterminatæ ſicut motus localis proximam & immediatam eſſe cauſam ſecundam, vel potius ipſam eſſe gravitatem inter corporis proprietates numerandam, à quâ, vis centripeta ſeu gravitatio corporum phiſica, motus nimirum verſus medium ſeu centrum globi totius, cujus eſt pars ſi non unice, ſaltem principaliter, repetenda.

§. 5. Quodvis enim corpus indiſcriminatim, ne minimo inſenſibili excepto, nititur ſuo globo conjungi & uniri, illudque munus obire ob quod eſt à Natura Archetypa inſtitutum, licet quotiescunque corpus reſpective gravius, aliud ſub ſe ſeu potius intra ſe & centrum, levius ſeu minus grave habeat, quod in ſui cum globo conjunctione tanquam medium levius extrudat, corpus minus grave levitatem ſeu vim habere centrifugam dicitur, ſemper tamen, ſicut lignum aquæ immerſum vel ſupernatans, gravitat.

§. 6. Sic aqua licet in ſe indeterminatè gravis, reſpectu terræ eam in deſcenſu extrudentis dicitur levis ſeu reſpective ſolummodo & determinate minus gravis; eodem modo de Aere Atmoſpherico reſpectu aquæ & de æthere ſubtiliſſimo reſpectu aeris ratiocinandum.

§. 7. In caſu enim quo Deus aquam omnem & aerem craſſiorem, ſolo æthere ſubtiliſſimo relicto, deſtrueret; ipſe æther cui Cartheſius vim Centrifugam & partes alias aliis ſubtiliores attribuit vere centripetus foret, & tantum cum terra quam etiam perfluit, conjungi niſum haberet habetque, quantum aqua vel aer habere poſſunt, parteſque materiæ ſubtilis craſſiores quæ centrifugæ dicuntur, in tali caſu ſubtilioribus graviores centripetæ fierent quod non parum arguit nulla dari corpuſcula, ne vel minima atomo exceptâ, in rerum natura abſolute (bene vero reſpective) centrifuga, adeoque levitatem ſimpliciter ſive abſolutam implicare, omniaque Mundi hujus aſpectabilis corpora abſolute & indeterminate ſumpta, pro vorticis, & globi, cujus partes ſunt unione & conſervatione, centripeta eſſe ſeu phiſice plus minus gravia.

§. 8. Sicut enim corporis Moles ã Moleculis harumque minima ab Atomis ſeu minimis ſimplicibus eas conſtituentibus reſultat, ita corporis gravitas indeterminata & abſoluta à minimorum idem conſtituentium innata ſoliditate hinc & pondere licet minimo derivanda, eoque gravius eſt corpus aliquod ſenſibile quo denſius, ſeu quo magis unitas & compactas habet ſuas atomos alias forte aliis majores & ponderoſiores, & ex his moleculas ſenſum effugientes, quôque penès minores habet & pauciores poros.

§. 9. Ex hactenus dictis inferendum, ſicut magnitudo atomi, vel minimi viribus ſaltem naturæ inſectilis, eſt radix molis ſeu quanti ſenſibilis, ita ſoliditatem ſive pondus ejuſdem non infundate radicem & initium gravitatis phiſicæ cenſeri.

§. 10. Si quis objiciat lapidem aliudve corpus terreſtre, in Vacuo, vel ſi præter eum nihil eſſet creatum, nihil minus quam gravitare cum nullum reſtaret corpus contiguum ad quod tendere potuiſſet.

§. 11. Reſpond. 1mo omnia corpuſcula ſeu moleculas imo & minima Lapidis in Vacuo conſtituti proprio Niſu tendere ad Centrum Lapidis, quod nihil aliud eſt quam *concurſus motuum gravitatis ubi omnes ab omni parte terminantur* adeoque centripeta eſſe & reſpectu lapidis gravitate phiſica donari, proprioque interno pondere imbui.

§. 12. Reſp. 2do Ipſum lapidem in tali caſu pondere ſuo proprio quod nihil aliud (ut dictum) quam vis ſeu potentia movendi verſus motus ſimplices & uniformes, eodem modo à centro ad circumferentiam mobilem fore & moveri, quo Mundus *Numero pondere & menſura* à Deo creatus & motus eſt, licet in tali caſu *formale* gravitatis phiſicæ ad aliud corpus extra ſe non magis nec minus, quàm Mundus conditus ad alium mundum non exiſtentem licet poſſibilem, haberet.

§. 13. Gravitas enim phiſica lapidis vel alterius corporis terreſtris præter pondus innatum, connotat ſimul determinationem ab extrinſeco verſus centrum terræ cujus eſt pars, adeoque cum nec corpora ſenſibilia nec minima ex quibus reſultant integrum & adæquatum in ſe ipſis gravitatis phiſicæ & determinatæ habeant principium, neceſſario recurrendum ad aliquod determinativum extrinſecum, ponderis corporum intrinſeci verſus centrum terræ vel alterius globi cujus ſint vel poſſint eſſe partes, preſſionem nimirum aeris atmoſpherici corpori gravi incumbentis, in quo uti RR. Phiſici pluribus iiſque indubiis evincunt experimentis, gravitas obtinet.

§. 14. Aeris preſſionem determinat Æther ſubtiliſſimus & fluidiſſimus omnia permeans, partibusque exiliſſimis, ſolidis tamen

tamen & impenetrabilibus conſtans, moleculas minimas quas ſubintrat & in quas impingit premens agitanſque.

§. 15. Ordo enim Univerſi, nemine recentiorum (quod ſcio) refragante, exigit, ut omnes motus corporum majorum ac ſenſibilium à fluidis, fluidorum à fluidioribus, horumque à fluidiſſimis maximam mundi aſpectabilis partem conſtituentibus initium acceptum referant, ipſius vero Ætheris ſubtiliſſimi preſſio à potentia ejuſdem intrinſeca à Summo Creatore & primo Motore libere & liberaliter indita, ut ante dictum, derivanda.

§. 16. Nec obſtat dicere, quoniam in Machina pneumatica, exhauſto aere, corpora molis magnitudine ſive æqualia ſive inæqualia cujuſcunque generis, ſolida vel fluida ex eadem altitudine demiſſa, æque velociter deſcendunt, de hoc conferatur Muſchenbroeck poſt Newtonum, aliique RR. quinimo vel leviſſima quæque corpora exantlato aere citius quam graviſſima in aere libero decidunt, vide du Hamel Phiſicam generalem pag. 180. gravitatis ſpecificæ determinationem aliunde quam ab Aeris vel Ætheris preſſione deſumendam.

§. 17. Reſp. Licet partes aeris craſſiores in Vacuo Boyliano haud dubie exhauriantur, ſubtiliores cum Æthere remanentes, vel ipſe ſaltem Æther qui nulla arte exantlari poteſt, craſſioris Aeris exhauſti vices & munus in gravium deſcenſu, ſi non integre ſaltem ſufficienter, pro hujus aſſerti veritate corroboranda, ſupplet; lapis enim, aliudve corpus, extra hunc Mundum vel in Vacuo philoſophico (ſi daretur) conſtitutus, nec *ſurſum, deorſum*, vel *extrorſum*, ſolummodo intra ſe moveretur, parteſque ejuſdem verſus Centrum ſui tenderent, niſi adeſſet extrinſecum aliquod determinativum, quô, in motu recto, circulari, vel ſpirali, lapis extra ſe conſtitueretur.

§. 18.

§. 18. Ad velocitatem æqualem deſcenſus corporum gravium & reſpective leviorum v. g. plumbi & lanæ vel plumæ ejuſdem magnitudinis, ex eadem altitudine in Vacuo Boyliano duo conſpirare videntur.

§. 19. Primum cum multo major requiratur preſſio corporis reſpective gravioris quam levioris, Æther, exhauſto aere craſſiori, quo tanquam medio & inſtrumento utitur ad premendum, licet ſolus ad determinandum lanæ vel plumæ deſcenſum ſufficiat, pro velociori plumbi deſcenſu, ſine aere craſſiori (ſecus vero cum eôdem unà premente) inſufficiens eſt; non ſecus ac aqua fluvii rapidioris in pilam pontis lignei pleno gurgite allidens non tam cito nec tam facile eam dejicit, quàm, ſi magnus lignorum agger eidem ſupernatans unà in pilam impingat.

§. 20. Secundum, defectus aeris craſſioris in Antlia, cujus non exantlati collumna multo magis corporis rarioris & reſpective levioris deſcenſui reſiſtit quam gravioris & denſioris, utpote ab aere à tergo incumbente ob majorem partium unionem & cohæſionem magis preſſi.

§. 21. Gravitas corporum ſenſibilium ſpecifica à diverſa pororum multitudine vel amplitudine ſive à natura ſive arte introductâ multum variat, hinc ligna grandia quo ſicciora ob poros patulos, humore exhauſto, aere hinc & æthere, eorum in aqua deſcenſui multum reſiſtente, plenos, aquæ profundiori ſupernatant, in qua lapilli vel minores Metalli particulæ à natura magis denſæ ac compactæ paucioribus & minoribus poris & ſuperficiebus donatæ, fundum petunt.

§. 22. Metalla quævis concentrata & in Maſſam ſolidam aut igne aut malleatione coadunata, ſuis limaturis eodem Spatio contentis multo ſunt ponderoſiora ob majora inter partes Metalli limati, quam ſolidi & compacti, interſtitia.

§. 23.

§. 23. Liquidum enim Aereo-Æthereum in poris vel interſtitiis majoribus & pluribus incluſum, corporum quorundam v. g. lanæ vel plumæ preſſionem ab aere à tergo incumbente retardat & lignorum in aqua deſcenſui reſiſtit, quæ retardatio & reſiſtentia in Vacuo Boyliano, aere craſſiori exhauſto, ceſſat; hinc leviſſima corpora pari velocitate cum gravioribus, & multo velocius quam graviora in aere libero, deſcendunt.

§. 24. Ob eandem rationem lapis pumex quamdiu integer aquæ innatat; ſubtiliter pulverſatus fundum petit, integer majus ſpatium occupat quam ſi in pulverem redigatur, particulæ enim lapidis pumicis pulveriſatæ, ob excluſum ex poris majoribus per unitatis ſolutionem deſtructis aerem, multo graviores evadunt.

§. 25. Hactenus de Terræ ejuſque vorticis verſus Centrum gravitate dicta, Aſtris & planetis per Analogiam haud male fundatam à celebrioribus hujus & præcedentis ævi Phiſicis & Mathematicis attribuuntur, qui uno quaſi ore affirmant propter unionem Univerſi, omnes Mundi aſpectabilis vortices, ad Univerſi cujus partes ſunt centrum, gravitare, omnia aſtra & planetas ad centrum proprii vorticis, omnia denique corpora vel particulas aſtrum vel Planetam conſtituentia, ad ſui reſpective Globi centrum eodem modo tendere quo corpora terreſtria verſus terræ Centrum gravitant, quinimo corpora aqueo-terreſtria etiam minima à globo ſeparata ſuas habent partes, quæ quamdiu intra vorticis ſpheram ſunt, ſecundum legem gravitatis generalem, ad centrum totius quod conſtituunt, gravitant.

§. 26. Hoc cernere eſt in Moleculis guttulam aquæ formantibus quæ certam habent vim gravitatis ſeu tendentiam ad guttulæ centrum, quâ earum unio & cohæſio conſervatur; experimur enim oculariter partes guttulæ roris vel pluviæ, in

foliis

foliis braſſicæ v. g. ita unitas & conglobatas, ut non facile nec ſine aliquali violentia à ſe ſeparari poſſint, imo ſibi aproximatæ oculariter mutuo acceſſu coeunt.

§. 27. Hoc Authoribus unionem & cohæſionem corporum partim ab aliorum circumcingentium & incumbentium preſſione & impulſione derivantibus, haud levem dedit anſam gravitatem phiſicam ab eodem principio tanquam determinativo mutuandi. De hoc præplurimis legi meretur inſignis Pater Caſtel in ſuo Tractatu Phiſico de Gravitate corporum Univerſali Gallicè Lutetiæ Pariſiorum impreſſo.

§. 28. Atomiſtæ non Pauci, ſicut unionem corporum, ità & gravitatem Univerſalem per attractionem (potius acceſſum) mutuam, vel ſecundum Gilbertum Medicum Anglum, coalitionem, fieri autumantes, contendunt, Terram eſſe ingentem Magnetem, quæ affluviis ſuis ſubtiliſſimis in Atmoſphera, omnia corpora terreſtria cujuſcunque generis à ſe avulſa & de congeneribus effluviis participantia ad ſe denuo attrahit, non aliter quam magnes ferrum; vel magnetes ejuſdem magnitudinis in æquilibrio poſiti coeunt.

§. 29. Contendunt pariter, Terræ quoad ſubſtantiam (dempta ſuperficiali cruſta) & Magnetis quam Terrellam vocant, eandem eſſe naturam; Magnes enim in æquilibrio poſitus polos, axem, æquatorem, meridianum, & paralellas habet ſicut terra à qua fuit avulſus, ſuoſque polos ad terræ polos convertit, & ſicut ferrum ad magnetem rapitur non ratione intercepti aeris nec quatenus eſt in loco certo, (in quocunque enim loco detur, etiam in vacuo Boyliano, fit coalitio) ſed propter transmiſſum a Magnete effluvium aliquod quo ferrum in motum excitatur & ad Magnetem determinatur, ità corpora quævis, à terrâ, avulſa, per ſimilia effluvia è terreſtri globo erumpentia ad terram denuo rapiuntur eodem quippe modo, quô Magnes ferri ramenta circa ſe poſita attrahit.

§. 30. Inſuper, quemadmodum vis qua ferrum ad Magnetem fertur eidem eſt ab extrinſeco impreſſa, non inſita, concludunt pariter vim qua Lapis exempli gratia in terram fertur, eidem è terræ globo communicatam, lapidemque non ad terræ centrum ſed ad globum præciſe, ſicut ferrum non ad centrum bene vero ad corpus Magnetis gravitando ferri.

§. 31. Reſp. dari in Terra & ſublunaribus ſpeciem Magnetiſmi nemo facile inficiabitur, variaque forte effluvia ſubtiliſſima motu circulari ex uno globi terraquei polo inceſſanter erumpentia in alterum continuo irrumpere, quibus non pauci vim ferri attractivam in Magnete plauſibiliter attribuunt; imo à prima Elementorum mixtione & motu reſultâſſe ſpecificam & Idealem mixtorum Univerſi tam ſublunarium quam ſupralunarium characteriſationem à Deo viſibilium omnium & inviſibilium factore impreſſam à ratione non alienum, vide dicta cap. 7. Sect. 6. hujus tractatus.

§. 32. Verum enimvero, licet terræ Magnetiſmus cum preſſione liquidi aereo-ætherei combinatus, quodamodo pro gravitatis corporum ſublunarium ſpecificæ concauſa determinativa admitti poſſit, cum corpora Univerſum hoc conſtituentia non citius vi motrice quam gravitate generali & indeterminatâ, ab eadem probabiliſſime indiſtinctâ, nec motu quam gravitatione imbuta fuerint, quorundam conſenſus ſeu Sympathia, aliorum diſſenſus ſeu Antipathia ex prævia & ſpecifica rerum inter ſe conformium & difformium primordiali characteriſatione & ſubſequenti multiformi partium configuratione ſecundum naturæ Leges reſultare videtur, hæcque configuratio, partium tranſpoſitionem, ſicut & tranſpoſitio, nemine refragante, motum, præſuponant, rationi (ni fallor) magis conſonum videtur corporum attractionem ſive coalitionem Magneticam, ſicut motus & preſſionis, ita & gravita-

tis,

tis Univerſalis, á qua eorporum unio & cohæſio ſat fundate derivatur potius effectum eſſe quam genuinam cauſam.

§. 33. Taceo non facile explicari poſſe quomodo neglectâ preſſione & partium unione, effluvia globi terraquei centralia indeſinenter erumpentia, una cum ſua præda verſus globum gravitando revertantur, ſi enim dicantur corporis v. g. lapidis vel Metalli meatus pervadere, nondum lapis ad terram adduci concipitur; ſi in partes ſolidas & impenetrabiles incurrant, lapidem potius ab effluviis repelli quam ab iiſdem rapi concipimus; ſi denique cum nonnullis dicas vel potius ingenioſe effingas, effluvia terræ Magnetica anſulis ſive hamulis, neſcio quibus, ſibi catenatim ſuccedentibus analoga eſſe, quæ ſe effluviis lapidis aſſociantia eundem verſus terram adducunt, præterquam quod hic vel maxime conſtet conjecturæ locum eſſe, adhuc redit quæſtio nondum ſoluta quomodo in linea recta & perpendiculari ad ſenſum ſicut in gravium deſcenſu obſervatur, ad terræ Horizontem cum lapide aliove corpore redeunt.

§. 34. Quod dicant, lapidem à terra avulſum non ad centrum, ſed præciſe ad terræ corpus per gravitatem ferri, cum centrum gravitatis non aliud ſit quam concurſus motuum gravitatis ubi omnes ab omni parte terminantur, quod cum corpora nequeant transgredi, ſe mutuo comprimunt & Elaterii initium faciunt, clarum, lapidem in deſcenſu ad Horizontem terreſtrem non poſſe centrum gravitatis terræ ob corpora intermedia immediate attingere, licet verſus centrum in linea perpendiculari ubi nullum obſtaculum, tendat.

Hæc de gravitate notio in ſequenti ſectione magis illuſtrabitur.

SEC-

SECTIO III.

De vi Elaſtica Corporum.

§. 1.

PEr Elaſticitatem, Elaterem, vel Elaterium, variorum Naturæ Phænomenon cauſam, intelligunt Phiſici vim qua corpus flexile preſſum aut tenſum, ceſſante vi externa figuram aut ſitum mutante, propriâ ſibi vi, reſiliendo, partes in priſtinum ſtatum vel reſtituit vel reſtituere nititur, idque vel ſe coarctando, comprimendo, vel abbreviando, quoties violenter & ultra tonum tenditur, elongatur, dilataturve, hinc quorundam Elaſticorum ut corii, Membranæ, vel panni nimis æquo & ultra tonum tenſorum, coarctatio & *compreſſibilitas*, vel ſe dilatando & expandendo quoties nimis comprimuntur vel coarctantur unde aliorum *expanſibilitas* derivanda; hujus exemplum habemus ad oculum in lana vel ſpongia, quæ aquâ aliove liquore turgida, factâ compreſſione, in ſe cogitur & aquam ex poris collapſis dimittit, compreſſione ceſſante ſe expandit, aquâ rurſum poros ad priſtinum ſitum & figuram reſtitutos ſubingreſſâ: pari modo ſpongia ſicca, manu compreſſa, aerem in poris latentem pro majori parte dimittit, quem ceſſante compreſſione denuo recipit.

§. 2. Elaſticitas in omni fere corpore ſenſibili hujus terræ plus minus viget, ut in omnibus Metallis, mineralibus, lapidibus, foſſilibus, in omni parte Animalis, & vel maxime in Aere, manifeſtiſſime in arcu contracto, enſe curvato, auro fulminante, & pulvere pyrio accenſo.

§. 3. Variat in variis corporibus gradu & perfectione, eoque cenſetur perfectior quo magis vis corporis diſtracti, elongati, vel compreſſi ſe reſtituentis eſt æqualis vel æquali proxima,

xima, viribus, quibus ſitus & figura mutabatur, eoque debilior Elaſticitas quo plus ab hac æqualitate recedit, hinc corpora molliora quorum figuram & ſitum mutatum parum aut nihil advertimus ad priſtinum ſtatum reſtitui, v. g. Plumbum, lutum, Elaſticitate ſaltem manifeſta & ſufficiente deſtitui dicuntur.

§ 4. Quorundam corporum elaſticitas poteſt augeri vel minui, imo ad ſenſum adimi, chalibi multo major quam ferro ineſt elaſticitas, corpora Metallica quo plus malleis tunduntur & compactiora redduntur eo plus elaſtica fiunt, hinc in aura frigidiori & una ſicciori magis elaſtica ſunt quam calidiori & humidiori, frigore enim ſicut Malleatione partes Metallicæ conſtringuntur, calore è contra molliores redduntur, hinc metalla vi ignis fuſa durante fuſione, omni ſenſibili Elatere deſtituuntur, quædam pariter corpora in uno ſtatu Elaſtica, in alio, elaterem amittunt, ſic ligna quamdiu ſemi viridia vel dura ſunt elaſtica, quam primum vero ac nimis areſcunt elater minuitur, ſi carioſa ſint & in pulverem redacta omni Elaterio ſaltem ſenſibili privantur.

§. 5. Elaſticitatis aeris ſtupendos plane effectus, non parum inter alia confirmat bombarda pneumatica in qua aer in ſufficienti quantitate collectus & condenſatus tanto & tam veloci impetu globum metallicum procul a bombarda projicit, ut ligna aliave corpora obvia ſat dura denſaque ſæpius ſubintrat & non raro perforat.

§. 6. Sagitta ab arcu præſertim chalibeo tenſo projecta idem præſtat, in pulvere pyrio accenſo vel maxime vigere Elaterium ſufficienter teſtantur Turres & Mœnia fortalitiorum firmiſſima non ſecus ac imanes ſcopuli, ejus accenſi exploſione ictu oculi disjecta.

§. 7. In Vacuo Boyleano corporum Elaſticitas æque ac in aere aperto immutata manet, uti Recentiores pluribus evincunt experi-

perimentis vide inter alios Muſchenbroekium in ſua Epitome Elementorum Phiſico-Mathematicorum pag. 99.

§. 8. Elaterii cauſa multo obſcurior de quo Phiſici diverſimode pro diverſitate ſuarum Hipotheſium, opinantur; Veteres vix aliquid de vi corporum Elaſtica commentati ſunt, Peripatus dicit corporibus Elaſticis ineſſe potentiam elaſticam qua effectus recenſiti longeque plures producuntur, in potentiæ vero Elaſticæ de qua preſens ſermo, naturam non altius (quod ſcio) inquirunt.

§. 9. Gaſſendus cum aliquot ſequacibus opinantur Elaterium eſſe ipſum motum reflexionis cum motu directo continuum, corpus elaſticum (ajunt) v. g. pila luſoria vi extrinſeca cui cedit, in parietem motu directo fortiter impulſa, eodem motu ob parietis reſiſtentiam reflexo reſilit, ſtatumque priſtinum connaturalem vel connaturali proximum recuperat.

§. 10. Verum enimvero licet reflexio motus, haud dubie Elaſticitatem ſine qua fieri nequit, tam in corpore reflexo quam reflectente præſuponat, cum elaterio minime (ni fallor) confundenda, adhuc enim reddenda ratio cur globus v. g. ex luto molliori vel plumbo confectus, in parietem vel incudem impetu æquali cum eo quo pila luſoria, impulſus, vel nullatenus, vel ſaltem non æque reflectatur ac pila luſoria aut globulus chalibeus vel marmoreus; non aliud deeſſe videtur quam Elaterium in cujus naturam inquirimus tanquam conditio *ſine qua non*, imo potius principalior cauſa ſine qua in propoſito caſu non fit reflexio.

§. 11. Confirmatur tametſi nec arcus tendi nec lamina chalibea in horologio ſpiraliter contorqueri poſſunt, ſine motu prævio, qui, facta tenſione ceſſat, clarum, ut arcus diu tenſus ad priſtinum ſtatum & lamina elaſtica contorta ad ampliores ſpiras reſtituantur, non motum, quo arcus tendebatur, vel lamina ſpiraliter contorquebatur, utpote ceſſantem, eſſe cau-

ſam

ſam immediatam & adæquatam reflexionis arcus vel laminæ relaxatorum. Taceo vim elaſticam auri fulminantis, pulveris pyrii accenſi vel lachrimæ vitreæ vulgo Batavicæ dictæ per ſolam motus directi & reflexi notionem minime ad captum explicari.

§. 12. Cartheſiani paſſim omnem corporum Elaſticitâtem ſoli ſuæ materiæ ſubtili omnes omnino poros & interſtitia corporum unitorum permeanti aſcribunt. Hocque variis illuſtrant exemplis.

§. 13. Primò, quoties globulus eburneus, chalibeus, vel marmoreus, in pavimentum, incudem, vel tabellam marmoream decidit, toties partes in quibus fit contactus complanantur, ſi enim (ajunt) in globulum ejuſmodi, cujus ſuperficies atramento aliove liquore colorato qui facile detergi poteſt prævie tinctum, alius ſimili liquore non coloratus magna vi impellatur, non punctum phiſicum tantummodo, ſed notabilis pars globi incurrentis, alterius colore, certo experimento tingetur, quod ſine globi ſuperficiei per impulſum mutatione & aliquali licet nobis inſenſibili complanatione fieri nequit, idem obſervatur ſi globus ejuſmodi in incudem vel tabellam marmoream pinguedine vel cera illitam demittatur; ſic enim reſiliet globulus ut in incude vel tabella ſui veſtigium quoddam rotundum relinquet, eoque majus quo altius decidit, de hoc conferantur Purchotius, Mariotte, Keilius, du Hamel, & alii.

§. 14. Partibus ita complanatis materiæ ſubtilis viæ coarctantur, quas continuo impulſu penetrando, ut liberius perfluat dilatare nititur, hoc vero conſequi non poteſt niſi vel incudem vel tabellam removeat, vel globulum ſurſum afferat, cum multo facilius ſit globulum attollere quam incudem, tabellam vel pavimentum removere, eundem attollit inque priſtinum reducit ſtatum, & quemadmodum, pila luſoria re-

ticulo

ticulo vel palmâ manus excepta, non tantum in iis partibus quæ reticulum vel manum tangunt planior fit, ſed ipſum etiam reticulum vel manus palmam à quorum elaterio pila repercutitur, deprimit, ita globulus eburneus in incudem vel tabellam marmoream incidens & propriâ, & tabellæ vel incudis Elaſticitate reflectitur.

§. 15. Secundò idem in baculo incurvato, arcu tenſo, vel lamellâ chalibea in horologii portatilis tympano ut dictum, ſpiraliter convoluta obſervare eſt, quorum pori in ſuperficie convexa dilatantur amplianturque, in concava ita arctantur & comprimuntur, ut, materiæ ſubtilis craſſiores minutiæ poros in parte convexa latiores & laxiores facile ſubintrantes, ſtrictiorum in parte concava quam non tam facile penetrare queunt, latera conſtricta premunt, ſubintrant, ſuoque niſu & impulſu, arcum relaxatum ad priſtinum ſitum & lamellam ſpiraliter contortam ad ampliores ſpiras reſtituunt.

§. 16. Inſuper, materia ſubtilis ab uno arcus vel lamellæ extremo ſecundum longitudinem ad alterum indeſinentet fluens, lineamque rectam quantum poteſt (ajunt) ſecundum leges naturæ affectans, neceſſariò utrumque ſenſim relaxatum evolvere & expandere nititur, ipſam verò materiam ſubtilem tanquam corpus perfecte fluidum, omnis formæ ſuſcipiendæ capacem, nullius tenacem, Elaterio prorſus carere contendunt; quoniam ſi Cartheſianis danda fides *nec premi nec reſilire poteſt.* Vide præfatos Authores paſſim.

§. 17. Plurium, ſi non omnium, corporum elaterium ab ætheris interflui ſano ſenſu accepti motu, impulſu, & preſſione proficiſci, nemo ſubſtantiam ſumme actuoſam Elementis quatuor vulgaribus longe ſubtiliorem & fluidiorem omnia permeantem admittens facile abnegabit, verum inconceptibile, materiam perfectiſſime fluidam & homogeneam, omnis formæ ſuſceptibilem, nullius tenacem, Elaterio prorſus carentem

rentem (tale inquam cenſetur eſſe primum Carthëſii Elementum) non poſſe, poros corporum à ſe motorum quomodocunque figuratos, ſive conſtrictos, ſive dilatatos, libere permeare, ſeque iis ſine minima, vel ex parte materiæ ſubtilis, vel corporum ſenſibilium à natura ſecundum ipſos, paſſivorum & inertium, reſiſtentia, niſu, vel preſſione, utpote elaterium involvente apte conformare; quo admiſſo, æque inconceptibile materiam ſubtilem poſſe poros vel globi in parte complanata, vel arcus tenſi in ſuperficie concava conſtrictos ullo niſu vel preſſione cujus incapax ſupponitur, quæque ſine vi propria elaſtica implicat dilatare, globumque & arcum ad priſtinum ſtatum reſtituere.

§. 18. Vel, ſi vis preſſionis, & niſus materiæ ſubtili concedatur, particulaſque habeat (ipſis fatentibus) alias aliis craſſiores, quo ſolido fundamento poſſit dici perfecte fluida, ut in poris, partis globi incurrentis complanatæ, vel arcus tenſi ſuperficiei concavæ, coarctatis, nec *premi poſſit nec reſilire*, doceri cupio, *nulla* enim *actio phyſica* juxta tritum Phiſicorum dicterium, *ſine reactione* nullaque corporis licet fluidiſſimi, in aliud reſiſtens impulſio, ſine reflexione.

§. 19. Confirmatur, cum in diverſis corporum à materia ſubtili continuo permenante & movente motibus, v. g. in colliſione duorum globorum in puncto contactus complanatorum, neceſſario una ejus portio alteri venit obviam, æque neceſſario una portio alteri in ocurſu reſiſtit, & debilior in fortiorem impingens neceſſario cum ſuo globo reflectitur, quantitas enim motus in una portione ſecundum Cartheſianos ſæpius minuitur, alteri ſæpius communicatur, an hæc ex legibus motus juxta Cartheſium ſtabilitis provenientia, ſine Elaterio fieri vel concipi poſſint, ipſis judicandum relinquo.

§. 20. Sæpius laudatus Caſtel in ſuo tractatu phyſico de Gravitate Univerſali, poſt Copernicum, Keplerum, Gali-

leum ; alioſque celebriores hujus & præcedentis ævi Phiſicos & Mathematicos haud infundate contendit omnia omnino corpora vorticis terreſtris, ne minimo inſenſibili excepto, plus minus, licet non ſemper manifeſte, Elaſtica eſſe, (eodem modo de aliarum vorticum corpóribus ratiocinatur) eorumque Elaterium generale ab unione & cohæſione generali omnium partium vorticis ad centrum globi terraquei pro totius conſervatione generali tendentium, acceptum refert, & cum præfatis doctiſſimis viris affirmat, vim elaſticam effectum eſſe unionis & cohæſionis partium, ſicut corporum actualis deſcenſus verſus centrum effectus eſt gravitatis, & quemadmodum corporum deſcenſus, vel actualis ad deſcenſum niſus verſus centrum ſit ipſa gravitas ſenſibilis, ità vis Elaſtica corporum ſenſibilis non alia quam ipſa corporum unio & cohæſio ſenſibilis, vel (ſi mavis) immediatus unionis effectus, eoque ſenſibilior Elaſticitas quo major ſit corporum unio & compreſſio, quam prætendit gravitatis (ut dictum) immediatum eſſe effectum; ipſumque gravitatis motum, a centro ſeu motuum concurſu ita limitari, ut corpora gravia cum centrum pertranſire nequeant, ſe neceſſario reagendo comprimunt, eoque fortius quo vis comprimens fortior & activior.

§. 21. Hæc corporum circa centrum compreſſio mutuaque unius in aliud actio & reactio, ſine quorundam, præſertim fortius verſus centrum impulſorum, reflexione elaſtica à centro ad circumferentiam concipi nequit, vi cujus, ſi duorum Aſtrorum ſicut globulorum eburneorum, fieret colliſio, ſi non utriusque, ſaltem debilioris repulſionem, & ad priſtinum ſitum & ordinem reſtitutionem neceſſario ſequi non ſine fundamento contendunt.

§. 22. Corpus enim elaſticum nunquam agit niſi in Elaterio conſtitutum, hoc eſt in ſtatu reſiſtendi vel nimiæ compreſ-

preſſioni, vel excedenti dilatationi. Hujus conſectarium videtur minima Elementaria ſine unione & mutua inter ſe cohæſione conſiderata, minime (niſi forte ſecundum ſcholas *in actu primo*) elaſtica nedum in Elaterio conſtituta, dicenda, atomus enim minima elementaris & viribus ſaltem naturæ inſectilis, ſi ab aliis ſepararetur, ob ſoliditatem & impenetrabilitatem nec intra ſe comprimi poſſit nec dilatari; hujus memor Hermannus Boerhave magni in hoc Newtonii ſequax in ſuæ praxeos medicæ de morbis fibræ debilis & laxæ in fine §. 29. pag. 56. ait, *an in Elementis ſit Elaſticitas, neſcio.* minima vero Elementaria in mixtis unita Elaterio gaudent hoc eſt poteſtate ſeſe ad invicem retinendi & inter ſe in mixtis mutuo cohærendi, pro cujus cohæſionis & unionis gradu intenſiore vel remiſſiore, major vel minor concipitur partium cohærentium elaſticitas & robur, hinc & major minorque earum inter ſe contactus, immediatus unionis effectus, & mutuæ coalitionis indivulſa comes.

§. 23. Ex hoc eorum de Elatere ratiocinio vis corporum centripetæ, centrifugæ, æquilibrii, & ex hiſce reſultantis perpetui in globo terraqueo - aereo imo in toto Macrocoſmo ſicut in Microcoſmo circuli, notio generalis facilius concipitur.

§. 24. Pro faciliori Elaterii quorundam corporum particularis & ſenſibilis, conceptu, quem non parum facilitat hæc Elaſticitatis generalis Idea, animadvertendum, quemadmodum inſignem videmus corporum Elaſticorum varietatem, quorum plura ſine ſubſtantiali mutatione multum elateris amittunt, multum aquirunt, hoc in chalibe, illud in ferro liquet, quædam, ſi diu in eodem ſitu detineantur v. g. Arcus diu tenſus, vel lamina gladii, in curvaturam ſe amplius non reſtituunt; alia quæ ſemper & inamiſſibiliter preſſuram retinent elaſticam verſus motum Elaſticum, licet mo-

tus quandoque impediatur, talis eſt Aër, & ipſe Æther Aëre longe ſubtilior, cui, intima quæque mundi aſpectabilis motu circulo, nimirum à circumferentia ad centrum & econtra, permeanti, vis centripeta & centrifuga Elaſticitatem licet nobis inſenſibilem involvens & connotans non adimenda, cujusque minima quamdiu inter ſe cohærentia ſi à naturali figura & ſitu recedant aut expellantur quo à DEO primitus locabantur, ſemet reſtituunt vel reſtituere nituntur, ita a diverſis cauſis ſenſibilem corporum Elaſticitatem oriri rationi valde conſonum.

§. 25. Aëris Atmoſpherici enim, & vel maxime Ætheris interflui, majorem forte ejus molem conſtituentis Elaterium, ab eorum gravitate & preſſura motrice interna, quæ à ſolo DEO produci & deſtrui poteſt repetendum.

§. 26. Elaterium mutabile in corporibus duris manifeſtum præter certum partium corporis Elaſtici ordinem & ſitum, ex certo unionis & cohæſionis partium gradu, quo diminuto, neceſſario remittit, & aucto intenditur Elaterium ſenſibile, reſultantem, à cauſis extrinſecis & potiſſimum à ſubtili Elaſtico, ut aura ætherea quandoque particulis igneis, in poris interioribus corporis ad Elaterium diſpoſiti deliteſcentibus, non excluſa ipſa aqua humidove palpabili ad lignorum v. g. humidorum elaterium concurrente, oriri veroſimilimum.

§. 27. Hoc ſequentibus exemplis non parum illuſtratur, ſi chalibs candens paulatim frigefiat, elaſticitatem ſenſibilem plurimum amittit, quam, ſi ad certum caloris gradum candens ſubito in aquam frigidam, acetum, aliumve liquorem acidum immergatur, ſenſibiliter auctam retinet, certe non aliam ob cauſam, quàm, quod aqua frigida vel liquores acidi poros chalibis candentis exteriores calore ignis dilatatos tam ſubito occludunt indurantque, ut quoties corpus chali-

beum

beum v. g. lamina gladii vel arcus chalibeus à ſitu & figura per vim externam deflectantur, ſpiritus ſive atomi igneæ in poris interioribus, imo & exterioribus ſuperficiei concavæ arcus vel laminæ curvatæ per flexionem anguſtatis occluſi & incarcerati, vi ſua premente & expanſiva exitum querentes, poros nimis coarctatos dilatando, corpus chalibeum ad priſtinum ſtatum reſtituunt & ad ejus præ ferro fragilitatem plurimum contribuunt.

§. 28. Ob eandem rationem Lachrimæ vitreæ Batavicæ dictæ, quarum materia vi ignis inflammata & ardens per immerſionem in aquam tepidam lachrymæ figuram recipit, debitamque paulatim aquirit duritiem, ob poros in extima ſuperficie longe minores & arctiores, verſus centrum quoniam tardius frigore denſantur, eosdem multo magis dilatatos habent, hinc lachrimæ ejusmodi cuſpide vel minimum verſus baſim fractâ aut limatâ, in minutiſſimum pulverem ſine ſtrepitu ſtatim comminuitur, ſi vero cuſpis, candelæ accenſæ approximetur, quamprimum ac ſufficienter calefit, lachryma cum magna exploſione ſonum inſtar auri fulminantis vel pulveris pyrii in parvo ſclopeto accenſi edit, in qua non tam liquidi Elaſtici copia, quam celeritas impetus, molis majoris defectum ſupplens, attendenda.

§. 29. Hujus exploſionis & lachrimæ in pulverem comminutionis non alia videtur cauſa quam, quòd particulæ igneæ & Æthereæ in poris internis majoribus lachrimæ vitreæ incarceratæ & compreſſæ, facta vel minima apertura ſe Elaſtice expandunt ſuoque violento & celerrimo motu partes vitri extimas & vicinas poris ſtrictioribus, atomis igneis exitum & viam occludentibus, donatas, tanquam repagula frangant inque minutiſſinum pulverem comminuunt, & ſi liquidum elaſticum in lachrima vitrea contentum calore ex-

ter-

terno v. g. candelæ approximatæ ſubito rarefiat, unà ob impetus celeritatem, fortem exploſionem cauſat.

§. 30. Hoc aliis vitris non commune quæ quidem facile rumpuntur, (ſed non comminuuntur) ſi adhuc multum calentia Aeri frigidiori immerſionis in aqua vicem quodammodo ſupplenti, expoſita, ſubito frigeſiant.

§. 31. Huc referendus campanarum pulſatarum tremor reciprocus valde ſenſibilis diuque durans, genuinus effectus vis Elaſticæ liquidi aereo ætherei, lamellis duris & innumeris ex quibus campanæ utpote ex duplici plerumque metallo confectæ, conſtant, ſibi incumbentibus interpoſiti, lamellæ enim exteriores & duræ percuſſæ introrſum multum cedentes, Elatere liquidi interpoſiti compreſſi, in priſtinum ſtatum imo & ultra reſtituuntur, inque ſubſtratis lamellis interioribus per totam campanæ craſſitiem propagatur motus, qui lateralibus etiam eminus communicatur.

§. 32. Ex hoc motu quem lamina una alteri, vi interpoſiti fluidi elaſtici, ac lamellarum metallicarum connexionis & cohæſionis impertitur, fit, ut laminæ ſubſtratæ extra ſitum propulſæ, eundem vel ſimilem motum denuo repetant cum activitate vix non tantâ, quantâ ipſis motus primo impreſſus, ut ſitum ſolitum aquirant, unde motus reciprocus ac vibratorius partium metallicarum, fluxus ac refluxus inſtar, diu continuatur.

§. 33. Quod partibus metallicis lamellatim in campana diſpoſitis earumque inter ſe cohærentium Elaſtico interpoſito attribuitur, idem de minimis chordarum tenſarum, durante earum motu tremulo, fibrillis & villis, earumque interpoſito fluido Elaſtico ſentiendum. Ob eandem rationem, ſi chordæ muſicæ extenſæ pila vel aliud ſimile corpus impingatur, linea quæ antea recta, curva facta, fit longior usque dum ejus fibrillæ ad ſe ſenſim redeuntes poſt varios

&

& reciprocos motus tremulos tandem ad antiquum locum reſtitutæ decurtantur & in maximos contactus trahuntur.

§. 34. Fibras, ex quibus ſolidæ partes corporis humani vivi omniumque animantium conſtructæ ſunt, ſimili Elatere quem medici *tonum* appellant, donatas eſſe, pluribus iisque indubiis evincunt argumentis, Anatomici, & Practici ſolertiores qui attente obſervant, 1. miram & maximam cutis in Hydropicis, gravidarum Uteri à fætu grandiore, ventriculi à nimia inflatione & ingeſtorum copia, voluminis inteſtinorum à flatibus, ſcroti in hernia inteſtinali, glandularum colli à ſcrophulis expanſionem, quas partes remotâ tantæ expanſionis cauſâ, brevi intervallo contrahi, inque priſtinum ſitum ac naturale ſpatium denuo reſtitui quotidie experimur.

§. 35. Secundò in aura calida & humida, in balneis vaporoſis & laconicis, totum corporis licet alias ſani habitum tumidiorem fieri, vaſa ſanguifera multum inflari, eorum ramificationes tenuiſſimas antea ſenſum effugientes in conſpectum venire, tubulosque cutaneos ita expandi, ut liquidum contentum copioſe per poros extrudatur, e contra in aura ſicciore & rigidiore cutis ſpiracula contrahi, vaſaque antea ſat conſpicua ita detumeſcere ut viſum effugiant.

§. 36. Tertiò pulſum cordis & arteriarumreciprocum, qui duplici motus ſpecie *Syſtole* nimirum ſeu contractorio & *diaſtole* ſeu dilatatorio abſolvitur, ſimilemque motum tenſionis, & oſcillationis ſive remiſſionis in omnibus fibris etiam minimis totius corporis pro faciliori liquorum circulantium trajectu, neceſſariò fieri haud infundate concludunt ſolertiores Medici theorico-Practici vim hanc fibrarum contractilem ab earum elaſticitate haud diſtinguentes, quam Hermannus Boerhave in ſua praxi Medica de morbis fibræ debilis & laxæ deſcribit *poteſtatem quæ fibram nexu ſuo conſtituentia trabit in conta-*

tactus maximos, à quibus ſi fibræ inter ſe cohærentes recedant, hinc fiant longiores, ſtatim puncta contactuum in quibus cohæſio vel maxime conſiſtit, mutantur, fibræque prævie contractæ extenduntur, ita tamen ut durante ſanitate & partium æquilibrio ad ſe rurſus redire queant vi partium inter ſe cohæſionis adhuc ſuperſtitis, ob hanc rationem corpus Elaſticum ab Hermanno Boerhave ſolide deſcribitur, quod non ſolum à cauſa distendente flecti poteſt, ſed etiam quod ea ceſſante ſe in priorem ſtatum reſtituit.

§. 37. Nec minus elaſticus eſt ſanguis noſter, in cujus portione ſpirituoſiori, ab aura æthereâ, tam per inſpirationem, cutisque ſpiracula, quam una cum eſculentis & potulentis ingeſtis communicata, indies ſubtiliſatâ & actuatâ, vel maxime gliſcit impetum faciens Hipocraticum, principium nimirum vitale activum de quo ſæpius factus ſermo, cujus vim elaſticam inter alia plurimum manifeſtat ejusdem rarefactio expanſiva & orgaſtica, diverſimode fibrarum noſtri corporis oſcillationes afficiens & immutans.

§. 38. Ad hæc haud dubie multum contribuunt aeris athmoſpherici mutationes quas præ aliis tam ſenſibiliter advertunt Arthritici, Aſthmatici, Calculoſi, vulnerati, clavis pedum afflicti, ut non incongruum vulgi dicterium ægros ejusmodi, perpetuum in corpore quaſi calendarium gerere.

§. 39. Pro meliori & faciliori, in cauſam & toni partium motusque tonici ſeu Elaſtici vitalis inquiſitione, præſuponendum cum Anatomicis prima ſolidorum noſtri corporis ſtamina ſeu filamenta, ex liquido ſeminali, vi plaſticâ cohærentia, fibras ſimplices, ſimilares, ultimas, imo a non paucis fibrillas vocari, ex quibus unà diverſo ſitu, motu, & figura intextis reſultant fibræ ſenſibiles & diſſimilares.

§. 40. Harum rurſus quædam carneæ ex quibus cor cum appendicibus pro majori parte coaleſcunt non ſecus ac plurimæ muſculorum, tendinum, imo & oſſium fibræ, per quas ſanguinis liquidum trajicitur, aliæ juxta celeberrimum Baglivum membranaceæ (rectius forte nerveæ) ex quibus Cerebrum cum Meningibus, quarum propagines cenſentur omnes aliæ totius corporis membranæ, pro majori etiam parte contexta videntur, (pro majori inquam parte) nulla enim membrana (ne meningibus exceptis) in toto corpore extat, quæ de fibris carneis, ſicut nec muſculus qui de nerveis non participat, fibras noſtri corporis ultimas & ſimpliciſſimas ſimilares dictas nerveas eſſe (ſi earum origo ſpectetur) affirmat ſed non confirmat celeberrimus Hermannus Boerhave in Inſtitutionum Medic. §. 700.

§ 41. Aliæ denique fibræ, quæ cùm, oculis armatis, ex ſubtiliſſimis & innumeris aliis villis, probabilius nerveis & carneis contextæ ſeu compoſitæ obſervantur, à nonnullis *Muſculares* ſeu *Motrices* vocantur in Muſculis tam formatis, quam non formatis, in omnibus etiam membranis & viſceribus totius corporis conſpicuæ, quamquam hæ fibræ motrices ab aliis ſed perperam, (ni fallor) cum fibris carneis confunduntur, fibra enim carnea ſine nervea motus eſt incapax.

§. 42. Hiſce præmiſſis, tonus & Elater fibrarum dependet à debito liquidi proprii in eas impulſu, & mechanica fibrarum ſufficienter firmarum, cohærentium, compactarum, & tenſarum habilitate & diſpoſitione pro liquidi impellentis receptione, & ulteriori trajectione neceſſaria, horum uno vel altero excedente vel deficiente tonus plus minus leditur & in Spaſmum vel Atoniam degenerat.

§. 43. Oſcillatio fibrarum Nervearum fit à fluido Nerveo, carnearum à minimis ſanguinis in earum minima agentibus & per eas undulantibus, & muſculoſarum ab utroque fluido conſpirante.

§. 44. Hæc duo fibrarum genera, duo diverſa & ſolertioris Medici Practici conſideratione digna, partium noſtri corporis ſyſtemata, nervoſum ſilicet & vaſculoſum efformant, in quibus ſingularis partium congenerum conſenſus & connexio obſervatur, ad ſolidorum tam inter ſe quam cum fluidis æquilibrium, ſine quo nec fibrarum nec viſcerum vis tonica conceptibilis, ſumme neceſſaria, quod duplici motu vitali & organico conſervatur, uno in corde & arteriis, quo fluida a Centro, mediante vaſorum & canalium reciprocâ ſyſtole & diaſtole, ad ambitum pelluntur, altero in fibrarum motricium & Nerveo-membranacearum genere, quo, mediante ſuo tono & Elatere humoribus copioſe affluentibus, renituntur, hinc & eos ab ambitu ad centrum Cor nimirum per venas, refluere faciunt.

§. 45. Hæc Elaſtica fibrarum à propriis fluidis interfluis, ut dictum, actuatarum renitentia, ſanguinis, latera Arteriarum quas in motu ſuo progreſſivo dilatat extrorſum prementis impulſui (hinc pulſus) æqualis, in cauſa eſt, quod fibræ vaſa contexentes à liquidis interfluis dilatatæ, non tantum introrſum ad priſtinum ſtatum ſe contrahendo vergentes, ſanguinem ulterius promovent, unde motus ſiſtalticus & diaſtalticus per totam ſeriem Arteriarum majorum in minores, ab his in minimas, & minimis in venas gradatim majores verſus centrum reciproce continuatur, verum etiam, fibris in quacunque corporis parte nimis æquo dilatatis vel contractis, in

aliis

aliis partibus modo vicinis, modò è longinquo ſitis fit. plerumque contractioni correſpondens dilatatio & dilatationi contractio, quod jamdudum obſervavit Hipocrates dum dicit *alvi Laxitas cutis tenſitas* & è contra.

§. 46. Ex dictis inferendum, ſicut motus fibrarum & vaſorum ſiſtalticus ſeu contractorius quo fluida contenta ulterius propelluntur ſit activus, ita motum diaſtalticum ſive dilatatorium ab humoribus in vaſa & fibras affluentibus, reſpectu fibrarum eſſe paſſivum, vim autem fibrarum motricium in toto corpore contractilem à ſanguine calido parteque ejus ſubtiliſſima ſeu impetum faciente partim in ipſo ſanguine arterioſo, partim in fluido Nerveo à ſanguine in Cerebro, Cerebello & medulla ſpinali ſequeſtrato, gliſcente, (non excluſa mechanica fibrarum ante cohærentium ut dictum habilitate) proficiſci ſatis ſuperque evincit partis ſolidæ cujuſcunque potentia motrix protenus expirans, quoties ſanguinis arterioſi & fluidi nervei ad partem fluxus, ligatis aut diſciſſis arteriis vel Nervis majoribus intercipitur.

§. 47. Nec opus recurrere ad Naturam quandam ſuperiorem & occultam à primo Motore, & impetum faciente Hipocratico in ſanguine gliſcente diſtinctam, Animam quaſi rationalem etſi veram corporis humani vivi compartem, quæ, (ut non ſemel antea commemoratum) niſi per reflectionem principio vitali nequaquam competentem, nec vel minima ſuæ, toni ſeu Elateris fibrarum vel motus tonici magis quam ſanguinis circuli ante Harvæi tempora ignoti, ſcientiæ, ſpecimina, huc uſque dedit vel dare poteſt.

§. 48. Quam neceſſaria Medico docenti & diſcenti ſit competens Elaterii notio, de quo plura pro hac vice dicere ve-

tant pagellarum Anguſtiæ temporiſque brevitas Medicis ſolertioribus & fundatioribus Judicandum relinquo. De fibrarum tono & vi motrice inter alios conferantur Baglivus, Santorinus, Borellus, Bellinus de Villo contractili, Stahlius de Motu tonico Vitali, Fridericus Hoffmannus de motu vitali Elaſtico, Proſper Alpinus in ſua Medicina Methodica & vel maxime Hermannus Boerhave.

CAPUT XI.

De Anima Mundi.

SECTIO I.

In qua Pneumo-Coſmicorum Sententia examinatur.

§. 1.

PRo faciliori doctrinæ Idearum ſeminalium de quibus tot ac tanta ſcripſerunt Pneumo-Coſmici tam Veteres quam Recentiores, captu, eorum placita de Anima Mundi Ideis ſeminalibus fætâ, ſcitu neceſſaria, prævie, breviter & candide recenſere haud inconſultum, quinimo Lectori benevolo gratum fore exiſtimo.

§. 2. Platonici quibus ſe aſſociârunt olim Stoici & hodiedum non pauci Medicorum inter quos Nobilis Robertus Fludd ſive de Fluctibus Medicus Oxonienſis, & Celeberrimus Noſter Marcus Marci à Krônland Primarius & Famigeratiſſimus olim in hac almâ noſtrâ Univerſitate Carolo-Ferdinandea Pragenſi Medicinæ Profeſſor, primatum hucuſque jure merito tenent, nec non Alchimiſtæ plerique præſertim qui Adepti Nomen ſibi vel vendicant vel promereri anhelant, formam rerum abſolutam à ſolo Deo unà cum, & in Materia primordiali creatam, ſtatuunt, quam, Animam, (alii ſpiritum) Mundi Univerſalem appellant, rebus naturalibus inſertam, hinc Pneumo-Coſmici nomine ſuperbiunt.

“ §. 3. Docent horum Moderni unanimiter, primò
“ Mundum hunc aſpectabilem ex Cælo & Globo Terraqueo-
“ Aereo Naturiſque, in hiſce, contentis coagmentatum, non ca-
“ ſu fortuito ſed divina providentia in hominis utilitatem à
“ Deo conditum quoad omnes omnino ſui partes adintegrantes
“ (ne minimâ excepta) vere vivere, ac Anima vivente ſecun-
“ dum pleroſque indiviſibili & toti coextenſa, in toto & in qua-
“ libet parte Univerſi hujus, exiſtente, informatum eſſe, qui ex
“ illa ſimul & materia velut magnum quoddam animal com-
“ ponitur, quod *Lapides* (cum Platone ajunt) *habet loco oſſium,*
“ *rivos loco Venarum, arbores loco pilorum, animalia inter ejus ca-*
“ *pillos nutriri ſicut vermiculi inter pilos animalium.*

§. 4. *Regeritur*, Fabulam quam commenti ſunt Veteres, in ſeria convertunt Recentiores PneumoCoſmici; præterquam enim quod ſapiens quoddam Phantaſma, cujus exiſtentiam, & pro Mundi directione neceſſitatem, nec revelatione, nec ratione invicta demonſtrare poſſunt, magis Enthuſiaſtice quam ſolide ſupponant, quid abſurdius amâbo quam fingere animal ſi quod aliud chimericum ex aliis infinitis & in ſua natura completis compoſitum, ſe ipſum depaſcens, nec viſu neque alio ſenſu prædictum, cùm, omnibus organis proportionatis, & ſenſuum officiis deſtituatur; nonne hæc, ut cum du Hamel loquar, ſunt portenta non differentium Philoſophorum, ſed ſomniantium?

§. 5. Profecto mirari ſubit Philoſophos Ideali doctrina ita inflatos, pro magni ſui Animalis MacroCoſmici majori complemento, majorique cum animalibus inter ejus capillos & viſcera Enutritis Analogia, hucuſque facultatem reſpirationis, & extra ſe locomotionis, quibus ſolis tam vaſtum Auguſtumque Animal à vegetabili & non animali diſtingui, veriſque animalibus æquiparari poteſt & debet, vindicare oblitos fuiſſe; nec fluidum aliquod ambiens, umbratile ſaltem, quo ſe verteret

ret & dirrigeret, cum extra Mundum nihil à Deo diſtinctum ſit, idealiter efformaſſe, vel Democriti *Spatium* non ſubſtituiſſe, cujus portionem per reſpirationis organa tanto animali proportionata reciproce in & expirare, & in quo locomotionem *adextra* more animalium in ejus ſinu reconditorum commode exercere potuiſſet; vel ipſi ſocium animal ex coſtarum unâ vel cerebro non produxiſſe, cui conceptus ſuos ideales & ſeminales pro mutuo utriuſque ſolatio manifeſtare potis fuiſſet.

" §. 6. *Secundò*, ab hac anima tanquam principio rerum " effectivo & vitali, pleraſque naturales actiones quæ in Uni" verſo fiunt procedere, *Hæc* (ajunt) *rugit in Leone, ululat in " Lupo, balat in Ove, in Cane latrat, in Herba germinat, volat " in Muſca, natat in Piſce, repit in Verme.*

" §. 7. *Tertiò*, tam vegetabilia & animantium gregem, quam " ſolem, Lunam, Sydera cuncta, Elementa vulgaria, & ex his " compoſita & decompoſita, verbo quæ inanimata vulgo di" cuntur, tanquam ſubſtantialis & vitalis actus informat.

§. 8. Si tales diverſaſque Animalium inter ejus pilos, paſcua querentium locomotiones, voceſque ſive ſonos animalium ore prolatos, eorumque ſpeciei conformes, ſola edat Anima Pneumo-Coſmica, quantam, quæſo, qualemque (cæteris paribus) motum extra ſe progreſſivum non adverteret, quamque ſonoram vocem per vaſtiſſima fluidi ambientis & idealiter ficti ſpatia & deſerta fortiſſime reſonantem non audiret Pneumo-Coſmicus extra Mundum ſuum animatum, vel idealiter vel miraculoſe conſtitutus.

§. 9. Quandoquidem enim ejus partes quædam manifeſtè extra ſe locomoveantur, aliæque ſub diverſis figuris diverſas edant voces, totum ex iis conflatum idem præſtare debet, ſecundum ipſorum regulam aſſerentium, *partem nequaquam toto perfectiorem eſſe.*

§. 10.

§. 10. Ex hoc quippe concludunt Mundum animatum eſſe, quia partes quædam Mundi manifeſtè animatæ ſunt, eodem titulo concludere debent Mundum reſpirare, locomoveri extra ſe, ſibi ſimile quoad ſpeciem generare, quoniam partes quædam Mundi manifeſte reſpirant, locomoventur extra ſe, ſibique ſimilia quoad ſpeciem quotidie generant.

" §. 11. *Quarto* Eandem Mundi Animam in homine admit- " tunt unanimiter, quinimo Veteres crediderunt Animam ratio- " nalem eſſe à Mundi animâ vel avulſam vel indiſtinctam; tri- " tum enim Zenonis in Empirico Argumentum eſt, *quod emittit* " *ſemen ejus quod eſt particeps rationis, eſt ipſum quoque rationis* " *particeps, Mundus autem emittit tale ſemen, eſt ergo rationis* " *particeps.* & concluſerunt Mundum non ſolum animatum " eſſe, verum etiam ſenſitivum & rationalem.

" §. 12. Moderni Pneumo-Coſmici gradum *rationalis in-* " *tellectualis* in homine etiam ab eadem Mundi Anima haud " dubie derivarent niſi Animas rationales per ſingula homi- " num individua numero diſtinctas ex fidei præſcripto ad- " mittere vel inviti cogerentur, cui Animam Mundi omnia " immediate vivificantem docent eſſe ſubordinatam & in cor- " pore organiſato præſuppoſitam; De hoc conferantur Marcus Marci & Erudiſſimus Vir Hieronymus Hirnhaim Ordinis Præmonſtratenſium Pragæ in Monte Sion, Abbas olim digniſſimus, prælaudati Marci inſignis fautor & ſequax, in ſuo Tractatu brevi de Typho generis humani pag. 130.

" §. 13. Inſuper vitam Pneumo-Coſmicam Recentiores in " 4r gradus diſtinguunt quorum 1mus, ſeu infimus vitæ gra- " dus eſt ſimplicis *ſubſiſtentiæ* quem tribuunt rebus non vege- " tabilibus ut Cælis, Syderibus, Elementis vulgaribus &c. " 2dus eſt *vegetativus*, quem non tantum plantis verum etiam " Metallis, mineralibus, & foſſilibus tribuunt, 3tius *Animalitatis* *ſenſi-*

" *ſenſitivæ* animalibus imperfectiſſimis & ſponte ajunt naſcen-
" tibus, ut inſectis, reptilibus, Zopitis vulgo Plantanimali-
" bus, proprius, 4tus *animalitatis rationalis* quem belluis per-
" fectiſſimis ut Leoni, Vulpi, Simiæ, Equo, Cani &c. imò &
" homini adſcribunt, hinc Animam Mundi mentem paſſim
" apellant Marcus Marci, Robertus Fludd de Fluctibus, alii-
" que non pauci Pneumo-Coſmicorum.

" §. 14. Hunc ultimum vitæ rationalis gradum homini ut
" dictum cum belluis communem, à vita intellectiva ſolis
" intelligentiis, angelis nimirum & animæ rationali propriâ
" diſtinguunt Pneumo-Coſmici Chriſtiani, aſſerentes homi-
" nem non ſolum eſſe animal rationale, ſed etiam intellectua-
" le, quo a brutis diſtinguitur, quandoquidem præter animam
" Pneumo-Coſmicam, animâ intellectuali liberâ, alterius mo-
" deratrice, meriti & demeriti capace à Deo recèns creata &
" ſub generatione infuſa ſolus inter animantia nobilitatur
" homo.

§. 15. Quo ſolido fundamento hos quatuor vitæ gradus præſertim primum & ultimum Orbi literato intrudunt, vere non aſſequor, ſi enim ſimplex rerum ſubſiſtentia pro primo vel ullo vitæ gradu, ſano ſenſu accipi poſſit ſequeretur 1mo, non tantum quæ juxta unanimem aliorum Philoſophorum conſenſum inanimata dicuntur, vita & anima gaudere, verum etiam Deum abſolute nullam ſubſtantiam extra ſe ſimpliciter exiſtentem & ſubſiſtentem inanimatam & vitæ expertem producere poſſe, cum omnes ſubſtantiæ producibiles quamprimum ac exiſtunt, ſimpliciter ſubſiſtant, quantum hoc eorum aſſertum Omnipotentiæ divinæ præjudicat, cordatioribus judicandum relinquo, 2do Materiam primordialem juxta ipſum Marcum Marci in ſuæ Philoſophiæ Veteris reſtitutæ parte 1. pag. 12. *entium infimam, pure paſſivam & inertem*, ab

Anima Mundi realiter diſtinctam, & à Deo creatam, hinc ſimpliciter & per ſe exiſtentem & ſubſiſtentem, vitâ propriâ quam non animæ Mundi debet, vivere, idque caſu quo divinitus ab Anima Mundi ſepararetur, adeoque Animam Pneumo-Coſmicam pro materiæ animatione ſuperfluam. An hæc aſſerere ſit Philoſophari, an nugari?

§. 16. Quod 4^{tum} vitæ Pneumo-Coſmicæ gradum concernit, cum intellectus, & ratio, (idem eſto judicium de intellectione, cognitione rationali, ratiocinatione,) quam à cognitione ſenſitiva brutorum neſcientium ſe cognoſcere, ſaniores Philoſophi jure merito diſtinguunt, à Pneumo-Coſmicis cum brutorum cognitione confundantur & pro Synonimis & realiter indiſtinctis habeantur, rationalitatem ab intellectualitate, vel agens vere rationale ab intelligente ſeu intellectuali realiter & ſtricte diſtinguere, meo tenui judicio eſt terminos à Philoſophis generaliter acceptos & conceſſos deſpotice, & arbitrarie, nedum valde paradoxe confundere, quod, utpote cordato Philoſopho magis veritatis quam novitatis & contentionis avido, indignum, à Philoſophorum ſcholis nunquam non exulare debet.

§. 17. Quemadmodum ſine maxima terminorum confuſione, irrationale utpote principium brutum formaliter conſtituens, & ab homine, animale nimirum rationali, omnique non irrationali eſſentialiter diſtinguens, homini (niſi forte in Arcadiæ Pecuario vel Sylvis Pneumo-Coſmicis educato) competere nequit, pari ni fallor ratione rationalitas hominem formaliter conſtituens & à bruto omnique irrationali & non rationali eſſentialiter diſtinguens, nullatenus, ſaltem improprie, abuſive, minuſque Philoſophice bruto attribui poteſt.

§. 18. Idem expreſſe ſentit Sanctus Auguſtinus quem tanquam inſignem alias Platonicorum Fautorem pro ſe ſæpius citant Pneumo-Coſmici, libro enim 2do de ordine dicit: *& me*

non

non aliud peccori præponit, niſi quod rationale animal ſum haud infundate igitur concludendum 4^tum^ vitæ Pneumo-Coſmicæ gradum quem brutis perfectioribus tribuunt, perperam, minuſque rationabiliter gradum *animalitatis rationalis* dici.

" §. 19. *Quinto* docent Pneumo-Coſmici Moderni, nihil " præter ſolum hominem in Macrocoſmo Univerſo mori, vel " mortale eſſe, quoties enim bellua mori dicitur, toties ceſſa- " re in ea motum, ſenſum, ac ratiocinium fatentur, exinde " (ajunt) minime mortem inferendam, ſed potius vitam e- " jus ex gradu quarto vel tertio in ſecundum, tandemque in " primum & infimum mutari, cum enim Anima Mundi in " activitate vitali motoriâ indeſinenter conſtituta non inve- " nit in materia ſubſtrata diſpoſitiones ad iſtam illamve vitæ " ideam evolvendam vel evolutionem continuandam requi- " ſitas, tantum ſaltem facit quantum pro re nata poteſt.

" §. 20. Ideo ex animantium perfectiorum cadaveribus " naſcuntur inſecta, quia vitam ultra tertium gradum eve- " here nequit; ubi tantùm pro gradu vitæ ſecundo diſpoſi- " tiones offendit, ex animantium corporibus putrefactis pro- " ducit plantarum genera, uſneam muſcumque ex oſſibus, ex " cadaveribus Ungues & crines creſcere facit.

" §. 21. Quod ſi nec pro his occurrat ſubjecti capacitas " vita ſaltem manebit in gradu primo, nihil igitur moritur, " nihil omnimode vita privatur; nec generatio nec corrup- " tio (ſi his Authoribus danda fides) aliud eſt quam circu- " latio ex *viſibili* ad *inviſibile*, *ex luce in tenebras* & viciſſim. vi- " de Moraſch in ſuæ Phiſicæ Univerſalis pag. 238.

" §. 22. Alii ne Sacræ Scripturæ dicenti *unus eſt interitus* " *hominis & jumentorum &c.* contradicere videantur, cum " prælaudato Hieronymo Hirnhaim reſpondent nullum ani- " mal irrationale mori vel corrumpi in ſenſu Ariſtotelico &

" Pſeudo Philoſophico bene vero in ſenſu veræ Philoſophiæ, " Pneumo-Coſmicæ ſilicet, quæ, ſicut *generationem* nihil eſſe " aliud quam ſpiritus mundi, (quem cum Anima Pneumo-" Coſmica confundunt nonnulli, diſtinguunt alii,) novam li-" mitationem ad certam ſpeciem accidentaliter diverſam, ſic " etiam docet *corruptionem* non aliud eſſe quam abolitio-" nem Ideæ quæ ipſum ad præcedens *eſſe* ac *operari* deter-" minabat.

" §. 23. Hæc Idea in priſtinum chaos (de quo ſuo loco) " retruſa, veterem Archæum ſepelit: (per Archæum intelli-" gunt Pneumo-Coſmici Animam Mundi limitatam & deter-" minatam per Ideam in hoc vel illo corpore prævie diſpoſito " v.g. Leonis vel Vulpis evolutam, quam etiam animam vi-" ventis particularem vocant,) eſt ergo in ſimilibus (ajunt) " mors accidentalis, quamvis nulla contingit partium ſub-" ſtantialium deſitio vel ſeparatio ſufficiens, quæ ſilicet non " tantum immediatam verum etiam mediatam rerum conti-" nuitatem ſolvit.

" §. 24. Separationem ejuſmodi in rebus hujus Univerſi " quæ ſecum invicem continuæ ſunt, reperibilem negant, " quamvis enim res una exempli gratia manus vel pes, videa-" tur ab altera localiter ſeparari (idem de Elephante mille " vel ultra ſtadiis à Rhinocerote, diſtante ſentiunt) adhuc con-" tinua manet mediante aere & æthere.

" §. 25. Cui (ajunt) res tam diverſæ Univerſum hoc com-" ponentes, ut aer, turris, ferrum, lignum, ignis, aqua &c. " non poſſe invicem continuari videntur, reſpiciat humani " corporis partes localiter ſeparatas & tamen remote conti-" nuas, an non venæ & arteriæ localiter ſeparatæ, cordi, he-" pati, aliiſque viſceribus, unione continuativâ cohærent ? " Nervi cerebro, ligamenta oſſibus, caro tendinibus & mem-" bris, quanta tamen partium iſtarum eſt diverſitas.

" §. 26.

" § 26. *In homine* ait Hieronymus Hirnhaim in Typho generis humani cap. 11. pag. 138. *aliter loquimur, hic enim præter Mundi Animam ſimul forma rationali eſt præditus, quâ corpore ſeparatâ, mori dicitur, & pag. 137. ut tamen humanum corpus cum aliis membris actualiter integret, non tantum mediate, ſed etiam immediate ipſis debet uniri, aer namque intermedius parum ad hanc Unionem confert, bene tamen ad Unionem cum Univerſo, quod magnum quoddam eſt animal ex tot rerum varietatibus veluti membris compactum, cujus conſtitutionem non tantum ipſe aer ſed etiam manus abſecta ingreditur, corpori tamen à quo præciſa eſt, aeris intermedii beneficio dici non poteſt unita, aer enim ille tametſi ad Univerſi conſtitutionem ſit ordinatus, non eſt tamen ordinatus ad conſtitutionem humani corporis, unde per illum non poteſt manus continuari cum reliquo corpore, continuatio enim non procedit niſi inter partes ejuſdem compoſiti.*

§. 27. *Regeritur,* Si ideo mors animalium ſit duntaxat accidentalis nec alia quam ipſiſſima eorum vita ex gradu nobiliori in ignobiliorem mutata, quoniam nulla contingit partium ſubſtantialium *deſitio nec ſeparatio ſufficiens*, nemo non videt hiſce ſtantibus nec hominem mori, ipſiuſque mortem æque, dundaxat accidentalem eſſe, ſive vitæ mutationem à gradu 4to nobiliori, in tertium, 2^dum^, vel infimum ignobiliorem; nulla enim contingit in morte hominis magis quam bruti partium ſubſtantialium deſitio nec ſeparatio ipſis Pneumo-Coſmicis ſufficiens.

§. 28. Anima namque rationalis, ſtante eorum Hipotheſi exigente pro vera morte non ſolum immediatam ſed etiam mediatam continuitatis rerum hujus Univerſi ſolutionem, nunquam ſufficienter à proprio corpore ſeparatur vel ſeparari poteſt, ſive enim in Cælo ſit ſive in Inferno, ob rerum hujus

Univerſi

Univerſi continuationem, remote ſuo proprio corpori cum reliquis Univerſi continuo præſens eſt, cum Animâ Mundi juxta ipſos indiviſibili, penetrabili, & à natura ſua in motu vitæ indeſinenter conſtituta, Archæum hominis conſtituente, ſemper & indiviſibiliter compenetratur, conſequenter eidem ſemper & indeſinenter unitur, adeoque capere nequeo quo ſufficienti fundâmento aliter, in morte hominis quam in jumenti interitu, loquitur Vir doctiſſimus.

§. 29. Nec video quare corpus Leonis vel Canis, æque ac corpus humanum, ut cum aliis ſuis membris actualiter integret, non tantum mediate ſed etiam immediate ipſis non debet uniri, vel quare omnia quæ de manus & pedis à corpore humano abſectæ, diſcontinuatione, dicit, æque pedi vel alteri membro à corpore Leonino vel Canino, abſecto, pari ratione non applicanda, adeoque non magis ad interitum animalis irrationalis, quam hominis requiritur mediatæ rerum continuitatis ſolutio, cum ſufficiat immediata, ſi enim verum quod *continuatio* juxta doctiſſimum virum *non procedit niſi inter partes ejuſdem compoſiti* unitas, nemo non videt membra Leonis vel Canis utpote entium compoſitorum phiſice completorum, abſecta, ab iiſdem nec magis nec minus diſcontinuari, quam manus vel pes à corpore humano, abſecti.

§. 30. Ex hac Pneumo-Coſmicorum Sententia aliud abſurdum primo longe deterius emergit, nimirum Corpus Chriſti glorioſum & incorruptum in triduo Mortis non fuiſſe mortuum, ſed vere vixiſſe ſecus ac Sacra Scriptura ejuſque Evangelia expreſſe docent, Pneumo-Coſmici enim Chriſtiani præſertim Marcus Marci, & Hieronymus Hirnhaim fatentur animam Chriſti ſenſitivam quam ab Anima Mundi in ejus corpore limitatâ non diſtinguunt, in triduo mortis, Materiæ corporis Chriſti manſiſſe unitam, quo conceſſo conſectarium videtur neceſſarium, corpus ejus durante triduo mortis incor-

ruptum,

ruptum, organiſatum, & juxta ipſos animæ ſenſitivæ in motu vitæ indeſinenter conſtitutæ phiſice unitum, ab eadem neceſſario & inevitabiliter informatum fuiſſe, animatum, & vivificatum, adeoque Chriſtum in ligno Crucis pro nobis vere paſſum & immolatum in triduo mortis vitæ, animalis gradu 4to (ut eorum ſtylo utar) vere vixiſſe.

§. 31. Reſpondent Pneumo-Coſmicorum nonnulli, per corpus vivens, illud tantum debere intelligi, quod eſt proxime potens ad actiones vitæ naturaliter exercendas, Corpus autem Salvatoris in triduo mortis diſpoſitionibus caruit quæ ad actiones vitales requiruntur, unde ſeparata anima ejus rationalis, quæ ad ſui unionem illas in corpore prærequirit. vide ſæpius memorati Hieronymi Hirnhaim tractatum brevem pag. 133.

§. 32. *Regeritur*, cum diſpoſitiones quæ ſecundum præfatos Authores tam ad generationem animalis quam ad actiones ejuſdem vitales exercendas neceſſario prærequiruntur, non aliæ quam animæ Mundi limitatio, & ad certam ſpeciem v. g. humanam vel Leoninam per hominis vel Leonis in materia debita ideam evolutam determinatio continuata, quæ quamdiu in corpore quocunque rite organiſato durant, tamdiu anima Pneumo-Coſmica, ejuſdem anima ſenſitiva ſive Archæus audit, hoc expreſſis terminis confirmat ipſe Marcus Marci in ſuæ Philoſ. Veteris reſtituræ pag. 48. dum ait *reſpondeo quamdiu anima ſenſitiva formaliter manet in corpore, hoc eſt quatenus limitata per Ideas ad tale animal, non poſſe dici mortuum, tametſi nulla actio vitæ ſit conſpicua*; has diſpoſitiones durante triduo Mortis ſtante ipſorum Hipotheſi neceſſario habuit Corpus Chriſti Sacro-Sanctum & incorruptum, prout ex ſequentibus patefiet.

§. 33. Primo, ut ante inſinuatum, Anima Chriſti ſenſitiva corpori æque durante triduo mortis ac ante & poſt unita

man-

manſit, ſecundò, durante triduo mortis nulla fuit abolitio Ideæ Corporis Chriſti utpote minimè in priſtinum chaos retruſæ, alias neceſſario fieret Carnis Chriſti corruptio prout ab ipſis explicata, & *Verbum* notabilem ac eſſentialem partem quam ſemel aſſumpſit, dimiſiſſet, contra Communem Sanctorum PP. & Doctorum ſententiam.

§. 34. *Confirmatur*, cum ſemen juxta ipſos animatum & Archæus ſive anima ſenſitiva Embryonis humanæ ante animæ rationalis infuſionem, ipſis fatentibus aliquas exerceat operationes vitales, quare Archæus in Corpore Chriſti incorrupto in triduo Mortis ſecundum eos remanens non æque potuiſſet imo neceſſario debuiſſet licet nobis inſenſibiliter operari, Archæus enim *in motu vitæ* (ſi Pneumo-Coſmicis credendum) indeſinenter *eſt conſtitutus*, & ad Vitæ Animalis abolitionem perfectam non ſufficit aliquarum operationum vitalium & ſenſibilium, vel defectus vel abſentia, bene vero Ideæ animalis abolitio, quæ in Corpore Chriſti durante triduo mortis minime abolita fuit ob rationes antea datas, alias qui fortiſſima Lypothimia, Apoplexia, paſſione Hiſterica, vel Extaſi Cataleptica tanguntur, quorum, ob omnimodam functionum vitalium ſenſibilium abolitionem, pro mortuis habitorum, ſepultorum, & denuo ſe recolligentium, in Authorum, & vel maxime Marci Marci, Monumentis exempla proſtant, pro vere mortuis habendi, cujus contrarium ipſi Pnenmo-Coſmici cum communi ſententia mordicus tuentur.

§. 35. Nec felicius reſpondent aſſerentes in triduo Mortis Chriſti vitam ipſius *intellectualem* prorſus abolitam per ſeparationem & abſentiam animæ rationalis, *Animalem* vero in primum vitæ gradum ſimplicis ſubſiſtentiæ mutatum, ejuſque mortem in hac mutatione conſiſtere.

§. 36. Quis è Pneumo-Coſmicis Chriſtianis niſi cæcutiens non videt Animam Chriſti glorioſam & immortalem, durante mortis

mortis triduo ſeparatam, æque ac corpori unitam, vitâ intellectuali ſoli intelligentiæ propriâ vivere, quæ nullatenus Corpori, vitam animalem à ſola Mundi Anima derivanti, (niſi relative, & per denominationem extrinſecam) competit.

§. 37. Verè ſi ſuis principiis conformiter ratiocinentur, nec intellectionem à Corpore Chriſti, vel humano, nec vitam Chriſti Animalem, à rationali ejus anima infuſa proficiſci ſtatuent, nec vita Animalis Corporis Chriſti ſemper incorrupti, in primum vitæ gradum durante mortis triduo, mutari potuit, quoniam corporis Idea Archæum conſtituens, per totum mortis triduum ſalva & evoluta manſit, quâ durante & non deſinente, Anima Mundi ad novam Ideam primo & infimo vitæ gradui conformem, in eodem corpore ex Chao evolvendam, determinari nequit.

§. 38. Nec majorem habet vim effugium Marci Marci in ſua Philoſophia Vet. reſtituta part. 1. pag. 61. aſſerentis; *at opinionem quoque Thomiſtarum* (rectius ni fallor Scotiſtarum) *in hoc admitto, quod, præterquam in homine, in omnibus reliquis non niſi unica ſit forma ſubſtantialis, quæ quamdiu animal vivit dicitur anima: ubi vero actio animalis defecit, vitaque extincta fuit, tum forma dicitur Corporeitatis, non vero anima illius quod fuit, ſeu actu ſeu poteſtate. Licet in potentia dici poſſit ad aliud animal quod ex corpore illo mortuo ſubnaſcitur.* & pag. 60. ait: *Eadem enim mihi Anima Univerſi quæ illis forma Corporeitatis, & neque à materia divelli neque interire poteſt. Eſtque hujus effectus primarius Chaos, ſubſtantia quidem corporea & indefinita; ex qua veluti ovo mundus cæpit; neque reſolvi poteſt uſque ad materiam primam: quoniam Idea Univerſi in eo confuſa, non minus quam Anima, tota in toto, & tota in qualibet parte, ab eadem fluere non ceſſat.*

§. 39. Quanta ſit inter formam Corporeitatis Scotiſtarum & Animam Mundi Pneumo-Coſmicam diſparitas, brevibus exa-

 minandum,

minandum, *primo* Forma Corporeitatis quam à materia phiſicè diſtinctàm, recentiores plerique tanquam ſuperfluam rejiciunt, ſecundum Scotiſtas eſt diviſibilis, eandem enim, corpore quoties diviſo, toties neceſſario dividi affirmant, Anima Mundi ſecundum Marcum Marci eſt indiviſibilis tota in toto & tota in quâlibet Univerſi Minutiâ replicata & replicabilis. *Secundò*, Forma Corporeitatis ſecundum ejus Fautores, nec animat, nec vivificat, imo ab iiſdem habetur pro inerti, indefinitâ, indiferente, cognitionis incapace, facta pure fictaque ut Materiam informem conſtituat in eſſe corporis indeterminati & per introductionem aliarum formarum ſubſtantialium determinandi, anima vero Mundi in motu vitæ indeſinenter conſtituta omnia vivificans, animans, & vix non omniſcia, ab Ideis accidentalibus & non formis ſubſtantialibus determinatur & in Archæos diſtribuitur.

§. 40. His rite attentis, dato, licet minime conceſſo, Animam Mundi in ordinario animalis interitu, ob Ideæ animalis, quâ Mundi Anima prævie limitabatur, abolitionem, formam Corporeitatis dici poſſe, hoc, in Corpore Chriſti per triduum mortuo, ſtante ejus Hipotheſi, minime locum habet; enimvéro corpus ejus glorioſum durante mortis triduo incorruptum manſit, ut ſæpius dictum, corporiſque Idea minime fuit abolita, conſequenter quamdiu Anima Mundi ab eadem numero Ideâ Corporis Chriſti in eodem numero corpore determinatur limitaturque, tamdiu Anima Chriſti ſecundum nos vere mortui, ſenſitiva ſaltem, & non forma Corporeitatis niſi abuſive, dicenda.

§. 41. Inſuper Anima Pneumo-Coſmica ſecundum Marcum Marci, ubi actio animalis defecit vitaque extincta fuit, non amplius dicenda iſtius animalis, quod fuit, Anima, ſeu actu ſeu poteſtate; in Chriſto verò poſt triduum reſurrecto eadem fuit numero Anima ſenſitiva (quaſi vero!) quâ ante mor-

tem

tem & in mortis triduo informabatur animabaturque, nimirum Anima Mundi à corporis ejus glorioſi & incorrupti Idea indelebili, limitata.

“ §. 42. *Quintò*: Hæc Mundi Anima priſco ævo notiſſima “ diverſis, tam à veteribus quam modernis Authoribus inſig- “ nita nominibus, quandoque olim ſicut hodiedum *Natura* “ *Univerſaliſſima, ignis Centralis, Lux, Æther, Cælum* audit, qui- “ bus terminis ejus activitatem, puritatem, & ſubtilitatem, in- “ nuere voluerunt, ab Alchimiſtis *Mercurius Univerſalis, Mer-* “ *curius Mercuriorum, Proteus* &c. appellatur, ideo quod in “ rerum naturalium generatione in omnes rerum formas ſe “ fingere poſſit & ſoleat; eam etiam *priſcum parentem & de-* “ *mogorgonem*, id eſt omnium rerum progenitorem, vivifi- “ catorem, & gubernatorem vocant; à veteribus *principium* “ *Hylarchicum* nominabatur, eo quod materiam informem “ quam *Hyli* appellant, id eſt ſilvam ſeu lignorum congeriem, “ ad quaslibet formas aptam, formet, actuet, & ad ſpeciem “ Entis determinet: dicitur etiam *Spiritus Panurgicus*, id eſt “ rerum omnium faciendarum gnarus, cunctarumque circum- “ ſtantiarum in rerum generatione obviarum ſatagens: veteres “ denique Medici non pauci, Chimiæ addicti per *calidum in-* “ *natum, flammulam vitalem*, ſive activum illud vitæ materia- “ lis principium, non aliud quam Animam Mundi indigitâſſe “ videntur. Hodiedum frequentiſſime *Spiritus* & Animæ “ Mundi nomine ſuperbit.

“ §. 43. De Animæ & Spiritus Mundi quidditate phiſicâ “ diverſimode opinantur Pneumo-Coſmici tam veteres quam “ Recentiores, Stoici, qui Materiam Mundi Chaoticam & in- “ formem, juxta Gentilium errorem Deo coævam, & impro- “ ductam, ſuſtinuerunt, Animam Mundi Univerſalem ab ip- “ ſo Deo primo rerum conditore, Univerſitati rerum omni,

" coextenſo, per ejus intima quæque latifundia diffuſo, om-
" niumque motuum Phiſicorum Authore & Directore ſupre-
" mo non diſtinxerunt.

" §. 44. Idem, Virgilius 6. Æneidos innuiſſe videtur dum
" cecinit:

" *Spiritus intus alit, totamque infuſa per artus*
" *Mens agitat Molem, & Magno ſe corpore miſcet.*

" Deum primum rerum Conditorem, ſæpius *ignem Artificem*
" appellant, *opificem, ſpiritum igneum intelligentem*, qui in ſe
" informis, in omnes ſe vertit formas; ad hoc alluſiſſe videtur
" Poeta:

" *Eſt Deus in nobis ipſo incaleſcimus omnes.*

§. 45. Cum hæc Stoicorum Gentilium placita de Materia Chaotica, à fidelibus unanimiter rejecta referre, ſit quaſi refutare, ab ulteriori eorum ſcrutinio ſuperſedebo, contentus aſſerere, in modernorum defenſionem ſi aſtruendo Deum ſimpliciter ſimplicem (licet valde improprie) Animam Mundi, non aliud intellexiſſent quam DEUM Creatorem & Conſervatorem per intima quæque Univerſi infuſum, & ſuppoſito & virtute preſentem, omnia dirrigere, actuare, & actuando, quaſi anàlogicè Animare, eorum opinionem non omnimode repudiandam, modo eum dicant ſubſtantiam Mundo ſeminario *aſſiſtentem*, nullatenùs vero *informantem*, ſive materiæ in Mundi compoſitione compartem eſſe, vel ab Ideis de novo evolvendis determinari, cum hæc maximam in Deo arguerent imperfectionem, & Spinoſiſmum olerent.

" §. 46. Platonici tam Gentiles quam Chriſtiani cum ſuo
" anteſignano diſerte contenderunt Animam Mundi eſſe ſub-
" ſtantiam à Deo rerum Conditore productam, activam, mo-
" tricem, propagatricem & moderatricem rerum quas primo

crea-

" creavit, earumque continuam, ad ſæculi conſummationem " conſervatricem; verum de ejus ſubſtantiæ natura non ſunt " unanimes.

" §. 47. Horum non pauci præſertim Alchimiæ dediti A-" nimam Pneumo-Coſmicam habent pro Corpore ſubtiliſſi-" mo, penetrantiſſimo, puriſſimo, & actuoſiſſimo, diviſibili, " & cognoſcitivo quod Spiritum Analogice dicunt, hinc ab " iiſdem ſpiritus ſæpius quam Anima Mundi, quos confun-" dunt, appellatur.

§. 48. An & quomodo hic eorum ſpiritus à principio acti-vo Mechanicorum variis nominibus ſuperbiente differat, præ-ſertim ab Æthere ſive Atomis igneis Gaſſendiſtarum, quarum plures remore & in actu primo vita & ſenſu pollere conten-dunt non pauci aſſeclæ, inter quos Clariſſimus Moraſch Me-dicinæ Profeſſor Primarius & Celeberrimus Ingolſtadienſis, Problema eſto, aliis qui plus habent otii ſolvendum.

" §. 49. Alii contendunt Animam Pneumo-Coſmicam ve-" rum eſſe ſpiritum neceſſario indiviſibilem, cum materia con-" creatam, totam in toto & in qualibet Mundi parte, ad inſtar " Animæ rationalis in corpore humano ſinguliſque ejus par-" tibus ſecundum ſubtilem Peripatum replicatæ, horumque " plures, Animam Pneumo-Coſmicam *à Spiritu Mundi* quem " dicunt Animæ vehiculum ejuſdemque cum corpore vincu-" lum, diſtinguunt, aſſerentes, æquum eſſe, ut duo ſibi, in " Natura, extreme diſtantia vinculo quodam mediæ quaſi in-" dolis medientur & uniantur; alii poſt Platonem aſſerentem " *Mentem eſſe in Anima & Animam in Corpore*, ſubſtantiam " hanc ſpiritualem *Mentem*, Mundi ſpiritum ipſa impurio-" rem, corpore vero craſſiori longe ſubtiliorem, *Animam* ſim-" pliciter appellant; qui tuentur ſpiritum Mundi Animæ

Pneumo-

" Pneumo-Coſmicæ vinculum eſſe, non prætendunt Animam
" hanc eſſe Mundi rerumque naturalium *Animam informantem*
" ac cum ſuo ſubjecto unam Hipoſtaſin facientem, ſed præciſe
" inſidentem ac coexiſtentem, Corpus Univerſi regentem &
" gubernantem, ſicut Nauclerus Navim. Vide Phiſicam Univerſalem Clariſſ. Moraſch pag. 238.

§. 50 Quaſi vero minutiſſima radiorum Luminis rarefactibilium, condenſabilium, & reflectibilium, nec non & effluviorum hujus Univerſi ſubtiliſſimorum corpuſcula, ſpiritum quemcunque Chimicum ſua tenuitate longe ſuperantia ejuſdem cum toto, in linea corporis extenſi, Naturæ & Eſſentiæ, ſubſtantiæ eorum intermediæ æquivalentia, non tantum à natura & quidditate ſubſtantiæ vere ſpiritualis inextenſæ & indiviſibilis rarefactioni condenſationi & reflexioni nequaquam ſubjectæ, diſtent differantque, quantum craſſiores & ſenſibiliores Univerſi minutiæ, vel prætenſus ſpiritus intermedius. Taceo ejuſmodi ſpiritus intermedii exiſtentiam, nedum pro corporum generatione continuanda neceſſitatem, nec à priori, nec à poſteriori ulla plauſibili multo minus ſolida ratione demonſtrabilem. De ſubſtantia corpus inter & ſpiritum media, plura dicentur cap. ultimo hujus diſſertationis.

" §. 51. Marcus Marci, ejuſque Fautor inſignis, Hierony-
" mus Hirnhaim, opinantur Animam Mundi, quam Mundo
" coævam, coextenſam, indiviſibilem, & penetrabilem eſſe
" tuentur & mentem ſæpius vocant nec rationalem eſſe nec
" ſpiritualem, bene vero Materialem & quaſi omniſciam,
" *quamvis communi vocabulo ſpiritus nominetur* (præfati Hirn-
" haim verba ſunt) *quo etiam frequentiſſime appellare ſolemus*
" *ſubtiliores quaſdam & puriores ſubſtantias, ut Spiritum Vini,*
" *Spiritum Sulphuris &c. dependet etiam à Materia, ut in commu-*
" *ni ſententia formæ omnes materiales, hoc ſolum diſcrimine,*

quod

" *quod tota dependeat à tota Univerſi Materia, tota item à qua-*
" *libet ejus parte, cum ſit indiviſibilis, materialem autem & ſi-*
" *mul indiviſibilem eſſe non repugnat, cùm S. Auguſtinus, S. Tho-*
" *mas, & Albertus Magnus animas animalium perfectiorum ta-*
" *les defacto eſſe aſſeveraverint.* hæc ille in ſui Tractatus brevis de Typho generis humani pag. 140.

§. 52. Tametſi hæc eorum animæ Pneumo-Coſmicæ ratione Materialitatis, cum animâlium perfectorum animabus etiam à Peripato materialibus dictis, comparatio, Peripatetico Thomiſtæ ſat plauſibilis eſſe videatur, à Recentioribus Phiſicis, in nullius Magiſtri verba jurantibus, quibus majòr amica veritas quam Authoritas, tanquam minime fundata rejicitur, hi enim acriter contendunt tantùm implicare ſubſtantiam vere & pure materialem vel corpoream quæ non ſit materia vel corpus, quantum ſubſtantia ſpiritualis quæ non ſit ſpiritus, vide dicta cap. 2. pag. 20. §. 10. & 11. hujus Diſſertationis, tandem concludunt Animam Mundi in Hipotheſi indiviſibilitatis, penetrabilitatis, replicabilitatis, & ſenſus animalis, vel pure ſpiritualem, Hinc intelligentem, contra Marci Marci ſententiam, vel Magnam Atomum cognoſcitivam Materiæ Mundi coextenſam & indiviſibilem, aſt contra Natutam & ſoliditatem Atomi, penetrabilem, vel non Ens dicendam.

§. 53. Si dicas eam ideo materialem eſſe & dici, quia Materiam informat, pari jure & anima rationalis corpus humanum informans, & Anima Mundi à Deo ſecundum Stoicos indiſtincta, materiales dicendæ, quas tamen ipſi vere ſpirituales & intellectuales eſſe haud inficiantur.

" §. 54. *Septimo*, docent Animam Mundi ex ſe ad quaſcun-
" que operationes indifferentem per varia accidentia ex & in
" Materia Univerſi emergentia ita determinari & limitari, ut

hic

" hic & nunc talem & non aliam in hoc vel illo ſubjecto e-
" liciat operationem; hacque ſui limitatione & diſcriminatio-
" ne à ſemetipsâ alibi exiſtente, & aliter determinatâ quo-
" dammodo differre. Hæc ex Idearum ſeminalium doctrina
mox explicanda magis eluceſcent.

" §. 55. Inſuper, prætendunt Pneumo-Coſmici Chriſtiani ean-
" dem, omnia totius Univerſi corpora, ne minutiſſimis exceptis
" intime pervadentem ac penetrantem, ſe inſtar globi à Cen-
" tro terræ (in hôc, Centrum Animæ ſuæ Pneumo-Coſmicæ
" collocant) ſulphure, ajunt, refertiſſimo, uſque ad ultimum
" cæli ambitum expanſi habere, in, & circa terræ centrum in
" flammam ſeu ignem furioſum, concentratum; & (ſi ipſis
" danda fides) infernalem, *locum dolorum*, *tortorem damnato-*
" *rum* abire, in variis terræ viſceribus, ruptis cavernis, flam-
" mas per montes ignivomos eructare, ventos creare, terræ
" motus, mariſque fluxum & refluxum, concitare, in terræ
" imis & montium altiſſimorum cavernis, pro diverſitate fer-
" mentorum ſpecificorum ſive matricum & Idearum, Metal-
" lorum & Mineralium diverſorum evolutionem diſponen-
" tium, omnia Metallorum, Foſſilium, Lapidumque prætio-
" ſorum & communium genera, quæ regnum Minerale nobis
" ſuppeditat, in abundantia producere, in terræ cortice in
" plantis vegetare, in animalibus brutis diverſæ ſpeciei mo-
" vere, ſentire, in perfectioribus ratiocinari, in aeris Atmoſ-
" phera, altius elevatam & rarefactam, gratiſſimam lucis uſu-
" ram qua ſe viſibilem reddit nobis præſtare, idque per irra-
" diationem ex Sole & Syderibus in quos condenſatur, ſuos,
" ad nos, radios, jugi motu evibrantibus; quo magis lux hæc
" attenuatur & rarefit, eo minus ad ſenſum calefacit, in mo-
" leculas ſeu parvos glomeres collecta blandiſſime fovet &
" vivificat; ſi in majora volumina in matrice debitâ, terra ni-
" mirum Salino-Sulphurea, phlogiſtica, non nimis arctè con-

cen-

" centretur, intenſe ardet; & ruptis repagulis in flammam " ſeu ignem urentem & depaſcentem erumpit. Hæc Alchi- " miſtis eſt *avicula* illa *Hermetis* quam in aere & rore captare " ſatagunt, quamque *quintæ* rerum *Eſſentiæ* nomine miris imo " hyperbolicis efferunt laudibus.

§. 56. Quomodo Mundi Anima in Hipotheſi ſive ſpiritualitatis ejuſdem ſive ſecundum Marcum Marci Materialitatis ſimul & indiviſibilitatis, magis quam anima rationalis vel Angelus, poteſt vere attenuari, rarefieri, condenſari; in moleculas diviſas & diviſibiles, vel glomeres parvos colligi, concentrari, excentricari, & in lucem quæ ſecundum regulas Dioptrices reflecti & refringi poteſt & debet, ſe viſibilem reddere, cum hæc omnia ſine reali immediato & phiſico contactu ſolis corporibus competente fieri nequeant; me non ſatis aſſequi poſſe candide fateor.

§. 57. Alchimiſtæ, præſertim qui ſuum Mundi ſpiritum admittunt corpus eſſe diviſibile & intima quæque Mundi permeans, præfatos effectus eidem attribuentes, multò plauſibilius & ſolidius ratiocinantur; dummodo eam non dicant, reſpectu materiæ Mundi veram & propriedictam eſſe animam vel vegetativam vel ſenſitivam, multo minus rationalem, vel operationes in ſua comparte exercere ſimiles illis quas vegetantium & animalium animæ in ſuis reſpective compartibus & domiciliis edunt.

§. 58. Mundus enim per ſpiritum ejuſmodi aliamve animam excogitabilem, nec alium Mundum ſibi ſimilem, producere poteſt, ſicut plantæ plantas, & animalia, ſibi ſimilia, generant, nec ſe per aliquid extra ſe & à ſe diſtinctum more vegetabilium & animalium nutrit, nec creſcit, nec ſenſu, nec viſu, multo minus intellectu & ratione præditus, cum horum

organis & Officiis prorſus deſtituatur, nec vel minima horum ſpecimina exhibendi capax ſit.

§. 59. Plurima prætereo eaque non contemnenda Argumenta, Peripateticorum principiis conformia, contra Animam Mundi propoſita, quibus Marcus Marci in ſua Philoſophia Veteri reſtituta, & Hieronymus Hirnhaim in ſuo Tractatu brevi de Typho generis humani ſat plauſibiliter per retorſiones & paritates Macrocoſmum inter & Microcoſmum formatas, ſatisfeciſſe ſibi videntur, ad quos Lectorem benevolum refero, contentus hic unicum Pneumo-Coſmicos Orthodoxos feriens, ex præfato Hirnhaim depromptum adducere, cujus ſolutionem multo clariorem & ſolidiorem illâ, quam dedit vir religioſiſſimus, multum exopto, eſtque ſequens à tranſubſtantiatione deſumptum.

" §. 60. Dum fit converſio panis & vini in Corpus Chriſti, " perit tota ſubſtantia panis & vini, hoc non poteſt dici in " ſententia admittente Animam Mundi indiviſibilem, hæc igi" tur ſententia, ſalvâ fide teneri non poteſt; cum enim perit " tota ſubſtantia panis & vini, etiam Anima Mundi materiam " panis & vini ſecundum ipſos informans, ex quibus ſolis, pa" nis & vinum ſubſtantialiter componebantur, perire debe" ret, ſed non poteſt dici quod illa pereat, nam 1mo. Si " periret, periret ubique, eſt enim ubique eadem una ac indi" viſibilis, 2do eſt in Corpore & Sanguine Chriſti, quæ ſub" ſtantiæ panis & vini ſuccedunt, non poteſt igitur dici quod " pereat & conſequenter in hac ſententia non poteſt ſalvari " tranſubſtantiatio. Hoc Argumento (ait Hirnhaim) putat " communis Philoſophorum grex Spiritum Mundi omnino " proſterni.

" §. 61. Reſpondet Vir graviſſimus Nomine Pneumo-Coſ" micorum Orthodoxorum, *Eccleſiam & SS. Patres nomine*

tran-

" *tranſubſtantiationis Eucharisticæ non aliud nobis adcredendum*
" *proponere, quam, quod per illam pereat tota ſubſtantia panis*
" *& vini quæ non eſt his ſimul & Chriſto communis, unde aſſe-*
" *rendum eſt hanc numero materiam panis & vini in conſecra-*
" *tione perire, quia Chriſtus aliam habet materiam numero di-*
" *verſam, non definit autem Eccleſia perire ſimul formam ſubſtan-*
" *tialem & materialem Chriſto, & panis vinique compoſito com-*
" *munem, neque neceſſarium eſt ad tranſubſtantiationem, ut om-*
" *nes partes, ſubſtantiales prioris compoſiti pereant, nam etiam*
" *ſecundum multos datur corruptio ſubſtantialis, nulla parte ſub-*
" *ſtantiali pereunte, in morte videlicet hominis, in quo præter*
" *materiam & animam rationalem, nullam aliam ſubſtantialem*
" *ſeu Eſſentialem formam admittunt. Alias quaſdam ſubtiliores*
" *hujus Argumenti ſolutiones prætereo quibus minor probationis*
" *poſſet controverti*, hæc ille pag. 131.

§. 62. Contra hanc reſponſionem regeri poteſt 1mo eam maximæ cautioni ſubjectam eſſe, uſque dum textum citaverit (citare non ommiſſiſſet Vir ingenioſiſſimus ſi potuiſſet) in quo Eccleſia Romano-Catholica Sanctíque Patres nobis ad credendum propoſuerunt, vel minimum ſubſtantiæ panis & vini, taceo partem eorum nobiliorem, formam nimirum ſubſtantialem facta tranſubſtantiatione remanere.

§. 63. *Secundò* cum in Concilio Lateranenſi Cap. *Firmiter* de Summa Trinitate, & in Concilio Tridentino Seſſ. 13. Canon. 2. expreſſe habeatur, *Si quis dixerit in Sacro-Sancto Euchariſtiæ Sacramento remanere ſubſtantiam panis & vini, cum Corpore & Sanguine Chriſti, negaveritque mirabilem illam & ſingularem converſionem totius ſubſtantiæ panis in Corpus, & vini in Sanguinem, manentibus duntaxat ſpeciebus, Anathema ſit.* Quomodo totius panis & vini ſubſtantiæ, remanente eorum forma ſubſtantiali parte nobiliori, converſio, in Corpus & San-

guinem Chriſti, cum præfato textu à Pneumo-Coſmico Orthodoxo combinari poteſt, doceri cupio; & ſi de fide ſit facta tranſubſtantiatione, ſpecies panis & vini *duntaxat* manere, cum particula *duntaxat* omne illud quod rationem ſpeciei vel accidentis non induit, prorſus excludat, neceſſario formam ſubſtantialem panis & vini (ſi quam habeant) æque ac eorum materiam excludit, aliter falſum eſſet dicere, facta tranſubſtantiatione remanere ſolum vel *duntaxat* panis & vini ſpecies.

§. 64. *Tertiò*, Si verum eſſet Archæum ſive formam panis & vini ſubſtantialem una cum ſpeciebus facta conſecratione remanere, neceſſario remanebit quoties fit conſecratio & panis & vinum una cum Corpore Chriſti, conſequenter ex eadem conſecratione reſultabit conſubſtantiatio ſive impanatio Lutherana & non vera totius in totum, tranſubſtantiatio; ad Panis enim & Vini integritatem & in Euchariſtia præſentiam non aliud requiritur juxta Pneumo-Coſmicorum principia, quam forma eorum ſubſtantialis cum ſpeciebus & accidentibus propriis materiam Corporis Chriſti ejuſdem cum materia panit & vini, ſpeciei, informans.

§. 65. Si dicas, deſtructa vel annihilata materia panis & vini, formam eorundem ſubſtantialem licet remanentem & entitative eandem cum forma Chriſti ſenſitiva, deſinere tamen eſſe Panis & Vini formam, cum non amplius ad ejus materiam miraculoſe deſtructam vel tranſubſtantiatam determinetur.

§. 66. Antipneumo-Coſmicus inſtabit hoc minime ſequi, quandoquidem materia Corporis Chriſti eadem ſpecie cum Panis & Vini materia hujus defectum ſupplet, eorumque forma facta conſecratione materiam Corporis Chriſti informans, & ab ejus forma ſubſtantiali ſenſitiva entitative ſecundum ipſos indiſtincta, æque à Panis & Vini diſpoſitionibus, ſpe-

ſpeciebus nimirum in Euchariſtia remanentibus, ad eorum compoſitum, ac ab accidentibus in Corpore Chriſti vi concomitantiæ remanentibus, ad ejus compoſitum, determinatur.

SECTIO II.

In qua ſatisfit Argumentis Pneumo-Coſmicorum.

§. 1.

UT hactenus de Anima Mundi recenſita magis diluciden-tur, adducenda reſtant principaliora magiſque trita tam veterùm quam Recentiorum Pneumo-Coſmicorum Argumenta, quibus Animæ ſuæ Pneumo-Coſmicæ Exiſtentiam & neceſſitatem probare nituntur.

" §. 2. *Primò,* Tritum Pneumo-Coſmicorum Argumentum " eſt ſequens, cum Deus mundum produxerit non niſi opti-" mum, nihilque animato melius, concludunt Deum, Mun-" dum, animatum, produxiſſe.

§. 3. Reſpond: Si hæc concluſio neceſſario vera eſſet, & legitime deducta æque concludere poſſunt Mundum eſſe ſpiritualem virtutis moralis & beatitudinis participem, cum nihil ſpirituali, ſive ſpiritu beato & virtuoſo melius.

" §. 4. *Secundò,* Cùm partes quædam Mundi manifeſtò ani-" matæ, igitur & totum ejuſmodi erit, neque enim pars per-" fectior toto eſt.

§. 5. Retorquetur Argumentum, cùm partes quædam Mundi ſint manifeſtè intelligentes, & diſcurſivæ nimirum homines,

nes, igitur & totum ejuſmodi erit, *hæc ſi placent* (ait Clariſſ. du Hamel) *efficies Mundum & diſertum & Mathematicum, & tibicinem, nam earum quoque artium homines ex Mundo procreantur.*

" §. 6. *Tertiò*, Zeno in Empirico ut ante notatum, ſic ſilo-
" giſat, *quod emittit ſemen ejus quod eſt particeps rationis, eſt*
" *ipſum quoque rationis particeps, mundus autem emittit tale*
" *ſemen, eſt ergo rationis particeps.*

§. 7. Reſpond. Si ratio, proveniſſet à ſemine tanquam cauſa interna & adæquata efficiente, major propoſitio, ſuâ non egiſſet probabilitate, falſa vero, quoniam ratio in homine non à ſemine humano, ſed ab anima rationali corpori organiſato infuſa proveniat, & contra Pneumo-Coſmicos Chriſtianos retorquetur quod emittit ſemen ejus quod eſt particeps virtutis Moralis & vitii, meriti & demeriti, ſalvationis & damnationis, eſt ipſum quoque horum particeps, Mundus autem emittit tale ſemen, in homine, eſt ergo Mundus virtutis moralis &c. particeps.

" §. 8. *Quartò*, Adducunt Recentiores Argumentum Ne-
" gativum à communi principio, *Entia* nimirum *non eſſe ſine*
" *neceſſitate multiplicanda* deſumpto, & dicunt nullam videri
" neceſſitatem multiplicandi formas ſubſtantiales materiales in
" hoc Univerſo, cum omnes effectus qui ſubſtantiis materia-
" libus attribuuntur, procedere poſſint ab una indiviſibili ani-
" ma, adeoque non explicandum eſſe per plura quod per pau-
" ciora explicari poteſt: nullam vero eſſe neceſſitatem, non
" aliter probare tenentur judicio meo ait Hieronymus Hirn-
" haim pag. 131. quam ſolutione objectionum.

§. 9.

§. 9. Reſp. 1mo Subtilis Peripatus, qui mordicus tuetur corpora tam animata diverſæ ſpeciei, quam vitæ expertia, non tantum eſſentialiter ſed etiam ſubſtantialiter inter ſe differre, prorſus implicare, ut corpora ex eadem communi materia conſtantia, ab eadem numero anima indiviſibili, ſubſtantialiter & eſſentialiter inter ſe differant, adeoque contendunt maximam eſſe neceſſitatem multiplicandi ſuas ſubſtantiales formas materiales, quibus unum corpus tam animatum quam vitæ expers, ab alio ſubſtantialiter & eſſentialiter differat, & à quibus omnes effectus qui illis attribuuntur legitime procedant; hinc neceſſario explicandum eſſe per plura, quod æque commode per pauciora nequit explicari, eoque magis quod argumentis contra Animam Mundi propoſitis nunquam (ajunt) huc uſque cum ſufficienti ſolutione & ad captum ſatisfecerint Pneumo-Coſmici.

§. 10. Reſp. 2do Hoc Argumentum nullatenus ferire Recentiores Mechanicos unanimiter aſſerentes nullam dari in rebus inanimatis formam ſubſtantialem materialem, quæ entitas ſit vel ſubſtantia à materia diſtincta, adeoque non aliam eſſe quam complexionem Modorum certam, unum corpus ab alio eſſentialiter, licet non ſubſtantialiter diſtinguentem, nec animam bruti aliam, quam ſubſtantiam actuoſam ſive portionem materiæ cæleſtis ſive Mundi ſubtiliſſimæ ab Authore naturæ characteriſatæ, per certas motus leges determinatæ, ut has & non alias in hoc vel illo corpore organico edant operationes, eaſque diverſas, pro diverſo organorum quæ & ipſæ (Deo ſemper & una concurrente) fabrefaciunt apparatu. vide dicta Cap de forma vegetabilium pag. 30 & 31. & dicenda de Anima Brutorum.

§. 11. Reſp. 3tio Cartheſianus cum Stoicis contra Platonicos tam VV. quam RR. retorquendo Argumentum, omnes effectus qui ipſi Animæ Mundi indiviſibili creatæ attribuun-

buuntur procedere poſſunt ab ipſo Deo intima quæque Univerſi replente, actuante, movente, motumque determinante, adeoque non explicandum eſſe per Animam Mundi nedum per plura quod per pauciora explicari poteſt.

" §. 12. *Quintò* objiciunt Marcus Marci & Hieronymus " Hirnhaim, inter duas ſententias circa Animæ Mundi Exi-" ſtentiam ſibi contrariantes, illa eſt eligenda, quâ admiſsâ " multæ ſolvuntur difficultates, & plurima Naturæ Miracula " facilius atque commodius explicantur, atque ſuppoſitâ " Mundi Animâ, multæ reſecantur atque ſolvuntur difficulta-" tes quæ Philoſophorum communium ſcholas premunt, & " miranda quælibet naturæ opera facilius atque lucidius ex-" plicantur, in quorum explicatione alii fruſtra deſudant, eo-" rumque rationem interrogati, ſæpius hærent *ſicut mus in pi-" ce,* ac tandem frivola quærere coguntur effugia, naturæ ma-" gnalia vel penitus negando vel ſoli Deo aut intelligentiis " attribuendo, ergo ſententia Spiritum Mundi admittens ne-" gativæ præferenda eſt. Major (inquiunt) certa, niſi talis " ſententia ſecum aliquod abſurdum vel inconveniens invol-" vat, atque tale nihil involvi in ſententiâ Spiritum Mundi " admittente, per objectionum ſolutionem putant eſſe & fuiſ-" ſe oſtenſum.

§. 13. Reſp. Mechanici Phiſicam experimentalem præ aliis, extra omne dubium excolentes, qui ſoli leges gravitatis & motus, motuumque determinationes, vim Corporum Elaſticam, quorundam Centripetam, aliorum Centrifugam, & ex his reſultantem quorundam ſymboliſationes & Sympathias, aliorum diſſenſum & diſſymboliſationes, ad captum explicant, præſcindendo ab ulla immaginaria Mundi anima, cujus exiſtentia nec revelatione nec ulla ſolida ratione, nedum ex-

peri-

perientiâ demonſtrabilis, ſolius intellectus luxuriantis luſus & productum videtur, hi inquam reſpondent majorem Argumenti propoſitionem, quam in ipſos adverſarios converſis velut armis haud infundate retorquent, ſe nec vel minimum ferire, quinimo contendunt, Pneumo-Coſmicorum ſententiam longe majoribus premi difficultatibus, & multo majora ſecum trahere abſurda, quam Peripateticorum, nedum ſuam.

§. 14. Quid, quæſo, abſurdius, quàm dicere Mundum, magnum eſſe hominem, animal eſſe rationale, & quaſi omniſcium, nihil in rerum natura (nè materiâ ſolitarie ſumpta exceptâ) vitæ expers, nec Deum de plenitudine ſuæ potentiæ ſubſtantiam vitæ expertem producere poſſe, cum omnia ſimpliciter ſubſiſtentia, primum vitæ gradum habere, magis deſpotice quam philoſophice affirment, aliaque plura contra eorum ſententiam recèns allegata: taceo Pneumo-Coſmicorum inter ſe de Animæ & Spiritus Mundi, quos non pauci (ut dictum) confundunt, diſtinguunt alii, naturâ & Ideâ concertantium, diſſidia, longe majorem (ne dicam Babilonicam) confuſionem, quam doctrinæ Claritatem parere; hinc jure merito ſequelam majorls propoſitionis tanquam rationi minus conſonam rotunde negant.

§. 15. Minorem probare ſibi videtur Hirnhaim inductione variarum difficultatum quibus philoſophi communes (ait) premuntur, circa quotidianam formarum ſubſtantialium in tot generationibus ex gremio materiæ Eductionem, earumque ſpecies, prærogativas, diviſibilitatem, numerum, &c. inter
" alia opponit Vir doctiſſimus, experientiâ compertum, Muſ-
" cas uti & Hyrundines per hyemem abſque vita eſſe, & calore
" denuo tepefactos, animâ velut ab Orco revocata reviviſcere,
" in quibus, animarum pluralitate admiſſa, dicendum, vel Ani-
" mam corruptam reverti, vel aliam de novo gigni.

" §. 16. Si quis (ait) Animam in ijs manſiſſe dicat, nec cor-
" ruptam fuiſſe, ſed ob defectum diſpoſitionum nullas ſenſi-
" biles vitæ operationes elicere potuiſſe.

" §. 17. Regerit Hirnhaim hoc incredibile eſſe, ut Anima
" cæteroquin ſeparabilis, tamdiu penes inimicas diſpoſitiones
" permaneat, exempli gratia in Muſcis diu ſubmerſis, vel hye-
" me tota poſt trabes & tabulata ſine Senſu atque motu hæ-
" rentibus, quæ poſtea leni calore Aeris vel cineris ad vitam
" revocantur, vel in Avicula illa Americana quæ non tantum
" in Silvis ſed etiam in Hypocauſtis, initio hyemis admeante,
" roſtrò in lignum aliquod infixo, ſe ſuſpendit, & ſic ap-
" penſa hæret abſque ſenſu aut motu, donec vernantibus agris
" avulſo roſtro avolet. In ſententia Spiritus Mundi, data re-
" ſponſio melius procedit, Anima namque à ſuo Subjecto
" non eſt ſeparabilis, & quamvis per inimicas diſpoſitiones,
" in operando ad tempus impeditur, nunquam ſubſtantiali-
" ter expugnatur.

§. 18. Proprium ſuum argumentum ſolvit vir inſignis per objectionem ſequentem quam contra ſe proponit cui tamen nec ipſe ſatisfacit.

" §. 19. Poſſet quidem objici, homines in Lucomoriâ Re-
" gione Ruſſiæ habitantes, qui quot annis 27. die Novembris
" more Hyrundinum & Ranarum præ frigoris brumalis ve-
" hementia, motu & ſenſu privari dicuntur, poſtea redeunte
" Vere 24. Aprilis, denuo velut reviviſcere. In quibus Anima
" rationalis cæteroquin ſecundum omnes ſeparabilis, penes
" tam inimicas diſpoſitiones nihilominus permanet, ſicut e-
" tiam in Apoplecticis & Hyſtericis, idem ergo dici poteſt de
" anima quacunque materiali, eſto alioquin à ſubjecto ſuo ſit
" ſeparabilis.

§. 20.

" §. 20. Sed reſponderi poteſt (ait Hirnhaim) in præfatis
" exemplis, inimicas diſpoſitiones non tam longo tempore
" durare, aut ſi durent æque longo tempore ut in hominibus
" Lucomorienſibus, non eſſe ita inimicas, ut omnes omnino
" vitæ functiones aboleant, pro ut abolentur in Muſcis, Ranis,
" & Hyrundinibus.

§. 21. Regeritur, an non pari Authoritate poſſit Peripateticus aſſerere diſpoſitiones in hominibus Lucomorienſibus (ſi vera ſint quæ de illis ſparguntur) tam inimicas & tam longo tempore duraſſe quam in Ranis, Muſcis, vel avicula Americana; adeoque Virum præclariſſimum adverſariis, proprii ſui Argumenti ſolutionem indigitâſſe; & ſi Marco Marci credendum, in ſua Philoſophia Veteri reſtituta mordicus tuenti, Extaſim diuturnam, atque etiam in plures durantem annos, poſſe produci, hinc vitam animalem, ſenſu & motu omni ſenſibili abolitis, tanto tempore ſuperſtitem; quare idem de animabus Muſcæ, Ranæ, vel aviculæ Americanæ non æque dici poteſt, doceri cupio.

§. 22. Confirmatur hæc reſponſio per ſequentem retorſionem, Cùm, juxta Pneumo-Coſmicos, mors & interitus animalis v. g. Muſcæ vel hyrundinis conſiſtat in abolitione & extinctione Archæi ſive Ideæ Animam Mundi ad tale animal limitantis, quâ ſemel abolitâ, idem Animal, teſte Marco Marci in ſua Philoſ. Vet. reſtituta pag. 48. nequit reſtitui, ſi experientia conſtet Muſcas, Hyrundines, & aviculam Americanam, per hyemem abſque vita eſſe & calore denuo tepefactos, animâ velut ab Orco revocatâ reviviſcere; in quibus, admiſsâ Animâ Mundi per Ideam Muſcæ vel hyrundinis limitatâ & determinatâ, dicendum, vel ideam Muſcæ & Hyrundinis per hyemem abolitam reverti, vel aliam ejuſdem ſpeciei de novo evolvi, non primum, cum abolitâ ſemel Ideâ, idem animal

juxta Marcum Marci Naturæ viribus reſtitui nequit, non 2^{dum}, alias, non eadem numero Muſca, vel Hyrundo juxta Hipotheſim reviviſceret, cùm diverſitas animalium tam ſpecifica quàm numerica, juxta Pneumo-Coſmicos à diverſitate ſpecifica vel numerica Archæi, Animam Mundi ad hoc vel illud animal determinantis, unice derivanda.

§. 23. Si dicant Archæum in Muſcis manſiſſe & non abolitum fuiſſe, propriis verbis oppugnantur, *hoc vero eſt incredibile, ut anima cæteroquin ſeparabilis & delebilis tamdiu penes inimicas diſpoſitiones permaneat, exempli gratiâ in Muſcis diu ſubmerſis, vel hyeme tota poſt trabes & tabulata ſine ſenſu & motu hærentibus, quæ poſtea leni calore aeris vel cineris ad vitam revocantur.* Ex hactenus dictis liquet reſponſionem Pneumo-Coſmicorum non firmiori quam Ariſtotelicorum, talo ſtare.

§. 24. Inter plura alia minoris momenti quæ nunc refer-
" re ſupervacaneum, adducunt, Antipathias, Sympathias,
" Magnetiſmos, animarum in brutis generationem, Cælorum
" in ſublunaria influxus, in quorum explicatione Philoſophi
" vulgares prorſus hærentes, ad qualitates occultas recurrunt,
" per Mundi ſpiritum optime intelligi poſſe atque explicari.

§. 25. Reſp. Quandoquidem Animæ & Spiritus Mundi Idea nec ratione nec experientia demonſtrabilis, multo magis quam qualitatum, quæ vulgo occultæ vocantur, notio, occulta ſit; non video quomodo rerum phiſicarum phœnomena felicius per illam, quam, per formas ſubſtantiales Ariſtotelicorum explicantur, ſi vero per Spiritum Mundi, Pneumo-Coſmici, Materiam cæleſtem diviſibilem ſumme activam cætera Mundi aſpectibilis reſpective inertia, Deo concurrente, actuantem & permeantem, intellexiſſent, eorum Hipotheſis

cum

cum Doctrina Moſaica Univerſam Naturam in Magnetiſmi ſpecie poſitam contemplante, de qua Cap. VII. ſufficienter actum, coincidens, minime rejicienda; Philoſophiæ enim Moſaicæ Cultores nullatenus cum Marco Marci & ſequacibus prætendunt principium Univerſi activum ſapiens quoddam eſſe phantaſma indiviſibile ſimul & materiale, nedum ſpirituale, quod perplurima ſecum trahit abſurda.

" §. 26. Ultimatim opponit Hieronymus Hirnhaim, cum " homo paſſim à Philoſophis vocetur Microcoſmus ſeu par-" vus Mundus, infert, *ſi homo eſt parvus Mundus*, *Macrocoſ-" mus erit magnus homo* & concludit, ſicut in homine datur " anima quæ omnes ipſius partes informat, ſic etiam aliqua " Mundo Condito tribuenda eſt anima, quâ omnes Univerſi " partes animentur ſibique cohæreant, conſtituendo unum " ens per ſe.

§. 27. Facile retorquetur, ipſius, Argumenti concluſio, ergo ſicut in homine *Microcoſmo* duplex datur ſecundum Pneumo-Coſmicos anima, una ſenſitiva ſive hominis Archæus, alia rationalis & intellectualis, ita *Macrocoſmo* tanquam magno homini duplex tribuenda eſt anima, ſenſitiva una, intellectualis altera, adeoque Mundus Pneumo-Coſmicorum Animalis & ſeminalis erit etiam intellectualis, ſecus ac ipſi opinantur.

§. 28. Ideo homo Microcoſmus à Philoſophis audit, quia ſolus inter omnes Creaturas de utraque natura corporea nimirum & ſpirituali participat, hinc ſolus utriuſque Epitome jure merito dicendus.

SEC-

SECTIO III.

In qua Argumenta Pneumo-Coſmici Anonimi examinantur.

§. 1.

Mihi dum hæc ſcripſerim, ad manus venit opuſculum cui titulus *vitæ Animalis Morbus & Medicina &c.* Lugduni Batavorum Anno 1711. impreſſum, Authoris Anonimi è Pneumo-Coſmicorum Secta in re Medica non vulgariter verſati, ſub ficto nomine Chriſtiani Democriti M. D. qui in ſuæ diſquiſitionis Phiſico-Medicæ Cap. I. non ſolum Mechanicos Hipotheſiſtas, verum etiam cordatiores ab Hipotheſibus, præſertim Pneumo-Coſmica, præſcindentes, ſine ullo diſcrimine magis Satyricè (pace doctiſſimi Viri) quam ſcientificè convellit, minime (pro ut opinari licet) reflectens, tela ipſius contra Mechaniſmum & Spinoſiſmum jacta, etſi Cartheſianos & Atomiſtas veteres nec non & Spinoſiſtas plauſibiliter feriant, æque, imo multo magis pro Naturæ Archetypæ (licet præter ipſius intentionem,) quam Animæ Mundi phantaſticæ, providentia & exiſtentia militare, quæ, Philoſophus cordatus converſis velut armis, in ipſum Authorem retorquere poteſt, ob temporis & pagellarum Anguſtias, omnia quæ Doctiſſimus Vir, quem non pauci famoſum Dipellium eſſe opinantur, contra Mechaniſmum & Spinoſiſmum aſſeruit, recenſere nec vacat nec opus, contentus, præcipuum ipſius argumentum pro animæ, Univerſi, ſpiritualis, exiſtentiâ proponere cui tanquam baſi, alia ab eodem in ſerie ſuæ diſquiſitionis aſſerta, inniti videntur, eſtque ni fallor ſequens.

§. 2.

" §. 2. Pagina 15. ſuæ diſquiſitionis ait: *quærimus nimi-*
" *rum quonam pacto cohæreant ſibi ſeu compingantur corpora,*
" poſtquam contra Cartheſianos eadem pagina objicit, quod
", cohæſio particularum corporis ſolidi & tenacis verbi gratia
" Auri, non ab impulſu aeris aliusve corporis prementis, cauſe-
" tur, cùm per antliam exantlato, vel per ignem rarefacto
" aeris onere (ſi quod ſit), corpus nihilominus ſibi cohæret
" & ſoliditatem retinet; nec à particularum hamatarum ſtru-
" ctura contra Atomiſtas, cum non (ſaltem ad ipſius captum)
" explicant, quî hami & rami ut officium ſuum præſtent, ne-
" ceſſario ſolidi & tenaces in ſe ipſis combinentur vel hami
" fiant, ſi novis dicant hamis & ramis, & hi alios præſupo-
" nant, vel in infinitum procedent, vel in Epicurii & Lucre-
" tii Atomis inſectilibus ſiſtent, quæ (ait) cum careant di-
" menſione (hic falſum ſupponit) ſibi cohærere nequeunt.
" pagina ſequenti ſubjungit, fateantur proinde ſe neſcire
" modum cohærentiæ corporum, aut ad ignorantiæ aſy-
" lum cum Ariſtotele nimis male habito, confugientes, di-
" cant cohærere vel qualitate occultâ, vel forma ſubſtantiali,
" vel ſi malunt nobiſcum dicant, *conſiſtere & cohærere actu vi-*
" *tali & immobili cujuſdam Spiritus, à particulis independentis,*
" *ac particulas intra ſphæram activitatis ſuæ continentis ac co-*
" *arctantis, quo non ſuppoſito, nulla affectio corporis ad legum*
" *Motus Mathematici Amuſſim quadrabit.*

§. 3. Præterquam quod non invicte demonſtrat quæ con-
tra præfatos Hipotheſiitas proponit, vide dicta Cap. VI. Sect.
7. pag. 146. hujus diſſertationis §. 5. & 6. Numquid Na-
turæ Archetypæ & una vis internæ Motricis corporum vin-
dex, æque, imo cum meliori fundamento dicere poteſt, ſi ſapi-
ant Pneumo-Coſmici, nobiſcum dicant conſiſtere & cohærere
corpora actu primo & immobili Spiritus Divini à nulla re-

creata, nedum à particulis, multoque minus ab Anima Mundi dependentis, & omnia *numero, pondere, & menſura*, facientis, ac particulas intra ſphæram activitatis propriæ coarctantis.

§. 4. Pagina 17. dicit præfatus Author Anonimus, ne-
„ ſcientes hinc, ipſius corporis Naturam & conſiſtentiam ſine
„ præſupoſito ſubſtantiæ immaterialis concurſu explicare, vi-
„ tio nobis non vertant, ſi ſtatuamus, quodlibet extenſorum,
„ fixas in Mundo ſpirituali & incorruptibili eſſentiæ habere
„ radices, ſeu indiſſolubili nexu cohærere cum ſpiritu quodam
„ modificante, omnium diverſarum qualitatum corporis Au-
„ thore, imo ipſius corporis compactore.

§. 5. Quaſi vero Mechanicus retorquendo non multo melius concludet, neminem ſcire naturam & conſiſtentiam corporis ſine præſupoſito ſubſtantiæ immaterialis & quidem Omnipotentis concurſu explicare, nec ipſi vitio vertat Pneumo-Coſmicus, ſi ſtatuat quodlibet extenſorum, imo totam naturam Ectypam, fixas in Natura Archetypa ſpirituali Æterna & Immenſa, Eſſentiæ ſuæ habere radices, ſeu indiſſolubili nexu cohærere cum ſpiritu Divino, & minime cum ſpiritu phantaſtico quodam intermedio, nec ratione nec revelatione demonſtrabili, modificante, omnium diverſarum qualitatum corporum tam à Natura activorum quam inertium Authore & compactore ſupremo, in ipſo enim, per ipſum, & cum ipſo, *vivimus, movemur, & ſumus.*

§. 6. Nec videt vindex Activitatis corporum quare Materia Mundi ſubtiliſſima vi interna Motrice prædita & intra ſphæram ſuæ activitatis agens, non æque, imo multo melius poſſit ad corporum Univerſi cohæſionem, compactionem, & unionem contribuere, quam ſpiritus (neſcio quis) intermedius, nullibi, extra Pneumo-Coſmici intellectum, exiſtens.

§. 7

§. 7. Ad Incolas Mundi ſui Pneumo-Coſmici deſcendens, poſtquam varia eaque trita Pneumo-Coſmicorum & Traducianorum Argumenta allegaverit, quibus brutorum, vegetabilium, & mineralium Animas ſpirituales eſſe, vitaque incorruptibili frui, plauſibiliter evincere ſibi videtur, Creatianis " attonitis(ait) & anxiis haud inique tamen (meo videri) " quærentibus, quorſum locandæ veniant tot animantium bru- " torum defunctorum, Animarum incorruptibilium turmæ, in " ſtatu ſeparationis, & quid illis in futurum expectandum? " in pag. 15. fine, elabendo & indirectè reſpondet, *ſed ſolliciti prius de propriæ vitæ ſtatu ac loco, ac operum Divinorum non iniqui æſtimatores, optimo ac ſapientiſſimo Conditori relinquant, quid circa Animas in ſe incorruptibiles deſtinaverit, potenti ſatis, easdem vel in ea principia reducere ex quibus per actum creationis prodierunt.* Quodnam vel quale ſit hoc principium à nihilo diſtinctum, ex quo per actum creationis utpote ſecundùm omnes productionis rei ex nihilo, vel, ùt aliis placet, ſecundùm totam entis rationem, Animæ brutorum in principio ſecundùm ipſum creatæ prodiërunt, minime ex-explicans, vel inconſideratè vel minùs cordatè reticet, *vel*, (continuat,) *in ſtatum vindicare meliorem eo tempore, quo omnis Creatura jam coacta ſub jugum vanitatis & maledictionis, ac, Scriptura aſſerente, erecto collo anhelans reſtitutionem hominis perverſi à maledictione, & hominis Creatorem lædentis tyrannico imperio liberata, triumphabit, ac unanimi ore laudes Creatoris enarrabit.*

§. 8. En Authorem vacillantem, neſciumque ad quid in propoſito caſu collimandum, hujus 2^di aſſerti finis & conſectarium videtur, brutorum Animas immortales in ſtatu ſeparationis æquè ac juſtorum Animas rationales, ad Divini Numinis viſionem beatificam & comprehenſionem ſuo tempore ab Anonimo belluarum patrono, cùm non à Deo, deſtinari.

§. 9. Pro majori hactenus dictorum confirmatione pag. 28. ſuæ diſquiſitionis Phiſico-Medicæ in hæc verba Animarum viventium originem concernentia, irrumpit, *ad captum ergo redeuntes dicimus, Animas quarumvis rerum viventium ab initio à Deo ter optimo creatarum, per generationem ſeu conceſſam à Creatore vim multiplicativam primevæ creationis æmulam, ultra tamen propriæ ſpeciei imaginem non tranſilientem, propagari, nec in principio omnes ſimul creatas eſſe, nec de novo creari.*

§. 10. Regeritur *primò*, hoc ipſius Aſſertum in Anima Mundi univerſali, vel, ut ipſius verba pag. 38. fideliter citem, totius Terræ Globi, minimè locum habet, prout Sect. 1. hujus Cap. §. 58. notatum, nec Mundus enim univerſus, nec Globus terraqueus alium Mundum vel Globum, aliasve Animas ſuis quad ſpeciem ſimiles propagare, nedum creare poſſunt, nemoque (quod ſcio) Pneumo-Coſmicorum Gentilium multominùs Chriſti Nomen profitentium tam perfrictæ frontis extat vel extitit, qui tam ridiculum aſſertum literato Orbi proponere, nedum tueri audet vel auſus eſt, adeoque facilè credo doctiſſimum Authorem Anonimum, vel hujus non meminiſſe, vel tacitè Animam Mundi excluſiſſe, cùm dixit Animas *quarum vis rerum viventium ab initio creatarum* per propagationem, propriæ ſpeciei imaginem non tranſilientem, generari & multiplicari. Enimverò, *ſtultæ mentis erat, tam fictam condere mentem.*

§. 11. *Secundò* cùm nemine fidelium contradicente, Natura Divina, Spiritus perfectiſſimus, *Sol intelligibilis, mentium Lumen & Pater Luminum* omnipotens, aliam naturam ſibi quoad ſpeciem & perfectionem æqualem, ſimilemve, & à ſe realiter diſtinctam, ob ſummam in re implicantiam producere nequeat, generatio enim Verbi Divini, & ſpiratio Spiritûs Sancti, opus Divinum *ad intra*, minimè niſi impiè Naturæ Divinæ

ſicut,

ſicut Perſonarum, multiplicitatem, arguunt; nec Naturæ Angelicæ poteſtas & activitas ſe in tantum extendit vel extendere poteſt, ut alium Angelum ſibi quoad ſpeciem vel imaginem, ſimilem, quocunque productionis actu excogitabili producere queat, nulla enim ejusmodi activitatis *ad extra* exempla in Sacra Scriptura extant; multominùs Animæ rationali, nedum Animabus brutorum, (in Hipotheſi immaterialitatis & indiviſibilitatis) utpote Spiritibus longè inferioris ordinis competere poteſt vis ſui quoad ſpeciem multiplicativa, hâc enim ipſis conceſsâ, Angelos Spiritus creatos perfectiſſimos, perfectionis gradu ſuperarent tam Animæ rationales, & brutorum, quàm vegetabilium, mineralium, aliorumque pneumo-coſmicè viventium, imperfectiſſimi.

§. 12. *Tertiò* pro ulteriori hujus Aſſerti confirmatione & Doctrinæ claritate à Chriſtiano Democrito ſcire velim, an Animæ viventium particulares ſecundùm ipſum ſint entitates reales, & abſolutæ, ab Anima Mundi *realiter* diſtinctæ & ſeparatæ (de Animæ rationalis, ab eadem, aliisque viventium Animabus diſtinctione reali, nullum apud ipſum eſt dubium) an ſolummodò *idealiter*.

§. 13. Si realiter inter ſe diſtinguantur, exinde ſolidè inferendum ſecundùm ſanæ Philoſophiæ principia, prorſus implicare productionem ſubſtantiæ ſpiritualis ejusmodi inextenſæ & indiviſibilis per traducem, Anima enim gignentis bruti vel hominis (in præſenti caſu pari paſſu ambulant) in ſui ſimilis quoad ſpeciem productione vel *ſe totam*, vel *aliquid* ſuæ entitatis vel prorſus *nihil* materiæ ſubſtratæ, in qua fit Animæ ſpiritualis producendæ propagatio, communicat; ſi *ſe totam*, neceſſario eadem numero Anima in bruto genitore, & genito, nec minùs in Protoparente noſtro & Poſteris replicatur & non ſubſtantialiter multiplicatur, in uno homine damnatur, in alio beatur, quàm ſit hoc inevitabile conſecta-

rium ridiculum, nè dicam brutum, rectæque rationi & Religioni contrarium judicet, religioſus Arcadiæ Pecuarii fautor, judicent Traduciani admittentes, Animas ſaltèm rationales gignentis & geniti, ſubſtantias eſſe inter ſe realiter & numero diſtinctas, Entia enim nec *multiplicanda*, nec *replicanda* ſinè neceſſitate vel miraculo. Si *aliquid ſuæ entitatis* communicant, Animæ traducentis verè & realiter indiviſibilis, diviſibilitatem, invitus & inevitabiliter concedet Traducianus Anonimus, ſi denique Anima traducens *nihil prorſus ſui* in ſui ſimilis traductione communicet, evidens eſt Animam traductam, ſeu potius quæ traduci falſo ſupponitur, verè ex nihilo ſecundùm *totam Entis rationem* produci, verbo *creari*, nec plus prætendunt Creatiani Orthodoxi, verum mordicus contendunt, creationem Animæ rationalis, vel brutorum in Hypotheſi immaterialitatis, ſicut *Cœli & Terræ* primordialium, *ſoli Deo Creatori* & non creaturæ, minime *Creatrici* competere; ſeque Theologis hodiedum unanimiter affirmantibus Deum creando Animam *infundere* & infundendo *creare* omnimodè conformant, nec ſatis mirantur Theologorum & Philoſophorum modernorum non pauci, hanc vel ſimilem rationem in mentem Magni Auguſtini non veniſſe, qui magnus Platonicorum Fautor, & penes humilis etſi Doctorum, Doctor, ſe neſciviſſe, an Anima rationalis per Creationem, an per traducem producatur, ingenuè faſſus eſt. Quandoque *bonus dormitat Homerus*.

§. 14. Si Author Anonimus dicat Animas brutorum ab Anima Mundi ſolummodo *idealiter* diſtingui, coincidit cum communi Pneumo-Coſmicorum aſſerentium Archæos ſive Animas brutorum aliorumque viventium, (ſi hominem excipias) non alias eſſe, quàm Animam Mundi ab hac vel illa Idea ſive Idearum ſerie limitatam determinatamque, ad hanc vel illam & non aliam, in hac vel illa ſpecie, producendam, de his

his plura ſequenti Capite, verùm Animæ Mundi in Archæos diſtributio minime niſi abuſive animarum propagatio per traducem dicenda, in illa, enim nulla novæ Entitatis realiter, ſolummodo idealiter, diſtinctæ, ſicut in hac fieri ſupponitur, fit productio.

§. 15. *Quartò*, admiſſa Animæ rationalis per traducem productione, neceſſario ſequitur, quoties fit ejaculatio ſpermatis virilis laudabilis & maturi, vel intra vas debitum vel extra, per fædam & libidinoſam pollutionem, toties animam rationalem una ejaculari & per traducem in auras prodire, quàm hoc ſit impium, abſurdum, & belluinum, judicet ſemoto præjudicio *Chriſtianus* Animarum Traductor; nec mihi ullive de *propria* ſaltem *vita ſtatu & loco*, ſollicito, vitio vertat ſi *anxii & attoniti* quæramus, quorſum locandæ veniant tot Animarum rationalium 'ad *Lumen Gloriæ* æque ac aliæ rationales Animæ à *Patre luminum* ejusque Filio unigenito, pro omnibus paſſo, deſtinatarum, per traducem inaniter prodeuntium turmæ? in ſacro enim Codice nec vel minima Animarum rationalium materiam debitam ſubſtratam non ſubintrantium, mentio, facta

§. 16. Sæpius memoratus Chriſtianus Democritus pag. 28. in fine, ſequentes reddit ſui Aſſerti rationes, iis (ait) quibus adhuc aliquis Religionis reſpectus eſt, non contemnendas, nec rationi ſanæ facile diſplodendas, *apparet nimirum tam in brutorum quàm hominum generatione characterem, tam ſpiritualem, indolis perverſæ & bonæ, quàm mechanicum corporis, à parentibus plerumque tranſire in natos, cui, reſpectu hominis, ſi Anima & Spiritus ab initio vel de novo creatus, ſubjiceretur, vitioſæ diſpoſitionis adhuc vacuus, Immeritas profectò pænas lueret, cùm è contrario peccata parentum in liberis, quos ex ſe genitos proculdubio ſpiritualiter infecerunt, à Deo juſto punienda, ſacer Codex pronuntiet.* Quibus verbis innuere

 vult

vult; ſi ſe clarius expectorare vellet, Animas rationales, ſi ab initio vel de novo creari dicantur, peccati originalis labe haud inquinari, hinc & immeritas, pro peccato ab iisdem non contracto, luere pœnas.

§. 17. Antequam huic tritæ Traducianorum difficultati, quam Acchilleam putant, ſatisfaciam, haud inconſultum puto, S. Auguſtini verba, quæ & reſponſionis ſaltem indirectæ loco ſunt, citare, in Epiſtola 29. de Traductione peccati Originalis ad S. Hieronymum ita ſcribit, *Eleganter dictum eſſe narratur, quod huic rei aptè convenit. Cùm quidam ruiſſet in puteum ubi aqua erat tanta, ut eum magis exciperet, ne moreretur, quam ſuffocaret ne loqueretur, acceſſit alius & eo ipſo admirans ait: quomodo huc cecidiſti? at ille, obſecro, inquit, cogita, quomodo hinc me liberes, non quomodo huc ceciderim, quaras. Ita quoniam fatemur, & de Fide Catholica tenemus de reatu peccati tanquam de puteo, etiam parvuli infantis Animam, Chriſti gratia liberandam, ſatis eſt ei, quòd modum, quo ſalva fiat, novimus, etiamſi nunquam quomodo in malum illud devenerit, noverimus.*

§. 18. Pro majori dicendorum dilucidatione ſequentia præmitto, & quidem primò in hominis generatione, ſi non utrumque Parentem (quod mihi vero ſimilius) ſaltem marem activè concurrentem aliquid ſui actuoſum, prolificum, materiale, adeoque minime ſpirituale, ob rationes prægnantes, à Chriſtiano Democrito ſaltem, haud facile diſplodendas recéns allegatas, communicare; quod à *Natura Archetypa* vi motrice & plaſtica imbutum, ex & in materia in fæcundo congreſſu exhibitâ, & vitâ matris uſque ad conceptionem; vivente, etiam characteriſatâ, ſuum proprium domicilium corpus nimirum organicum vivum, Parentis per omnia quoad ſpeciem ſimile efformat, delineátque, unde ob ſummam ſuam ſubtilitatem *Spiritus plaſticus, genitalis*, imò *principium vitale* à cor-

datio-

datioribus audit, & à non paucis, Animæ hominis ſenſitivæ, rationali ſubordinatæ, nomine ſuperbit.

§. 19. *Secundò*, ab hujus intima cum Anima rationali infuſa, præſentiâ, &, in corpore organico cujus & ipſa delibatiſſima portio & complementum maximè actuoſum, unione, reſultat *Lex* in membris *Legi* mentis contradicens, cujus meminit Apoſtolus; reſultat à lapſu Protoparentis & carnis concupiſcentia, quæ exorbitans multorum peccatorum fœda & fæcunda mater.

§. 20. Hiſce prænotatis ut ad cæptum redeam, cum Eccleſia Catholica & Theologis Orthodoxis, hodiedum ſingulas Animas rationales indies creari & corporibus recèns genitis infundi unanimiter aſſerentibus, dico, Animam filii Adæ, in corpore orgauico vivo à Protoparente per traducem propagato, cui in ipſo creationis & infuſionis actu intimè præſens, arctiſſimè unita fuit, tanquam in vitiato vaſe maculari. Haud aliter quàm flos (Theologorum quorundam exemplum cito) ſi in loco fætido ſeratur, quantumvis naturâ ſuâ pulcher & elegans, vitium quoddam & labem inde contrahit, & quod magis ad rem, ſicut Anima ſi corpori vulnerato vel flammis circumdato & ardenti, ſubito conjungeretur, ob arctiſſimum unionis vinculum, mutuúmque animæ & corporis commercium, mox doleret; ita cùm infuſa fuit Anima corpori vivo & organico filii Adæ, in quo, carnis à carne Adamitica traductæ & infectæ, adeſt concupiſcentia hæreditario jure contracta, primum peccati germen, quia ab Adamo propagatum fuit, & filii caro ſit pars hominis ab Adamo progeniti, in quo ut in capite, ut in radice, ut in fonte, vitiata natura eſt, Anima inquam filii à ſua comparte, peccati labe, vi arctiſſimæ unionis, mutuíque & neceſſarii commercii inficitur. Adæ enim poſteri, ùt ait S. Auguſtinus Sermone 36. de verbis Apoſtoli, *in ramo adhuc nihil commiſerunt, ſed in radi-*

ce

ce perierunt , - - - nihil mali habent , niſi quod de fonte traxerunt.

§. 21. Anima (repeto) filii *in natura ſua* inſons, vi unionis cum carne rebelli Adamitica maculatur, inficitur, eidem immerſa, rationis & voluntatis uſu pro tempore iſto orbata, voluptate corporis aut dolore affecta, tota quanta uſque ad rationis uſum mancipatur, quæ paulatim inſtar Auroræ in pueritia & adoleſcentia, à tot ac tantis emergit tenebris, ſuúmque in corpus dominatum vindicat.

§. 22. Concupiſcentia carnis quæ licet in regeneratis, niſi exorbitans, & prædominans, non deputatur in peccatum, tamen naturæ non accidit niſi à peccato, hoc confirmat S. Auguſtinus lib. 1mo de Nuptiis & Concupiſcentia, aſſerens *Concupiſcentia filia peccati Adamitici*, ejúsque haud dubiè meminit Apoſtolus Rom. 7. exclamans, *video aliam legem in membris meis*, quæ *legi mentis* contradicens, nos, niſi fiat heroica reſiſtentia, in *lege* peccati captivat.

§. 23. Si Concupiſcentia nihil aliud quam vehemens actio ac impetus corporis vivi ſive *partis inferioris* in *ſuperiorem*, Animam nimirum rationalem, ut rebus ſolummodo ſenſibilibus adhæreamus, cum concupiſcentia haud dubiè naſcimur; & ſi peccatum originale ſit Regnum ſeu prædominium concupiſcentiæ, ſive conatus rebelles & impetuoſi menti & cordi infantis nondum rationis uſûs compotis tyrannicè dominantes, certè cum peccato Originali naſcimur, eodémque inquinamur, uſqne dum Baptiſmi lavacro regeneremur; regeneratione facta, concupiſcentia effræna, uſque ad rationis uſum in infantibus minimè, in adultis verò teterrimum rationis & liberi arbitrii abuſum inducens, maximè peccaminoſa, eaque in Protoparente inobediente, Reginæ Menti è ſolio ſuo dejectæ, prædominans, prima traductionis hujuſce peccati in filio & poſteris cauſa, quod innaſcentibus

bus ante regenerationem Originale eſt, in Protoparente verò actuale & perſonale.

§. 24 Hactenus dicta confirmat Magnus Auguſtinus Epiſtola 105. *Quaſi verò in Baptiſmo concupiſcentiæ carnis infirmitas continuò ſanetur, ſicut continuò reatus ejus aboletur: Sed gratia renaſcendi, non conditione naſcendi. Unde quisquis per hanc concupiſcentiam de renato naſcitur, ſinè dubitatione oberit nato, niſi & ipſe ſimiliter renaſcatur.* Et lib. 5. contra Julianum cap. 18. *Qualitas* inquit *affectionalis mali de ſubſtantia in ſubſtantiam non emigrando tranſit, ſed quodam operante contagio id eſt concupiſcentiæ affectu, ſicut de Parentibus morbidis morbida ſoboles procreatur.*

§. 25. Pro Coronide ex hactenus allegatis infero, ſi concupiſcentia carnis Adamiticæ effræna & rebellis Animam ipſius ſpiritualem, fatentibus Traducianis, verè creatam, ità affecit, infecit, maculávitque, ut juſtitiam & innocentiam originalem, donumque immortalitatis in maximum ſui & poſterorum, per conſequentiam, damnum, amiſerit, & peccati *actualis, perſonalisque* labe inuſtus fuérit, nemo abnegare poteſt carnem vivam à carne Adamitica per traducem prodeuntem hinc concupiſcentiæ contagio & regno infectam, æque Animam ſibi infuſam, ac ſi propagata fuiſſet, *peccati originalis* nequaquam verò *actualis* contagio & labe inquinaſſe & inquinare poſſe. Adeóque characterem indolis perverſæ & bonæ, *temperamenti* corporis organici, *morum*, prout optimè notavit Galenus & ante ipſum Hyppocrates, *fundamenti*, effectûs, Minimè, prout ſupponit Author Anonimus, ſpiritualis, à Parentibus plerumque in natos tranſeuntem, nequaquam *immediatè* derivandam ab Anima Genitoris Traducente, utpote incapaci, aliam ſibi ſimilem quoad ſpeciem cui non unitur, quamque producere nequit, afficere, bene verò à corporis Adamiticæ rebellis concupiſcentiâ, cujus au-

ra ſeminalis per traducem in filio implantatur, & cum ejus animâ infuſa arctiſſimè & intimè unitur.

§. 26. Immediatè inquam, quoniam nullibi, quod ſcio, legitur, niſi forte in monumentis Pneumocoſmicorum ſpiritum inextenſum & indiviſibilem (nè malo Angelo excepto) Animam rationalem, aliumve ſpiritum quemcunque niſi corpori arctiſſimè unitum, infeciſſe, quod manifeſtè probat labem Animæ à carnis, cui unitur concupiſcentiâ effræna, cui non ſemper heroicè reſiſtere poteſt, immediatè provenire.

§. 27. Haud inficiandum Angelum malum nobis, ſemper tamen intermedio corpore, inſidiantem, hominemque perverſum & malevolum, alium ipſi auſcultantem precibus, conſilio, aut imperio, non raro, ut malum ſub ſpecie apparenter boni, perpetret, ſeducere; hoc corroborat Ævæ ab Angelo malo ſub ſpecie ſerpentis ſeductio & deceptio; verùm nemo non videt impreſſionem ab alterutro factam, prius in corpore ſeu carne auſcultantis, quàm in Anima fieri, quam, mediante carne ſentiens & percipiens Anima, propriæ carnis concupiſcentiâ obnubilata, quaſi lethargica, paſſionibus nimis indulgens ſe ſeduci permittit; ſentit *legem* in membris, *legi* mentis fortiter reluctantem, imò ſæpiùs prædominantem.

§. 28. Si, hiſce præmiſſis, dicat Author Anonimus, durum ut Anima creata vitioſæ diſpoſitionis vacua, immeritas lueret pænas &c. retorqueri poteſt in ipſum, æquè durum ut Anima, ab anima per Baptiſmi, peccati originalis labem delentis lavacrum renatâ, per traducem prodiens, vitioſam habeat diſpoſitionem, utpote præviè in traducente deletam, hinc & hujus vacua *immeritas lueret pœnas*. Replicabit fortè, facta regeneratione *reatus peccati* tollitur, mala verò diſpoſitio in nato nondum renato remanet, Dicet & Creatianus etſi reatus peccati in renato tollitur, concupiſcentia carnis renati, tanquam primum peccati germen, in ipſius filio nondum renato

nato remanet, Animam ipſi unitam vi arctiſſimæ unionis, & conſequentiæ peccati Protoparentis, maculans.

§. 29. Traduciani communiter objiciunt Animas de novo nullatenus creari, cùm Deus Geneſ. 2. *requievit ab omni opere quod patraret*, conſequenter à creatione humanarum mentium.

§. 30. Ex hoc textu non aliud inferendum, quàm Deum poſt creationem Univerſi, & Hominis, ab omni nova novæ ſpeciei creatione quieviſſe, ſaltèm novæ ſpeciei creatio nobis nec ratione nec revelatione innoteſcit, exinde minime inferendum, Animas rationales indies non creari, Verbum enim Carofactum Joannis 5. dicit: *Pater meus uſque modò operatur & ego operor*. Plura expreſſe de Anima Brutorum Cap. ultimo.

CAPUT XII.

De Ideis ſeminalibus.

SECTIO I.

De Ideis in genere.

§. 1.

CUm Æquivoca prius ſint diſtinguenda, teſte Ariſtotele, quàm definienda, noménque Ideæ valde ſit ambiguum, latéque patens, ad præcavendam, omnem in Idearum ſeminalium noſtri præſentis ſcopi examine, Amphibologiam, notandum breviter Ideam quandoque à Metaphyſicis ſumi pro cogitatione, perceptione, cognitione, ſive objecti cogniti in mente repræſentatione, quam limitat & determinat certa quædam rei cognitæ forma, icon, facies, ima-

mago, ſive ſimulacrum, quod in Scholis communiter ſpecies mentis expreſſa, ſecundùm alios, notio, conceptus, vel Idea audit, & vel ipſe eſt actus intellectus, ùt nonnullis placet, vel ejudem effectus & indivulſa comes.

§. 2. Hæc in hominibus vel *phantaſtica* dicitur quoties Anima intelligens ad phantaſmata materialia ſive rerum externarum ùt circuli, trianguli, quadrati, colorati, imagines ſeu veſtigia, prout per ſenſus externos cerebro imprimuntur, contemplanda ſe convertit, unde vetus Scholarum opinantium mentem humanam cudere ſibi & formare ſpecies ſpirituales ad eorum ſimilitudinem, dicterium, poſt Ariſtotelem, *opportet intelligentem ſpeculari phantaſmata*; vel *intellectualis*, quæ licet in nobis occaſione phantaſticæ cujusdam ſpeciei oriatur, objectum non ità exprimit prout ejus imago ſeu ſimulacrum per ſenſus exprimitur, ut cùm intellectus noſter judicat, baculum in aquam poſitum perpendiculariter, eſſe rectum, qui per viſum repræſentatur, ob radiorum viſualium per diverſa media refractionem curvus, fractusve, vel Antipodes non prono, prout imaginationi repræſentantur, ſed erecto capite incedere.

§. 3. Notandum 2do. Ideam ſtrictiùs ſumi pro formula, quam Artifex, cum aliquid efficiat, intuetur, imitaturque, hinc cùm rationem cauſæ idealis vel exemplaris induat, haud infundatè à quibusdam *typus rei faciendæ* deſcribitur, vel ſecùndum Scholas poſt magnum Aquinatem, *forma quam effectus imitatur* (intelligendum ad cujus ſimilitudinem effectus utpote paſſivè ſehabens, fit) *ex intentione agentis, determinantis ſibi finem.*

§. 4. Juxta hanc deſcriptionem, Agentia naturalia cognitionis, hinc & intentionis, expertia impropriè dicuntur idealiter ſtrictè vel exemplariter agere, imò ſi effectus operantis licèt cognoſcitivi, alteri *præter intentionem* aſſimiletur, illud cui

cui aſſimilatur non niſi impropriè & abuſivè cauſa exemplaris dicenda.

§. 5. Idea pro rei faciendæ formula ſeu exemplari ſumpta, alia eſt *externa* ſeu extra mentem Artificis, ad ejus ſimilitudinem, operantis, v. g. pictoris vel ſculptoris, vultum Cæſaris penicillo vel ſculpturâ exprimentis, aut Architecti Eccleſiam juxta formulam in minuto expreſſam ædificantis, alia *interna* ſeu intra mentem Artificis v. g. Pictoris, ad quam ipſe, ſe convertendo, in ſuo opere conficiendo, dirrigitur; harum Idearum alterutra quæ primitiva eſt, juxta quam aliæ efformantur, Idea *Archetypa* ſeu originalis intitulatur, quæ verò juxta Archetypam regulatur, *Ectypa*, quaſi Copia, audit.

§. 6. Ejusmodi Ideas archetypas ſive Exemplaria Deo ſemper præſentia & coæva, ad quæ aſpiciens, ea, quæ in rerum Natura molitur in mente Divina exiſtere, plerique ſaniores Theologi & Philoſophi tam veteres, quam recentiores, poſt S. Auguſtinum, D. Thomam, & alios, quaſi uno ore affirmant, quibus alludens Boetius cecinit,

- - - - - tu cuncta ſuperno
Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipſe!
Mundum mente gerens, ſimilique ab Imagine formas.

§. 7. Nec aliud per Ideam Divinam intelligunt, quam ejus Naturam infinitam ut hac aut illa ratione participabilem, cùm enim *Eſſentia Dei ſit infinita* (Clariſſ. Du Hamel verba ſunt) *eáque ſimplex, participari à creaturis non poſſet, niſi Divina Sapientia definiret modum, ordinem, & numerum, quo, res quæque DEI Eſſentiam ùt Imago quædam adumbraret.*

§. 8. Quamvìs, juxta illud Philoſophorum *finiti ad infinitum nulla proportio*, ſimilitudo Deum inter & Creaturam, ſi perfectionis in utroque gradus æſtimetur, haud dubiè minima eſt, maxima verò futura, ſi res creatæ ſpectentur ùt formæ quædam Ectypæ, & Idearum Dei archetyparum imitamina.

§. 9. Hujus Aſſerti duplex nobis dat prælaudatus Author Paradigma, primum in literarum ductibus ſeu characteribus, quos manus exarat, nullam habentibus ſimilitudinem cum rationibus, quas mente concipimus, ſi tantummodo atramenti guttularum certo quodam modo effuſarum fiat inſpectio, ſi verò velut ſigna & notæ conſiderentur, vix major poteſt eſſe ſimilitudo, 2dnm in Cæſaris v. g. imagine, cum eo comparata, equus (ait) longè proprius ad Cæſarem accedit, ſi rerum gradus & utriusque naturæ conditionem ſpectes, ubi verò ratio imitationis habetur, imago in tabula depicta, Cæſarem multò meliùs exprimit.

§. 10. Si quis objiciat, cùm in Natura Divina utpote ſimpliciſſima, nihil ſit diviſum, nihil multiplex, nulla fundata ratione movemur ad ejusmodi formas in Deo fingendas.

§. 11. Facilè ſatisfit, aſſerendo Ideam Divinam non eſſe rem ſive quoddam reale à Deo diverſum, ſed modum internum, rationem, ſeu formalitatem dici, quæ rationem objecti ſubit, hinc terminativè & non entitativè (idem de creatione, omniſcientia, & miſericordia Divina dici poteſt) multiplicem eſſe; adeóque nihil à ſimplicitate Divina alieni ſtatuitur, Ideas concipiendo velut ſigilla quædam, ſuas rebus imprimentia ſimilitudines.

§. 12. Hanc Idearum notionem fusè explicat & confirmat S. Auguſtinus à ſæpius memorato Hyeronimo Hirnhaim citatus, dum lib. 83. Quæſt. 47. ait, *namque omnia ſunt ratione condita, nec eadem ratione homo, quâ equus, hoc enim abſurdum exiſtimare, ſingula igitur ſingulis ſunt creata rationibus. Has autem rationes ubi arbitrandum eſt eſſe, niſi in ipſa mente Creatoris? non enim extra ſe quidquam poſitum intuebatur, ut ſecundùm id conſtitueret quod conſtituebat, nam hoc opinari ſacrilegium eſt. Quòd ſi hæ rerum omnium efficiendarum, creandarúmque rationes in Divina mente continentur, neque in Divina*

mente

mente quidquam niſi æternum atque immutabile poteſt eſſe, atque has rerum rationes principales, appellat Ideas Plato, non ſolùm Ideæ, ſed ipſæ veræ ſunt, quia æternæ ſunt.

§. 13. Ex hiſce S. Doctoris verbis manifeſtum, Ideas Divinas ſic explicatas, cum Ideis Platonicis coincidere, quas nullatenus ùt ſimulacra rerum in concavo Lunæ vel inter nubes errabunda, & exrra Deum poſita, contemplatus eſt Divinus Plato, prout non pauci poſt Ariſtotelem opinântur, verùm ut rationes rerum primævas, ingenerabiles, & æternas, quas contineri & vivere ait in intelligentia, ſeu Mundo intellectuali, qui & *Archetypus*, & *boni ſplendor*, quique minimè pro ſapienti quodam Phantaſmate à Deo diſtincto, Mundumque animante habendus, nec aliud eſt, quàm Deus ipſe quatenus primi Entis nomine participabilis.

§. 14. Juxta harum, tanquam Cauſæ exemplaris, normam, & ſimilitudinem, cuncta formavit entium genera, v. g. hominem, juxta Ideam mente Divina conceptam, humanam, Leonem ad Ideam leoninam, & ſic de cæteris, non aliter, proportione ſervata, quam Architectus juxta Exemplar Eccleſiæ vel Turris mente præconceptum, Eccleſias vel Turres ædificat. Ulteriorem Idearum increatarum, & intellectualium diſcuſſionem Theologis & Metaphyſicis relinquo, méque ad Ideas rerum, naturæ à Deo ingenitas convertam.

§. 15. Harum quædam à Pneumocoſmicis modernis poſt Platonem vocantur *ſeminales*, de quibus capite ſequenti, aliæ *intentionales*, & à Scholis ſpecies inſenſatæ; harum plures Belluis nec ſenſuum miniſterio, nec cujusquam inſtructione acquiſitas ſed ab Authore Naturæ impreſſas admittunt plerique ſaniores Philoſophi præter Gomeſii Pereiræ Aſſeclas, quibus mediantibus anima brutorum ſentiens, vi quadam præſtantis imaginationis pollet, eidem dictantis, quid proſequi, quid fugere debet, quam Peripatus *Inſtinctum* vocat.

§. 16.

§. 16. Quis, ajunt, aves nidificare, apes mellificare, bombyces ſericum, araneas tanto artificio telas contexere, teſtudines ova arenis à Sole calefactis infodere docuit? quis lepori canem, & non cervum vel ovem, pullo milvum & non pavonem vel anſerem, ovi lupum & non capram timere inſpiravit? quis canes graminis eſu, buffones ſalviâ, galinas alſine vel anagallide, ſibi mederi inſtruit? quis formicis & muribus modum grana frumentorum coacervandi, & una artificium eadem nè germinent præcidendi monſtravit? taceo (ne prolixus videar,) centenas alias ſolertiorum naturæ Indagatorum obſervationes, *inſtinctus* brutorum naturalis vim', ſatis ſuperque demonſtrantes, niſi Author Naturæ mediantibus Ideis intentionalibus ſeu ſpeciebus inſenſatis, quas belluis indidit, quibusque inſtructæ earum animæ cognoſcitivæ, ſuas, ex illarum, quas tanquam cauſas agendorum exemplares inſpiciunt, præſcripto, edunt operationes, quarum ſufficientia nobis quotidie exhibent ſpecimina. De his conferantur inter Pneumocoſmicos non infimi, Nobilis Robertus Fludd ſeu de Fluctibus, Celeberrimus Marcus Marci noſter, ejusque ſequax Hieronymus Hirnhaim, aliique plures. Hiſce de Idea in genere Prænotatis Idearum ſive rationum ſeminalium Doctrina breviter dilucidanda & examinanda reſtat.

SECTIO II.

De Ideis ſeminalibus juxta Pneumocoſmicos.

§. I.

PHiloſophiæ Idealis Profeſſores uno ore dicunt Animam Mundi potentia movendi, vegetandi, ſentiendi, imò & ratio

ratiocinandi inſtructam, cum materia primordiali Choatica coævam, & in hunc finem ut omnium motuum naturalium principium ſit & rerum producendarum cauſa efficiens, concreatam, ex ſe ad quaſcunque operationes, ſicut Materia Chaotica ad quaſcunque formas recipiendas indifferentem, omnigenis rerum omnium & ſpecierum defactò in Natura exiſtentium rationibus ſive Ideis Seminalibus, ab Authore Naturæ abundantiſſimè dotatam, quæ eidem exemplaria forent, ac norma ſæpius inſpicienda, quibus, in operibus ſuis producendis, dirigeretur, ſuoſque effectus conformaret, non ſecus ac, (proportione ſervata) ipſe Deus ſecundum conceptus exemplares ſive rerum producendarum ideas in Mente divina ab æterno, ſicut dictum, exiſtentes, hanc rerum Univerſitatem tanta pulchritudine & artificio creavit formavitque.

§. 2, Has Ideas in Univerſi Anima tanquam *Chao Mentali* altum deliteſcere & occultari contendunt, donec pro data, in materia, occaſione, ad certos cauſarum ſecundarum concurſus, & Subjecti ſubſtrati diſpoſitionem, una alteráve in Anima evolvatur ſeu inſpicienda manifeſtetur, prout neceſſaria fuerit, pro Animæ ad hanc vel illam rerum naturalium Speciem producendam determinatione, non aliter quam in Speciebus noſtris phantaſticis & commemorativis obſervatur, quas cum Ideis ſeminalibus, quoad entitatem & Naturam convenire prætendunt, quarum plurimæ in Cerebro ſeu potiùs potentia ſenſitiva interna Sopitæ latent, donec occaſionem nactæ emergant, séque Animo contemplandas ſiſtant.

§. 3. Ideas ſeminales & ſpecies imaginativas in hoc ſolùm differre, ait Marcus Marci, quòd *imaginativæ ſe viciſſim excitent & evolvant ſive à primis, ſive ab ultimis evolutio incipiat, ità enim qui artem memoriæ profitetur, quàm plurimas dictiones priùs quidem eo quo receptæ, tum, ordine inverſo repetere ſolet,*

 at

at verò Ideæ ſeminales non niſi motu recto, nequaquam verò reflexo procedunt, itáque prior poſteriorem, non hæc illam excitat & evolvit.

§. 4. Ad tantum Munus obeundum, Animam quaſi infinitè cognoſcitivam volunt, ſive rerum productarum & producibilium ſcientiis, quas ab Ideis inditis nequaquam diſtinguunt inſtructam.

§. 5. In quo poſita ſit cauſa occaſionalis, Animam Mundi tanquam agens quoddam univerſale & indeterminatum, ad ſpecificè per Ideam ſuam evolutam, vel proximè evolvendam agendum, determinans, ulterius inquirendum.

§. 6. Præfati Authores ſentiunt Materiam Chaoticam, & ab initio quamdiu *tenebræ erant ſuprà faciem abiſſi*, ſenſibiliter informem, ab Authore Naturæ mediante motu fuiſſe variè diſpoſitam, & ad conſtituendas certas & multiplices rerum naturalium ſpecies, characteriſatam; nimirum Deus (aiunt) eandem, diverſiſſimis fermentis ſpecificis, ſive (ut eorum ſtilo loquar) rerum omnium *ſpeciebus*, *rationibus*, *virtutibus & characteribus ſeminalibus* impregnavit, per quos non aliud intelligunt, quàm certas proportiones, combinationes, & virtutes Atomorum ſive minimorum Univerſi, quarum occaſione certæ & conformes, in Univerſi Anima materiam ſubingreſſa, Ideæ antea deliteſcentes excitantur & evolvuntur; quas contemplans Anima, ad ſua opera facienda, iiſdem tanquam exemplaribus conformia, determinatur; exempli gratia, ſi in una vel altera Materiæ molecula ſeu portione invenerit Anima quaſi omniſcia rationem ſive characterem ſeminalem leonis vel Elephantis, hujus occaſione, evolutâ intra ſe priùs Idea leoninâ, Leonem, vel Elephantinâ, Elephantem, & ſic de cæteris producit.

§. 7. Ex hactenus dictis liquet, Animam Pneumocoſmicam ab Idea intra ſe evoluta vel proximè evolubili ejus phantaſiam mo-

movente, ad ſpecificè agendum immediate determinari; ipsámque Ideam occaſione fermenti ſpecifici ſeu characteris ſeminalis in materia occurrentis evolvi & quaſi corporaſcere, ità ut *in principio* ex Ideis, & characteribus ſeminalibus inviſibilibus, viſibiles rerum omnium ſpecies ortum habuerunt, qui in materia primordiali & Choatica delituerunt.

§. 8. Ad hæc alluſiſſe videtur Ovidius, dum lib. 1. Metamorphoſeos de Chao cecinit.

- - - - rudis indigeſtáque moles.
Nec quidquam niſi pondus iners, congeſtáque eodem
Non bene junctarum diſcordia ſemina rerum.

§. 9. Non tantùm ſublunaria, Terram inprimis mineralium, vegetabilium, & animalium, feraciſſimam, non ſecus ac aquam & aerem ſimilibus rationibus ſpermaticis abunde imprægnatam volunt; verùm etiam ſupra-lunaribus, planetis nimirum & ſyderibus, à quibus, tam varius in Sublunaria influxus, ſua tribuunt fermenta, quæ cùm non in omnibus Materiæ Univerſalis partibus præſertim Globi Terraquei ſinu, æqualiter lateant, in cauſa ſunt quòd *non omnis fert omnia Tellus,*

§. 10. Huc referri poſſunt Ideæ morbidæ, quæ vel cum Ideis ſeminalibus Animalis, implicatæ, quoties vi nexus ſuſcitatæ morbos ab iisdem *Archaales* dictos & hæreditarios ſibi Analogos progerminant, Ideásque Vitæ Humanæ, niſi hæ ſint potentiores, non rarò ſeriùs aut citius abolent; vel quæ ab extra evolutæ nobis ſunt adventitiæ, quales in peſte, morbísque contagioſis potiſſimum vigent. ſúntque (ajunt licèt valdè perperam) fermentum quoddam ſeu ſemen contagioſum quod cum Aere attractum nobísque communicatum in morbum etiam contagioſum degenerat.

§. 11, *Perperam inquam*, quoniam ſeminium morbificum nobis mediante Aere communicatum, cùm conſiſtat in Miaſmate ſeu Effluviis ſubſtantialibus ſubtiliſſimis mali moris

Æconomiam noſtram Animalem turbantibus & depravantibus, potiùs pro ſubjecto Ideæ morbidæ, quæ ſui Ideati modus eſt, quàm pro ſola Idea; & pro morbi cauſa potiùs quàm pro ipſo morbo acceptandum, nec unquam tale Miaſma utpote Subſtantia in morbum, ſecundùm omnes (ſi Helmontium exceperis) accidens, degenerare poteſt,

§. 12. Morbi Archeales juxta Marcum Marci ab ipſo Archæo qui poteſt ſuas Ideas ſeminales depravare, ſéque ipſum aut aliquam ſui partem corrumpere, Principaliter ingenerantur.

§. 13. In idearum Morbidarum ſuſcitatione mira eſt vis Imaginationis, hinc plurimi, peſtem, variolas, aliosque morbos, ſolius (ajunt) depravatæ imaginationis, fœtus, non raro incurrunt.

§. 14. Tot denique ſunt ideæ ſeminales quot rerum ſpecies vulgò in Mundo aſpectabili exſtare putantur, ſive ad quot actionum ſpecificarum diverſitates, Mundi Anima Ideis fæta determinari poteſt,

§. 15. Ideæ in principio, eidem à Deo liberaliter inditæ & ejus verbo primitus evolutæ, eandem, ad vulgo dictas rerum ſpecies, ſive fermenta ſeminalia determinare cæperunt, & in *Archæos* diſtribuerunt, quibus in hoc vel illo Subjecto determinata, talem & non aliam eliciat operationem, & à ſemet ipſa alibi exiſtente quodammodo differt.

§. 16. Per Archæum, ut antea capite 11. ſect. 1ª §. 23. notatum, intelligunt Philoſophi Ideales Animam Mundi ab hac vel illa Idea ſive Idearum ſerie limitatam ad hanc vel illam, & non aliam ſpeciem, producendam, vel ſecundùm Marcum Marci, in Phil. vet. reſtitutæ p. 418. *vim & poteſtatem Animæ per Syſtema Ideale limitatæ ad vitaliter agendum*, quæ deſcriptio Archæis Animantium & vegetabilium per excellentiam competit, qonniam ſyſtema ideale ſecundùm prælaudatum Virum,

eſt

eſt *Series Idearum ab una radice ordinem & nexum ad ſe habentium ſuáque evolutione ad corpus organicum conſtituendum, atque hujus uſum, determinantium.*

§. 17. Ex hac tam Archæi, quàm ſyſtematis idealis, deſcriptione, concludunt Animam Mundi ex ſe tam indifferentem ad hoc vel illud operandum, quàm phantaſia vel intellectus ex ſe, absque ſpeciebus ad hoc vel illud cognoſcendum: ab idea ajunt canina vel equina, Anima univerſi ad latrandum & hinniendum, imò ad ipſum eſſe canis vel equi determinatur, & utriusque Anima ſenſitiva audit.

§. 18. Idem (continuant) eſt Spiritus qui vegetabat in gramine, cujus materia per equum devorata, & poſt abolitam equino fermento graminis ideam, ſubſtantiæ equinæ aſſimulata ſentire jam incipit & hinnire, hujus iterum carnis ideâ in chaos ſuum retrusâ, Ideis vermium ex eadem ſubſtantia pullulantibus, repere incipit in verme, omnium denique ſuarum operationum diverſitatem ideis debet, per quas in Archæos diſtribuitur, idem alioquin ubique futurus & operaturus, ſi ubique ſimilibus ideis eſſet inſtructus. Vide Hieron. Hirnhaim. pag. 154.

§. 19. Format hæc univerſi Anima ex ideæ determinantis præſcripto nunc verum & ſolidum certæ ſpeciei corpus, quandóque non niſi umbratile, quale ſpectatur in herbarum Palingeneſia intra vitrum, ſive plantæ igne concrematæ certa Encheireſi Chimica ex proprio ſale & cineribus, apparenti & umbratili regeneratione, qua plantæ concrematæ foliorum & caulis figura colórque naturalis, oculis quaſi ad vivum cernenda exhibentur; dum enim non poteſt facere pro re nata quod vult, ex defectu ſolidioris materiæ vel aliarum conditionum facit quod poteſt, ſi non poteſt producere corpus ſolidum, generat umbratile.

§. 20. Notandum, Philoſophiæ Idealis Profeſſores, Ideas

Animæ ſive idoli ſui pneumocoſmici, evolubiles, quandóque à fermentis ſive characteribus ſpecificis materiæ in primordio implantatis diſtinguunt quandóque (ſed perperam) confundere videntur, illas etenim ſicut hos, in ſuis ſcriptis *rationes virtutes* & ideas ſeminales promiſcuè vocant,

§. 21. Hieronimus Hirnhaim pag. 153. poſt Marcum Marci, dicit: *ſicut in cerebro plurimæ rerum ſpecies ſôpitæ latent, ſic & in materia plurimæ deliteſcunt Ideæ*, & ſequenti paragrapho ſibi contradicere videtur dum dicit, *ab his Ideis Spiritus Mundi determinatur quæ principaliter etiam in ipſo ſubjectantur.* pag. 156. ſubjungit, *Idea hæc ſeminalis diverſis conſtat partibus* (quod notandum) *ſecundum diverſitatem partium organicarum originem ex illa contrahentium, conſiſtere nihilominus poteſt in loco & Subjecto indiviſibili.*

§. 22. Marcus Marci pag. 60. ſuæ Philoſ. veter. reſtitutæ dicit: *Idea Univerſi in eo confuſa, non minus quàm Anima, tota in toto & tota in qualibet parte, ab eadem Anima fluere non ceſſat.*

§. 23. Cùm Viri Clariſſimi ad captum minimè explicuerint, an Idea hæc Univerſi tota in toto, & ab Anima, à qua fluere non ceſſat diſtincta, ſeminalis ſit, & an ab Archæis Animam Mundi ad certas & non omnes materiæ Univerſi moleculas limitantibus, hinc non totis in toto, quibus Anima à ſe ipſa alibi exiſtente quodammodò ſecundùm Pneumocoſmicos differt, diſtinguenda, vel cum iiſdem, tanquam complexum confundenda, quo admiſſo, licèt Anima tota in toto, minimè qua Archæus tota in qualibet Univerſi parte dicenda, magis quàm Archæus v. g. Leonis ad corpus leoninum limitatus; Ideam Univerſi prout à Marco Marci explicatam, tamquam ſuperfluam, & intellectus ratiocinantis productum, immeritò rejiciet Mechanicus.

§. 24. Quantum ego pro mea tenuitate ſenſum horum Autho-

thorum ſat confuſum, valdéque in hoc paſſu obſcurum aſſequi poſſum, per rationes ſeminales, ſeu rerum ſemina inviſibilia & in ſenſu (ùt ajunt) philoſophico accepta, intelligunt (ſaltèm intelligere debent) complexum ex fermentis ſpecificis, ſive characteribus, ſicut ipſa materia diviſibilibus, materiæ primitus implantatis, & Ideis Animæ Pneumocoſmicæ indiviſibilibus, conſonis, proximè evolubilibus, vel evolutis, quod Idea ſeminalis compoſita, ſeu ſemen inviſibile dici poteſt.

§. 25. *Semen* hoc *inviſibile* deſcribunt *Ideam* (rectiùs fortè ſubjectum Ideatum) *corporis Organici in hac vel illa ſpecie vel ſpeciei ſexu conſtituti*, ſexuum namque diverſitatem ab Ideis ſaltèm partialiter diverſis deſumunt; *Semen viſibile*, ſive Matricem & receptaculum, in quo & è quo Idea eſt proximè evolubilis, definiunt *Subſtantiam, ſpecie corporis, de quo deſumpta eſt, proximè evolubili inſignitam.* Vide Hirnhaim pag. 156.

§. 26. Huic ſubſtantiæ, exempli gratiâ, ovo fæcundo, vel nuci, fatentur ineſſe juxta definitionem datam, ſpeciem ſeu Ideam inviſibilem corporis Organici actu & formaliter, ex quo inferendum, Animam Pneumocoſmicam ex ſe, ùt ſæpius dictum, indifferentem, ab eadem actu & formaliter in Archæum determinari, ad corpus idem Organicum præ alio in eadem materia ſeu ſemine viſibili formandum, conſequenter ſemen inviſibile, in viſibili ſemine, ovo v. g vel nuce actu gliſcens, eſſe complexum quoddam ex Idea ſpecifica & indiviſibili Animæ Univerſi inchoative evoluta, & fermento ſive charactere ſpecifico & diviſibili, inviſibili tamen mediante eadem Idea magis actuato & perfectiori reddito reſultans; Organa verò, nempe cor, cerebrum, hepar, pulmones &c. in pullo, vel radices, folia, fructus in nuce, poteſtate ſolùm ſeu radicaliter, ſummaliter, originaliter, ſive ſecundùm quendam actum imperfectum eidem viſibili ſemini,

ovo nempe vel nuci ineſſe ajunt, ad eundem fortè modum, quo Albertus Magnus & non pauci ſequaces docuerunt formas ſubſtantiales in materia, ſecundùm quasdam inchoationes ſive entitatulas præexiſtere.

§. 27. Hanc, earum de ſeminis inviſibilis in ſemine viſibili exiſtentia, opinionem, non parum (ait Hirnhaim) confirmat S. Auguſtinus, dum lib. 3. cap. 8. de Trinitate ait: *Omnium rerum, quæ corporaliter, viſibiliterque naſcuntur, occulta quadam ſemina in his corporeis mundi elementis latent, alia ſunt enim hæc jam conſpicua oculis noſtris, ex fructibus & animantibus, alia verò occulta iſtorum ſeminum ſemina. Unde jubente Creatore produxit Aqua primo natatilia & volatilia, Terra autem prima ſui generis germina, prima ſui generis animalia. Neque enim tunc hujuſcemodi fœtus ita producti ſunt. ut in eis, quæ producta ſunt, vis illa conſumpta ſit, ſed plerumque deſunt congruæ temperamentorum occaſiones, quibus erumpant, & ſpecies ſuas peragant.*

§. 28. En (ait Hieronymus Hirnhaim) quomodo ſemen verum ſive philoſophicum diſtinguat à ſemine vulgari & viſibili; ajo & ego ſemen illud *per congruas temperationes elementorum* latentur ſparſum, non ab Anima Mundi phantaſtica derivat Sapientiſſimus Doctor, ſed potius à characteribus ſeminalibus materiæ ab ipſo Authore Naturæ implantatis & ab eodem providentiſſimè directis, hoc non parum confirmat ipſe Sanctus, quem Vir inſignis in ſuum ſenſum ſed perperam pag. 150. torquens, pro ſe citat, dum lib. 3. de Trinitate creationem à generatione diſtinguens S. Doctor ait, *Aliud eſt enim ex intimo ac ſummo cauſarum ordine condere atque adminiſtrare creaturam, quod qui facit ſolus Creator eſt Deus. Aliud autem pro diſtributis ab illo viribus & facultatibus aliquam operationem forenſecus admovere, ut tunc vel tunc, ſic vel ſic exeat, quod creatur. Iſta quippe originaliter ac primordialiter in qua-*

dam textura elementorum, cuncta jam creata ſunt (Idealiter videlicet ait Hirnhaim, addo & ego, idealiter per Ideam, non Animæ Mundi phantaſticæ, cujus nulla fit mentio, ſed Divinam Archetypam certas materiæ primordialis ſive elementorum moleculas characteriſanrem, vique ſicut motrice, ita & plaſtica, imbuentem) *ſed acceptis opportunitatibus prodeunt. Nam ſicut Matres gravidæ ſunt fœtibus, ſic ipſe Mundus gravidus eſt cauſis naſcentium, quæ in illo non creantur, niſi ab illa ſumma Eſſentia, ubì nec oritur, nec moritur aliquid, nec incipit eſſe, nec deſinit. Adhibere autem forenſecus accidentes cauſas, quæ tametſi non ſint naturales, tamen ſecundùm naturam adhibentur, ut ea, quæ ſecreto naturæ ſinu abdita continentur, erumpant & foris creentur quodammodo: explicando menſuras, & numeros, & pondera ſua, quæ in occulto acceperunt ab illo, qui omnia in menſura, & numero, & pondere diſpoſuit, non ſolùm mali Angeli, ſed mali homines poſſunt.*

§. 29. Quibus verbis innuit S. Doctor, malos Angelos & Homines libertate & cognitione præditos, non eſſe cauſas rerum creatrices naturales, ſed ſecundas effectrices, ad minimum, occaſionales, ſeu naturæ, ſicut Medicus in morborum curatione, vel Hortulanus in arborum regulari & concinna plantatione, Miniſtros, activa paſſivis applicantes.

§. 30. Hoc, ſequentibus à prælaudato Hieronymo Hirnhaim citatis, ſatis ſuperque confirmat S. Auguſtinus lib. 3. de Trinitate cap. 8. *Sicut ergo nec parentes dicimus creatores hominum, nec agricolas frugum, quamvis eorum extrinſecus adhibitis motibus, iſta creanda, Dei virtus interius operetur; ità non ſolùm malos, ſed nec bonos Angelos fas eſt putare creatores, ſi pro ſubtilitate ſui ſenſus & corporis, ſemina rerum iſtarum nobis occultiora noverunt, & ea per congruas temperationes Elementorum latenter ſpargunt, atque ita gignendarum rerum, & accelendorum incrementorum præbent occaſiones.* In hactenus ex S.

 Au-

Auguſtino citatis, nec vel minima Animæ phantaſticæ, ejusve Archæorum facta mentio, quod bene à Pneumocoſmicis notandum.

" §. 31. Ideam ſeminalem licèt diverſis conſtet partibus,
" dicunt conſiſtere poſſe in loco & ſubjecto indiviſibili, ve-
" rum enim ſemen, quod in grano, v. g. tritici, milii, vel ſi-
" napis, proxime aptum eſt in germen evolvi, vix (ait
" Hieronymus Hirnhaim) pro ſubjecto habet bìs mille-
" ſimam & octingenteſimam partem grani, quod ipſi ex po-
" tiori parte ad munimen & defenſionem ab externis injuriis
" à natura eſt deſtinatum, hanc optimam & fæcundiſſimam
" grani tritici partem mures & formicæ præmordent, nè in
" terræ penuariis recondita in herbam germinet, in ſinapis
" vel milii grano quantilla eſt veri ſeminis ad generationem
" proximé apti molecula, in quo tamen caulis, radix, folia,
" flores, & jubæ ſeu ſiliquæ ſeminis feraces, idealiter continen-
" tur, item conſideretur tantilla ſeminis gallinacei ſeu potius
" auræ ejusdem ſeminalis portiuncula vim prolificam adeò
" potentem exerens, ut gallina vel ſemel tantum compreſſa
" absque ulteriori cum gallo commercio, per integros men-
" ſes, ova pariat utriusque ſexùs prolifica.

§. 32. Regeritur, ſummam plane & ineffabilem tenuitatem & ſubtilitatem auræ ſeminalis inviſibilis in liquido genitali & prolifico galli vel alterius animalis, gliſcentis & juxta ſuam ſpeciem characteriſatæ, (idem eſto judicium de vegetabilium ſemine) nemo ſolertiorum Naturæ Scrutatorum abnegabit; verum cùm Idea ſive character inviſibilis auræ ſeminalis, ſi diverſis conſtet partibus, non aliud ſit, quàm ejus ob ſummam partium tenuitatem etiam inviſibilis, modus, conſequenter ſui modificati forum (ut ita dicam) ſequens,

quens, ipſáque aura ſeminalis mole licet minima adhuc tamen diverſis conſtans partibus actu diviſis, vel diviſibilibus, quomodo in loco vel ſubjecto prorſus indivisibili consiſtere poſſit ejusmodi Idea ſeminalis; magìs quàm ejus Ideatum aura nimirum ſeminalis, sive ſemen invisibile, cupio multò magìs ab ipsis doceri & ad captum convinci, quàm docere: nisi fortè ſubjectum illud atomum extenſam & divinitus indiviſibilem cum Gaſſendiſtis rigidioribus facias, in quo caſu ejusdem Idea ſeu character æquè ac atomus ideata, haud diverſis conſtaret partibus, in quas dividi poteſt, contra eorum Hypotheſim.

§. 33. Si dicant Ideam ſeminalem, Animam Mundi ad pullum in ovo formandum, & ſic de aliis, determinantem, & cum ea, pulli Archæum, ſive Animam ſenſitivam conſtituentem, poſſe & debere in loco & ſubjecto indiviſibili conſiſtere, hoc ultroneè concedet quivis Ideas Archæales admittens, verùm reflectant egregii Viri, an Idea ejusmodi etiam ſeminalis dicta, tota, ſicut ipſa Anima cujus modus eſt, in toto, & tota in qualibet ejus minutiâ ſit entitativè diviſibilis, *diverſisque conſtet partibus ſecundùm diverſitatem partium organicarum originem ex illa trahentium &c.* prout Hieronymus Hirnhaim pag. 157. ſui Tractatus de Typho Generis humani prætendit. Vide §. 20. hujus Sectionis.

§. 34 Profectò hæc Idearum Archæalium & indiviſibilium cum characteribus, ſeu fermentis ſpecificis materiæ primitus implantatis, quas etiam Ideas ſeminales promiſcuè vocant, confuſio, tantam in Idearum Doctrina confuſionem parit & obſcuritatem, ut niſi dicant, ſicut recèns inſinuatum, ſemen rerum inviſibile. *Ideam eſſe compoſitam* ſive complexum quoddam ex Animæ Mundi Idea indiviſibili, & charactere ſeminali ſive fermento ſpecifico diviſibili & inviſibili, in ſemine viſibili latente, reſultans, quod ratione prioris poſſit in

loco

loco & ſubjecto indiviſibili conſiſtere, ratione verò poſterioris, utpote diverſis partibus, ſicut ejus ſubjectum ideatum, conſtantis, locum & ſubjectum licèt minutiſſimum & inviſibile, ſemper tamen diviſibile neceſſariò exigit; me nimis rudem eſſe candidè fateor, ut eorum ſenſum capere poſſim.

§. 35. Nec minus mirari ſubit, quòd moderni Pneumocoſmici admittentes materiam ab initio chaoticam à Deo ſolo & non ab Anima Mundi variè diſpoſitam & diverſiſſimis fermentis ſpecificis, quas *rationes, virtutes, ideas, & characteres ſeminales* vocant, per eam latenter ſparſis, hinc neceſſariò vi motrice communicatâ impregnatam, ad Animam Mundi phantaſticam Ideis fætam, tanquam ſemideam pro rerum naturalium generatione ſummè neceſſariam, cum tanto fervore, nè dicam cæcitate, recurrant, cujus neceſſitas & exiſtentia extra eorum phantaſiam, nec revelatione, nec ſolida & invicta ratione vel à priori, vel à poſteriori demonſtrabilis; non reflectentes Deum, qui ſolus ipſis fatentibus materiam creavit ſecundùm conceptus exemplares in ejus Divina & omniſcia mente ab æterno exiſtentes, ſolus eandem actuavit & characteriſavit, æquè etiam ſolum partem materiæ in prima characteriſatione ſubtiliſſimam, tenuiſſimam, & maximè actuoſam, vi plaſtica, ſicut motrice, dotâſſe & dotare potuiſſe.

§. 36. Per abolitionem Ideæ ſeminalis & Archæi ſepulturam, in qua ſola, animalium mortem conſiſtere prætendunt Philoſophi ideales, non aliud intelligunt, quàm Ideam, Mundi Animam ad hoc & non aliud operandum, determinantem & evolutam, quæ ante ſui evolutionem eidem Animæ tanquam *Chao mentali* involuta, confuſa, & ſepulta latuit, ab alia Idea potentiori proximè evolvenda, accedente cauſa occaſionali, fermento nimirum ſpecifico fortiori, abolitam, denuò in priſtinum *mentale Chaos* involvi, confundi & ſepeliri.

§. 37.

§. 37. Idem applicari poteſt fermentis ſpecificis terræ implantatis, quoties prius evoluta & viſibilia facta denuo in Chaos Univerſi materiæ nimirum primordialis, retruduntur, immerguntur, & ſopita latent. De duplici hoc Chao mentatali, & Univerſi ſive materia chaotica, legi meretur Marcus Marci in ſua Philoſ. Veteri reſtituta pag. 269.

§. 38. Suas Ideas ſeminales dari, probare nituntur ex primo Geneſios textu: *Germinet terra herbam virentem & facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus ſuum, cujus ſemen in ſemetipſo ſit ſuper terram, & factum eſt ita. &c.*

§. 39. Hæcce Sacri Textus verba, manifeſtè quidem probant terræ ineſſe rerum vi plaſtica imbutarum ſemina ſpecifica & inviſibilia latenter ſparſa, ſive characteres ſeminales certis materiæ Mundi ſubtiliſſimæ & maximè actuoſæ partibus, in certis & proportionatis materiæ magis paſſivæ, etiam characteriſatæ, capſulis & matricibus, à Deo *in principio* impreſſos, pro quorum diverſitate diverſa exurgunt corpora præſertim viventia, ùt antea dictum; exinde verò Animæ Mundi phantaſticæ per ſuas Ideas in Archæos diviſæ exiſtentia nequaquam inferenda.

§. 40. Hìc habet Lector candidus Doctrinæ Pneumocoſmicæ Scenam in compendio fideliter & clarè delineatam, in qua quid placere, quid diſplicere poſſit Philoſophus cordatus ab Hipotheſibus præſcindens, primo quaſi intuitu facile diſcernit; ego cuivis pro ſuo genio & ingenio opinandi libertatem ſalvam & integram relinquens, Conſectarium ſequens, ex prægreſſis legitimè deducendum puto.

§. 41. Animâ Mundi (ſive ſubſtantia verè ſpiritualis, ſeu ſecundùm Marcum Marci materialis & non materia dicatur) ob rationes recèns allegatas tanquam ſuperfluâ & indemonſtrabili rejectâ, Ideæ Pneumocoſmicorum archæales & ſeminales

nales fundamento tam inſtabili innitentes neceſſariò corruent, adeoque pari jure rejiciendæ.

§. 42. Eâdem verò admiſsâ, haud inficiandum, Idearum Doctrinam ab inſigni Marco Marci Platonicorum modernorum & Orthodoxorum corriyhæo vel maximè illuſtratam, lectu digniſſimam, cum magna ſaltèm plauſibilitate defendi poſſe, nobiſque licèt aliter ſentientibus, aditum multò faciliorem ſternere, ad intimius vis plaſticæ ſive ſeminalis ſcrutinium, ineundum.

§. 43. Quid de Deo pro Anima Mundi, licèt valde (nî fallor) impropriè, ſumpto, non ſecus ac de Chymicorum quorundam cordatiorum Spiritu materiali & diviſibili ſentio, in prægreſſis ſatis ſuperque notatum, & in dicendis melius patefiet.

SECTIO III.

De Ideis ſeminalibus juxta Mechanicos & Chymicos ſaniores.

§. 1.

ANtequàm Mechanicorum, & Chymicorum cordatiorum, de vi ſeminali & formatrice placita recenſeam, prænotandum, Naturam Univerſi, quam Mundum ſeminarium appellat du Hamel, haud inconcinne, ſicut Ideam, à Platone & ſequacibus aliquot modernis, in *Archetypam* & *Ectypam* dividi, & Ideam archetypam à Divino Platone venuſtè definiri, quòd ſit *Ars Dei in materia.* In quonam verò ſummi hujus artificii ratio conſiſtit, non immeritò quantum materiæ tam arduæ difficultas permittit, à poſteriori quærendum.

§. 2.

§. 2. Cùm ars in homine artifice non alia, quàm virtus quædam, ſive qualitas, (ſi Ideam vel ſpeciem acquiſitam nominare velis per me licet) juxta quam tanquam regulam mente conceptam artifex in ſuo artificio dirrigitur, ità proportione ſervata, omnipotentis Artificis *ars archetypa* non alia, quàm virtus Divina ab ipſius providentia minimè ſejuncta, ad cujus leges, Ideas nempe, mente Divina ab æterno conceptas, ſupremus Artifex ea dirrigit, quæ ad extra operatur.

§. 3. Hæc quippe per Excellentiam provida, innumerabilium hujus Univerſi rerum, quæ ſine ſumma & incomprehenſibili ratione perfici nequeunt, principium eſt *Naturans*, quo res omnes primitus creatæ adminiſtrantur, & quoties aliquæ pereunt, ſive in hac vel illa ſpecie ſeu formâ eſſe deſinunt, quandoque reparantur, & juxta quod ſolum, omnia in Mundo aſpectabili tam pulchra, tam ordinata.

§. 4. Quis ſomniabit vim illam tam artificiosè progredientem, *cujus ſolertiam* (Clariſſ. du Hamel verba repeto) *nulla ars, nulla manus, nemo opifex conſequi poteſt imitando*, rationis atque ordinis expertem eſſe? & ſanè cùm meliora ſint naturæ, quàm artis, nec quidquam ſinè ratione efficientis, producta, Natura archetypa rationis & quidem perfectiſſimæ, quia Divinæ minime expers habenda.

§. 5. *Niſi forte* (ùt du Hamel notat) *Archimedem putes plus valuiſſe in imitandis ſpheræ converſionibus, quàm naturam in efficiendis; aut tabulam pictam cùm aſpexeris, aut procul navigii curſum cùm videris, non dubites, quin in tabula ſit ars adhibita, & navigium ratione atque arte moveatur: Mundum verò ſinè conſilio & arte ſumma, aut effici potuiſſe aut gubernari exiſtimes? quod ſi concurſus atomorum, vel carens mente natura, ea, quæ videmus efficit, quæro* (inquit Firmianus) *cur facere Cœlum potuerit, domum non potuerit.*

§. 5. Idem objicit Tullius lib. 1. de Natura Deorum Epicureis veteribus Providentiæ oſoribus, omnia neceſſitate quâdam materiæ & fortuito turbulentoque atomorum concurſu fieri autumantibus, dum ait, *ſi Mundum efficere poteſt concurſus atomorum, cur porticum, cur templum, cùr domum, cur Urbem non poteſt, quæ ſunt minus operoſa & multò quidem faciliora?*

§. 6. Nemo nisi cæcutiens non videt, tantam mundi pulchritudinem, tantum cæleſtium & terreſtrium ordinem, tantum denique, quia ſummum, naturæ artificium, inter alia in animalium propagatione vel maximè eluceſcens, omnium rerum creatarum activitatem & mentis creatæ captum longè ſuperans, nec concipi nedum plauſibiliter explicari poſſe, quin unà conotemus & velut in tranſitu contemplemur, ſupremum artificem omnia, quæ ad extra operatur, providentiſſimè dirigentem.

§. 8. Jure igitur merito exulare debet Anima Mundi phantaſtica quasi omniſcia à Deo diſtincta, Pneumocoſmicorum Idolus, de cujus natura & indole non parum inter ſe concertant in Claſſes Secti, Naturæ Archetypæ providæ & verè omniſciæ notionem vel negligentes, vel ignorantes.

§. 8. Plura contra Epicureorum veterum & Atheiſtarum commenta ſatis ſuperque & olim & hodiedum refutata & rejecta, recenſere ſupervacaneum puto, meque ad naturam Ectypam, de qua fuſius Capite 7. Sect. 7. actum, Archetypæ productum & velut organum, quam Clar. du Hamel Mundum ſeminarium termino ſat proprio appellat, paulùm convertam.

§. 9. Hæc, ùt dictum, duo Catholica Mundi aſpectabilis principia, à Cœlo & terra primordiali inter ſe diverſis, licèt in principio confuſis, minimè diſtincta, complectitur; quæ à Natura Archetypa ſtatim ab initio variè diſpoſita & ad conſtituendas certas & multiplices rerum naturalium & vel maximè viventium ſpecies characteriſata fuerunt, quoſce characteres

ſi

ſi *fermenta ſpecifica* ſive rerum multiplicabilium *ſpecies, rationes, virtutesve ſeminales* cum Pneumocoſmicis, vel *Ideas ſeminales*, & Ideæ archetypæ *Ectypas*, cum cordatioribus Phyſicis & Chymicis nominare velis litem de nomine nullatenus intentabo.

§. 10 Sano enim ſenſu acceptæ Ideæ ſeminales & inviſibiles cunctis viventibus impreſſæ, non aliæ quàm impreſſiones, icones, ſive characteres certi & ſpecifici, certis materiæ Mundi ſubtiliſſimæ & maximè actuoſæ intima quæque interfluentis minutiis, in certis & proportionatis materiæ ſenſibilioris & magis paſſivæ moleculis velut capſulis & matricibus etiam characteriſatis, ab Authore Naturæ *in principio* impreſſi, pro quorum diverſitate diverſa fiunt viventium ſemina ſpecifica & inviſibilia, in globi vel maximè Terraquei ſinu latenter ſparſa, diversáque ex iisdem evolutis ſucceſſivè exurgunt corpora viventia.

§. 11. Ex dictis liquet, primo, minutias maximè activas ſpecificè characterizatas, ob ſummam & ineffabilem partium tenuitatem & exilitatem, omnem ſenſum & dimenſionem mathematicam effugientes, ſemina rerum *inviſibilia* eſſe, quæ, una cum moleculis materiæ, minùs activis, quibus tanquam proportionatis receptaculis ſive matricibus ſenſibilibus, involvuntur, combinata, ſemina rerum ſenſibilia audiunt.

§. 12. Secundò, Ideam ſeminalem, quam non pauci cum ipſo Ideato, ſive ſemine, minus fundatè confundunt, tantùm à re characteriſata ſive ideata, quantum rotunditas à re rotunda, vel modus quivis, à re modificata, diſtingui.

§. 13. Idea ſeminalis à quibusdam dividitur in ſimplicem & compoſitam, de hoc conferatur Ethmülerus, in ſua Diſputatione *de parvis magnorum morborum initiis*, ſimplex rurſus alia dicitur *activa* principio viventium Actuanti & vitali, Ætheris ſive materiæ cœleſtis, quaſi flori & portioni delibatiſſimæ,

ſimæ, impreſſa, quâ proprium ſuum domicilium ſecundum ductum organiſationis à Natura Archetypa, & non à ſapiente quodam Pneumocoſmicorum phantaſmate, directæ, in materia debita format, quod pro diverſitate effectus & officii diverſis inſignitur nominibus, in ſemine viſibili v. g ovo, vel ovulo, gliſcens, *ſpiritus genitalis*, *plaſticus*, *aura ſeminalis* in Embryone, fætu, vel vegetabili ex capſula ſeminali evoluto, *principium vitale*, *ſpiritus inſitus*, à Medicis modernis *Natura activa*, proprii ſui domicilii ſive naturæ paſſivæ formatrix, & in homine impetum faciens Hypocraticum, audit.

§. 14. Alia paſſiva, in primis, ſeminalis materiæ ex qua ſubtratâ, machina v. g. fœtus conſtituitur, rudimentis, ovuli colliquamento involutis, nondum verò ab aura ſeminali utriusque parentis evolutis, implantata.

§. 15. Hoc ut melius illuſtretur, animadvertendum in maris & fæmellæ ſive oviparæ ſive viviparæ, congreſſu fæcundo, Ideam ſeminalem ſpiritui genitali, in genitura tam maris, quàm fæmellæ etiam probabilius ſuo modo & genere ad fætum formandum activè concurrentis, turgenti & gliſcenti impreſſam, dici ab activitate ideati *activam*, impreſſionem verò idealem, materiæ ſubſtratæ, ſive ovulo fæmellæ nondum fæcundato, à ſpiritu ejusdem genitali & plaſtico à parentibus implantato, ſicut proprii ſui domicilii, ita & ovuli fæcundandi fabricatore factam, quâ in coitu fæcundo, ad generationem præ aliis corporis fæmellæ partibus habile fit & proxime diſpoſitum, dici *Ideam paſſivam*, ſpiritum genitalem utriusque parentis in congreſſu fæcundo ita determinantem, ut in ulteriori proprii ſui domicilii elaboratione & formatione, juxta limites & tramites ejus, neceſſario ſe movet, agátque.

§. 16. Hæc cum priori conjuncta, poſſit appellari *Idea compoſita*, & âuræ ſeminalis in ovulo fæcundo prolificæ, directrix, quæ non invenuſtè (ni fallor) *ductus organiſationis* etiam intitu-

titulari poteſt, quem, tamquam regulam, in animalium conceptibus, nec diſpari ratione, in vegetabilium formatione (Naturâ Archetypâ ſemper & inceſſanter cooperante & dirrigente) ſequitur ſpiritus genitalis per traducem plaſticus.

§. 17. Ideam hanc ſeminalem nonnulli contendunt principii vitalis Scientiam eſſe connatam, ſed perperam, ſi enim in vegetabilibus omnis ſenſus & cognitionis (nemine niſi forte Pneumocoſmico refragante) ſicut locomotionis expertibus, principium vegetabile quo pollent, activum, ductum organiſationis à Natura archetypa provida & omniſcia directæ, ſinè propria & interna ſcientia ſequatur, quis cum meliori fundamento dicet, characterem ſeminalem principii vitalis & ſimul materialis animalium (nè homine excepto) ſcientiam dici connatam; eorumve ſpiritum genitalem & plaſticum ſuarum functionum vitalium vel minimè conſcium eſſe, cum nulla prorſus ejusmodi cognitionis magis quàm vegetabile, vel unquam dedit vel dare poteſt, ſpecimina.

§. 18. *Si nobis neſciis*, teſte Hermanno Boerhave & dictante intimâ noſtrâ conſcientiâ, *fluit ſanguis per venas & arterias, fluit chylus per lactea, ſanguini miſcetur, &c.* prout antea dictum, ajo & ego, nos (niſi per diſcurſivam reflexionem) non ſecus ac bruta æquè neſcimus quomodo, qualiter, & quando, proprii corporis in utero matris formatio & nutritio fit, ac vegetabile incapax eſt, modum, quo ejus vegetàtio inchoatur & abſolvitur, percipiendi.

§. 19. Taceo Ideas ſeminales vegetabilium & animalium congenitas phantaſiæ vires exſuperantes; cum Ideis imaginativis, ſive acquiſitis, quas vegetabilia minimè, animalia à non paucis ſibi cudere dicuntur, nequaquam confundendas, prout Helmontiani & Pneumocoſmici contendunt.

§. 20. *Habilitas idealis* determinatè ſe movendi & agendi, ſpiritui plaſtico conceſſa, & conſuetudinis lege, quæ altera

 Natu-

Natura eſt, adepta, *Inſtinctus idealis* ſecundùm nonnullos audit, quo, juxta ductum organiſationis illius corporis, cui primum inditus, & in quo moveri aſſuetus, alii congeneri corpori, v. g. colliquamento ovuli, poſtmodum communicatus, Similes planè motus repetere tentat, non longè aliter, quàm fermentum cereviſiæ vetuſtioris, novellæ cereviſiæ nondum fermentatæ, tanquam corpori congeneri immixtum, motus fermentativos & depuratorios, quos in vetuſtiori exerebat, denuo repetit, quibus, cereviſiæ novellæ fermentationem depuratoriam inchoat & ſucceſſivè abſolvit, particulas ejusdem activiores & congeneres in decocti polentæ viſcido irretitas & incarceratas, per decoctionem magìs extenſas, ſuique juris quodammodo factas, ſuo motu in perfectiorem actum reducendo.

§. 21. Talis ad motum habilitas etiam illuſtratur in partibus voluntario motui dicatis, quæ citra Animæ volentis imperium & ſubſequam conſcientiam, in dormientibus, cogitabundis, & ſomnambulis, ex ſola conſuetudine moventur.

§. 22. Fæmellam dixi in formatione ſui fætus probabilius activè concurrere, hoc (ni fallor) admiſſa principii vitalis materialitate, plurima evincunt, & vel maximè ſequens.

§. 23. Cum ſpiritus ſeminalis & delineans Maris, v. g. Adami Protoparentis, æquè filiabus, ac filiis ejusdem immediatis, per traducem implantatus fuerit, pro proprii, utriusque ſexus, corporis organici, in utero Ævæ delineatione & formatione, nemo facile inficiabitur principium ſeminale delineans in filiæ, æquè ac filii corpore embryonato gliſcens, tantum ad organorum generationis filiæ, hinc & ovuli ſuo tempore fæcundandi, formationem, quantùm ſpiritus plaſticus filio implantatus, ad ejus reſpectivè organa generationi dicata formanda, concurrere, conſequenter ſpiritus delineantis & ſeminalis momentum, æquè colliquamento ovuli filiæ maturi, ac ſpermati filii, ineſſe.

§. 24.

§. 24. Cùm, inquam, ſpiritus genitalis & plaſticus æquè fœmellæ ac mari inſit, quis dubitabit, eundem, ovuli nondum fæcundati colliquamentum primò formare, formatúmque ad generationem præ aliis ſui corporis fluidis habilitare & proximè diſponere, ídque fætus futuri membranas, quæ non aliæ, quam ovuli membranæ ſenſim dilatatæ & expanſæ, nec non prima rudimenta ſive delineationes rudiores formando & characteriſando, quas ſe ſola ſinè maris congreſſu, Deo ità volente, ſufficienter evolvere & expandere nequit, ut animal, in ovuli colliquamento, ante congreſſum fæcundum, vita matris vivente, à matre diſtinctum & vita propria vivens formetur, non ſecus ac proportione ſervata, ſpiritus activi & fermentescibiles in cereviſiæ novellæ ſeu potiùs polentæ decocto, ſicut ante dictum deliteſcentes, implicati, & irretiti, debitam fermentationem depuratoriam inire vel inchoare nequeunt, uſque dum ſpiritus fermenti cereviſiæ vetuſtioris, eidem immixti, ſpiritus in decocto polentæ viſcido involutos & congeneres motu ſuo inteſtino expandant, evolvant, ſui quodammodo juris faciant, & in actum fermentativo-depuratorium reducant.

§. 25. Nec credibile fæmellæ ſpiritum delineantem ovulo in coitu fæcundo, ſicut ante congreſſum inexiſtentem, & ab aura ſeminali maris, eidem, congeneris actuatum, vel otioſum eſſe, vel vi ſua plaſtica ſubitò orbari, adeóque ſi verum, duas ſubſtantias actuoſas ab eodem numericè principio provenientes & in eadem numero materia ſubſtrata agentes eodem modo in effectus ſui productione, (licet una, majori forte activitate, quàm altera) concurrere, æquè, ni fallor, verum ſpiritum delineantem ſive prolificum & filii, & filiæ Adæ Protoparentis coeuntium, utpote è lumbis ejusdem numericè Genitoris Adæ ſcilicet originaliter provenientes, & in eadem numericè materia, ovulo nimirum filiæ Adæ in coitu fæcundo

cundo commixtos, eodem modo unitis viribus agere, conſequenter ad fætus formationem utrumque activè concurrere, licèt activitas auræ ſeminalis maris, multum præpolleat, idem planè de concurſu omnium fæmellarum ſentiendum.

§. 26. Nec ſatis mirari poſſum Traducianos modernos, mordicus tuentes Animam tam rationalem in homine, quàm brutorum, ſolam eſſe naturam activam & authocraticam proprii ſui domicilii formatricem, ſui quoad ſpeciem multiplicativam, ità animabus fæmellarum, præſertim mulierum novercari, ut in proprii fætus formatione, easdem vi plaſtica prorſus ſpoliatas judicent, uno ore aſſerentes *materiam à fæmina, vel matre ſuppeditatam, ſolam in ſe conſideratam, mortuam quaſi eſſe, ſi non aliud quid* (Anima nimirum rationalis à Patre per traducem implantata) *accederet, quod motum in illa excitaret, eámque quaſi vivificaret*, & una obliviſcentes Animam Chriſti glorioſam (ſtante ipſorum ſententia) neceſſariò à Deipara & Immaculata Virgine Matre de Spiritu Sancto concipiente, per traducem productam.

§. 27. Si enim eandem creatam cum Creationis orthodoxis admiſerint, ſibi ipſis apertè contradicunt; contendunt enim ex Sacris Literis conſtare, *Deum poſt creationem Univerſi, & hominis, ſeptem diebus abſolutam, ab omni nova creatione quieviſſe.* Vide poſt celeberrimum Stahlium, Georgium Danielem Coshvvitz in ſuo Organiſmo & Mechaniſmo pag. 178. & 180. nec non ejus Aſſeclas paſſim.

§. 28. Verum quidem eſt (ſaltem contrarium nobis nec ratione, nec revelatione hactenus innoteſcit) Deum poſt creationem Univerſi & hominis, ab omni nova, novæ ſpeciei, creatione quieviſſe, exinde nullatenus inferendum, Animas poſterorum Adami & Ævæ juxta ipſos & omnes, inextenſas, indiviſibiles, & immateriales, conſequenter minimè ſecundùm

ſanam

ſanam Philoſophiam nedum Theologiam per traducem producibiles, prout Capite prægreſſo fuſius demonſtratum, non æquè eorum corporibus præviè organiſatis infundi & creari, ac Anima prima rationalis corpori Adamitico ex limo terræ formato infuſa fuit, ac ſecundùm totam entis rationem creata.

§. 29. Contra hactenus dicta non pauci objiciunt, ſi in ovulis fæmineis ante fæcundationem foret ſpiritus ſeminalis prolificus & delineans, vera tam delineamentorum, quam expanſionis tubulorum ovuli cauſa, fæmina utique generaret, independenter à conſortio viri; cùm enim in illa naturaliter ſit humidum, ac nutrimentum ſufficiens, principum illud activum ſemper in ovulo maturo gliſcens, ſinè ſemine virili in orgaſmo venereo tubulos ovuli à ſe præviè ruditer formatos expandere potis eſſet, hinc & ſe ſolo ageret, ſicut jam agit aura ſeminalis à mare in coitu fæcundo injecta, cujus nullum proſtat exemplum, adeoque, ſi aurâ ſeminali maris tantum opus ſit, ut tubulos ovuli prævie & ruditer delineatos expandat, evolvatque, verò ſimilius videtur ſpiritus fæmineos ſolummodo neceſſarios, ut prima tantum partium delineamenta ante congreſſum fæcundum conficiant, cùm non videatur quî aura ſeminalis maris eadem conficere, bene verò ruditer confecta expandere poſſit.

§. 30. Reſp. cùm ovulum nondum fæcundatum & toti continuum non alia quàm fæminæ vita vivat, & ad debitam magnitudinem ovulo maturo convenientem pervenerit, non obſtante humidi ac nutrimenti ſufficientis præſentia, haud amplius, magis quam aliæ corporis partes toti continuæ, v. g. oculus, naſus, imò ipſum ovarium vel uterus, debitam magnitudinem attingentes, in majorem molem, niſi influente cauſa extrinſecus adveniente vel morbifica vel prolifica excreſcere poteſt; multo minus ſpiritus in ovuli colliquamento & membranulis deliteſcentes, & quaſi incolæ, ſe ſolis capaces

erunt

erunt tubulos à ſe ruditer delineatos ita, expandendi, dilatandi, & evolvendi, ut ovulum, aliâ, quam matris, vitâ vivat, & ab ovario diſcontinuetur, uſque dum ſpiritus maris prolificus multò activior, ovulum maturum, ſpiritu matris debiliori in ejus colliquamento viſcido, gliſcente & irretito, imbutum, ſubintrans, ſpiritûs matris congeneris motum, pro completa embryois formatione non ſufficientem auget, & tertium quid ab utroque parente diſtinctum, vitâque propriâ vivens conſtituit, ídque ovuli tubulos & delineamenta ultra debitam ipſi non fæcundato, magnitudinem & molem, expandendo, dilatando, & evolvendo; quod nec unus nec alter ſolitariè ſumptus ſine miraculo præſtare poteſt, non aura ſeminalis maris ob materiæ ſubſtratæ & ruditer delineatæ defectum, nec fæminæ ſpiritus, ob inſufficientiam activitatis, tubulos ovuli maturi, & debitam molem attingentis, ruditer delineatos, formatóſque, ulterius expandendi.

§. 29. Aliter de ſemine vegetabilium ratiocinandum, in quo non tantum vegetabilis rudimenta, verum etiam, Authore Naturæ ità volente, principii vegetabilis activi eadem ſufficienter expandentis copia ſufficiens continetur, dummodo à ſufficienti calore externo activum internum excitetur, & humiditate debita partes delineatæ indies magis magisque evolutæ humectentur, ut eo facilius novum alimentum tam pro nutritione, quàm accretione admittant, hinc vegetabilium productio per traducem ſinè maris & fæmellæ congreſſu fit.

§. 30. Hæc nos manuducunt ad melius examinandum generationem Inſectorum plurium æquivocam, quâ ſine prævio animalium congreſſu & ovulorum formatione, Inſecta quædam juxta plurium obſervationes quandoque producuntur, quæ ordinariè ex ovulis per prævium congreſſum fæcundatis prodeunt.

§. 31.

§. 31. ſæpius memoratus Chriſtianus Democritus pag. 30. ſuæ diſquiſitionis Phiſico-Medicæ notat, totum mel cui tem- " pore æſtivo micæ panis triticei commiſcentur in formicas " abire: item Carnem vitulinam in fruſtra diviſam, & mori " quæ fructum albicantem dat particulas, foliis virentibus & " recentibus commiſtas, calore ſolis adminiculante, in bomby- " ces animari, trito Italorum, in defectu ovulorum hujus in- " ſecti, artificio; ſic ex ſcobe corticum quercus, quibus tin- " ctores utuntur, per incuriam, ſervorum minctu ſubinde a- " ſpersâ, tanta pulicum multitudo proceſſit, ut incolæ Do- " mus, & circum habitantes vicini angerentur conſilio deſe- " rendarum ædium; cujus facti ſe teſtem ait oculatum præfa- " tus Anonimus.

§. 32. Marcus Marci pariter in ſua defenſione Idearum adverſus Adulterinas & ſuppoſititias Ideas pag. 5. ſic habet, *Serpentem minutim conciſum aut etiam contuſum, opinor, mortuum dicent, nullum enim indicium aut veſtigium vitæ, & hæc eadem Maſſa putreſcens in novos animatur ſerpentes. quis hic Mercurius animam ex Orco reducit? Ranæ hyeme in limum reſolutæ, inde Vere novo aliæ renaſcuntur, unde hæc forma rediviva? à putredine inquiunt, ô Proteum in tot formas & mille figuras variabilem! & cum putredo non ſit anima, eam vero producat, erit ſane nobilior quam ſit anima.*

§. 33. Ad generationem hanc Inſectorum æquivocam, melius explicandam, in mentem revocanda, quæ §. 10. hujus Sectionis recenter notavi, quibus attentis, dicimus, quoties, materiæ Mundi ſubtiliſſimæ & cæleſtis, characteribus ſeminalibus fætæ, intima mundi aſpectabilis penetralia permeantis, certæ minutiæ, characteribus hujus vel illius animalis inſecti, præ aliis imbutæ, moleculas materiæ ſenſibilioris pro ſimilium generatione aptæ, tanquam ſemen inviſibile ſubin-

trant, iiſdemque tanquam matrice debita involvuntur, quidni toties, adminiculante calore ſolis, aliiſque cauſis occaſionalibus ad activorum paſſivis Juſtam debitamque applicationem conſpirantibus, in ſimili matrice ſemen hoc inviſibile ſibi æque domicilium formare non poterit, ac in ovulo ejuſdem inſecti per congreſſum fœcundato. Nec dubitandum prima animalia bruta utriuſque ſexus (Natura Archetypa in principio ſicut nunc, & ſemper cooperante) taliter in lucem prodiviſſe; adeoque primam animalium generationem fuiſſe *æquivocam*, & generationem ſimilis à ſimili ſecundum ſpeciem quam Authores *univocam* vocant, neceſſariò præceſiſſe. Tametſi igitur omnia animalia (ne homine excepto) tam ovipara quam vivipara, ex ovo naſci dicuntur, Inſecta ſæpius generatione æquivoca produci vero ſimilimum videtur.

§. 34. Miror igitur Naſutulos quoſdam è Pneumo-Coſmicorum ſecta, hæc non advertentes, tàm Peripatum quàm Recentiores cordatiores, adeo Satyrice ne dicam impudenter convellere; ideoque, quòd eorum Idolum Animam Mundi Phantaſticam ab ipſis multum quæſitam, nunquam inventam, cultu quaſi divino non venerentur.

§. 35. Præmemoratus Author Anonimus in ſua diſquiſitione Phyſico-Medica pag. 30. ſic bilem effundit. *Quis ſine perfricta fronte in talibus ſubjectis tot congeſta prius ovula, quot procedunt Inſecta, Imaginatione ſaltem aſſequi valeat?* (hoc ipſi quivis æquus arbiter libenter & pacatiſſime concedet) *cum è contra, ſi loco ſeminis corporalis ſeminificans quoddam vivum & ſpiritualiter activum ex defunctis Inſectorum myriadibus reſiduum finxeris, tota generationis æquivocæ ratio pateat, nimirum materiâ quadam aptâ ſubſtratâ, ac Solis radiis, inſtrumentalem ignem officinæ animalis accendere paratis, ſemen ſpirituale ſibi rurſus fabricat domicilium ac id ſua preſentia animat.*

§. 36.

§. 36. Non reflectit vir Anonimus ipſius tela licet obtuſa poſſe contra ipſum acui, ſic igitur retorquentur ipſius verba, quis Pneumo-Coſmicorum ſine perfricta fronte affirmabit generationem Inſectorum æquivocam non poſſe ſine Anima Mundi Phantaſtica fieri & continuari? cum e contra ſi loco ſeminis ſpiritualis in ipſius Imaginatione nidulantis, ſeminificans quoddam vivificum, materiale, ſubtiliſſimum, & activum, vi motrice & plaſtica à Natura Archetypa imbutum, adeoque minime cum extenſione vel dimenſione Mathematica prout Anonimus falsè ſupponit, confundendum, ex defunctis inſectorum Myriadibus reſiduum, ſine fictione ſuppoſuerit, tota generationis æquivocæ, quinimo & Univocæ, ratio pateat; nimirum materiâ quadam aptâ ſubſtratâ & Solis radiis, activum in officina animali involutum ad majorem & debitum motum excitare paratis, ſemen vivificum minime ſpirituale, (cooperante ac dirrigente Naturâ Archetypâ providâ & omniſciâ), ſibi rurſus fabricat domicilium, ac id ſua preſentia vivificat.

SECTIO IV.

De ſimilitudine Prolis cum Parentibus.

I° *De Similitudine ſpecifica.*

§. I.

SImilitudo Proles inter & Parentes, triplex à Phiſiologis obſervatur, ſpecifica ſilicet, individui, & ſexus, ut Proles Parentibus quoad ſpeciem ſimilis ſit, anima rationalis noviter infuſa prærequirit certam & ſpecificam ſui domicilii organiſationem quæ partim materiæ ex qua, partim ſpiritui prolifico formanti debetur, *materiæ* quidem, in quantum ovu-

lum fæmineum ſuæ ſpeciei potius quam alterius, rudimenta in ſe continet, *ſpiritui prolifico* quatenus aura ſeminalis ovulum ſubintrans & ſpiritum matris congenerem reſpective minus activum, ut dictum, in actum reducens, multo majori pollet habilitate rudimenta ovuli ſuæ ſpeciei, quam alterius, expandendi, exagitandi, & organice formandi; quæ aptitudo ex proportionata ejus copia & mole non ſecus ac minutiarum conſtituentium figura reſultat.

§. 2. Rem ita ſe habere multum confirmare videtur *primo* quòd a magnis animalibus v. g. Equo, Tauro, magna, ſeminis hinc & Auræ ſeminalis, copia correſpondens, à parvis, non niſi parva, à mediocribus, mediocris, ordinarie ſuppeditetur.

§. 3. *Secundo*, à diverſa animalis ſemen ejaculantis ſpecifica mole & activitate, diverſæ quoad ſubtilitatem & craſſitiem ſunt ipſius auræ ſeminalis moleculæ minimæ, quæ diverſam, in ovulis quæ fæcundant, & proportionatam, exigunt, molem.

§. 4. Quemadmodum majorum animalium oviparorum ova, ita viviparorum ovula paſſim obſervantur eſſe majora, rationabiliter ſupponendum, eorum rudimenta majoris etiam eſſe craſſitiei, horumque tubulos & canaliculos ruditer delineatos, licet in ovuli viſcido inviſibiles, (ob ſummam enim tenuitatem oculi licet armati aciem effugiunt) magis eſſe patulos; hinc aura ſeminalis ab exiguis animalibus v. g. Mure, ſubminiſtrata, tam ob quantitatis ſufficientis defectum, quam nimiam particularum conſtituentium tenuitatem, majorum animalium ut Equæ, vel Aſinæ ovula, debite expandere, horumque rudimenta ſufficienter evolvere minime valent; & vice verſa ingens reſpective copia tam ſeminis quam Auræ ejuſdem ſeminalis à majoribus animalibus ſuppeditata, ovuli exiguorum animalium delineationes prorſus obliteraret obrueret.

rueretque, & tubulorum exiliſſimorum rudimenta propter diſproportionem vel non intraret vel diſrumperet.

§. 5. *Tertio*, licet minimorum auram ſeminalem conſtituentium ob ſummam tenuitatem & ſubtilitatem configuratio in diverſis animalibus diverſa, ſenſuum experientia probari nequit, nemo ejus materialitatem hinc diviſibilitatem & figurabilitatem admittens, pro faciliori rerum explicatione, non rationabiliter ſupponet ejuſdem minutias in diverſis animalibus vel diverſimode figuratas, ſilicet, in una ſpecie animalis rotundas, in alia ovales, in tertia depreſſiores, vel potius, ut nonnullis placet, alias aliis, in animalibus diverſæ molis & ſpeciei, longe ſubtiliores, in aliis craſſiores eſſe & cavitatibus tubulorum, in ovulis femellarum ſuæ reſpective ſpeciei, contentorum, præ cæteris correſpondere, hinc, eos, liberius perfluendo, facilius expandere & evolvere, ut per materiam alibilem a matre ſuppeditatam de novo ſupervenientem & proxime aſſimilandam, ad debitum augmentationis & perfectionis gradum educantur; ex hac materiæ ſubſtratæ ſive ovuli recipientis & auræ ſeminalis utriuſque parentis receptæ & actuantis legitima & debita proportione in congreſſu fæcundo reſultat ſimilitudo ſpecifica.

§. 6. Ex dictis facile ratio reddi poteſt, quomodo ex congreſſu fæcundo animalium diverſæ ſpeciei ſed proportionatæ magnitudinis verbi gratia Equæ & Aſini producatur Hibrida vel tertium animal, neutrius generantis ſpeciem exacte, bene vero ex utroque participantem & commixtam, pedibus quidem & auribus Aſinum, reliquis fere Equum magis referens, Mulus nempe, in cujus generatione effectus virtutis plaſticæ utriuſque generantis abunde manifeſtatur: minutiæ enim Auræ ſeminalis Aſini, rudimenta ovuli Equæ, licet cunctanter & difficulter, ob diſproportionem quandam permeando, ſibi horum cavitates ſenſim in tantum accomodant

adaptant-

adaptantque, ut eaſdem pro Muli ab utroque generante in pluribus diverſi, formatione, ſufficienter evolvere & expandere poſſint, minime vero par eſt aura ſeminalis Aſini ut formam rudem ſeu delineationes Equi in ovulis Equæ prævie à ſpiritu ejuſdem ſeminali factam deſtruat vel obliteret, quod ſi potuiſſet, nec Equus nec Mulus ſed Aſinus fuiſſet generatus.

De Similitudine individui.

§. 7. Hæc ſimilitudinis ſpecificæ notio nobis viam ſternit ad faciliorem conceptum formandum ſimilitudinis individui, quâ proles, parentum alterutrum, eorumve conſanguineos & Anteceſſores, vultu, inceſſu, & temperamento, non raro exacte refert, abſque interventu imaginationis Matris de qua mox.

§. 8. Similitudo individualis qua proles matrem ejuſve conſanguineos præ patre refert, primæ delineationi materiæ ſubſtratæ, ovuli ſilicet, multum debetur, cui non parum ſuccenturiare videtur ſpiritùs ſeminalis matris in congreſſu fæcundo ad majorem motum excitati, activitas & habilitas Idealis, ductum propriæ organiſationis tam exacte ſequens, ut, auræ ſeminalis patris ad ſimilitudinem ſpecificam vel maxime, licet non ex integro, contribuentis, activitati, minus cedens, eidem quodammodo & quandoque in tantum præpolleat, ut ab eo in proprii ſui domicilii formatione ſpiritus Maris non raro determinetur.

§. 9. Si cum nonnullis dicas, ſimilitudinem individualem qua proles matrem præ patre, vel è contra, refert, ſoli matris geſtantis Imaginationi imputandum.

§. 10. Reſp. Matris geſtantis imaginationem haud dubie quandoque operoſam eſſe, & maximas in proprii fœtus organiſatione mutationes & impreſſiones, occaſionaliter ſaltem,

cauſa-

cauſare, quinimo ad ſimilitudinem individualem ſæpius haud parum contribuere, hoc variæ fætus ſignationes tempore geſtationis factæ multum confirmant.

§. 11. Verùm, ſimilitudo individualis in partibus fætus quæ ſub Matris Imaginationem nullatenus cadunt v. g. viſceribus internis, ut cerebro, Hepate, liene, renibus, pulmonibus &c. eodem modo in prole ſicut in Patre conſtitutis & labe hereditaria vitiatis, non ſecus ac ſimilitudo ſexus quam Matris Immaginatio mutare nequit, aliunde quam à Matris Imaginatione derivanda, prout optime inter alios notat Philippus Verhyen in ſuo ſupplemento Anatomico.

§. 12. Inſuper Proles non raro à ſenibus grandævis obſervatur, avis & atavis utriuſque Parentis à matre geſtante nunquam viſis nec notis, de quibus conſequenter nihil durante geſtatione immaginata eſt, per omnia in vultu, corporis habitu, & moribus, ſimilis; quæ ſimilitudo, effectus à geſtantis Imaginatione vel phiſice vel moraliter reſultans, nequaquam dicenda.

§. 13. Similitudo Prolis cum Patre ejuſve Majoribus abſque virium imaginationis interventu, altioris eſt indaginis; pro cujus faciliori & clariori conceptu, cum hæc ſub ſenſum minime cadant, rationabiliter cum Cl. Verhyen ſupponendum 1°. Auram ſeminalem non tantum in animalibus diverſæ ſpeciei, diverſam eſſe, verùm etiam probabiliſſime in individuis ejuſdem ſpeciei, copia, figura, & quantitate aliquatenus ſaltem differre; & ab Auræ ſeminalis in individuis ejuſdem ſpeciei, diverſitate, ſimilitudinem morum generantis & geniti quoad agilitatem, generoſitatem, magnanimitatem imò & corporis magnitudinem, ſi non unice ſaltem principaliter forte derivandam.

§. 14 *Secundò*, Licet fluidum cerebroſum & cerebelloſum ſive ſpiritus Animales pro maxima minimorum conſtituentium

tium parte ejuſdem ſint in eodem individuo rationis quoad figuram & magnitudinem, ut modo hos, modo illos meatus & porulos indifferenter perfluere valeant, horum aliquos præ aliis, ſingulis partibus magis accomodatos, atque uni illarum magis quam alteri conformes, ut melius per moleculas Cerebri & Cerebelli vaſculoſo-glanduloſas, fibrillis nerveis ad eandem partem excurrentibus, magis correſpondentes ſequeſtrari poſſunt.

§. 15. Hoc ut melius illuſtretur cum Verhyen ſupponamus in ſanguine dari quaſdam particulas ſubtiliores, ſeu ſpiritus magis proportionatos, qui renum v. g. quam aliarum partium ſubſtantiam permeant, quique conformiter etiam facilius per illas cerebri glandulas ſequeſtrantur, quibus fibrillæ nerveæ ad renes tendentes, adjacent.

§. 16. *Tertio*, Inter dictas cerebri moleculas tam corticales quam medullares, & partes genitales, tantum eſſe conſenſum & communicationem, ut data occaſione ſpiritus ad renes vel aliud viſcus ordinarie tendentes, fibras queant illarum partium declinare, & ad nutum (quaſi) generantis fortiter durante congreſſu venereo de ſeminis in vas debitum ejaculatione imaginantis, in partes genitales determinari, ſemini elaborato immiſceri, & ab eodem, congenere, taliter characteriſari, ut auræ ſeminalis rationem & naturam induat.

§. 17. Spiritus, inquam, qui alioquin ad reliquas partes confluxiſſent, hic & nunc, vel maxime in congreſſu venereo ad partes genitales advolare, ſatis (ni fallor) ſuperque demonſtrat languor & debilitas quam patiuntur & experiuntur tam juvenes quam adultiores, qui ſe nimis frequenter in paleſtra Venerea exercent; emiſſo enim per actus ſæpius iteratos ſemine, non ſolum organa generationi dicata languent & flacceſcunt, verum etiam totum corpus labefactum ſentitur & e-

ner-

nervatum, hinc pleraque animalia poſt coitum triſtia dicuntur, quod ſolæ deperditioni ſeminis antea in teſtibus & capſulis ſeminalibus contenti & elaborati minime attribuendum, cùm experimur viros robuſtiores, uxoratos, Veneri moderate indulgentes, quoties ſemen ſuperabundans & nimis orgaſticum evacuant, toties, alacriores fieri & animo tranquilliores; dicta ergo totius corporis debilitatio, deperditionis ſpirituum, illarum partium & viſcerum quæ coitu peracto languent, & non ſolius ſpermatis antea elaborati, & cocti, productum & conſectarium eſt, cujus non pauci poſt Hipocratem memores ſunt, dum dicunt *ſemen à toto corpore deciduum.*

§. 18. Hiſce præſuppoſitis, haud adeo difficulter concipitur prolem vel in toto corpore toti patris corpori, vel aliqua determinata parte, parti patris extraordinario (ſupponamus) configuratæ correſpondere, ut ſi Pater qui naſi ſit adunci vel aquilini prolem ſimili naſo ornatum procreet; quippe cum ſpiritus Genitoris animales in cerebri moleculis, naſo, (idem eſto judicium de quibuſvis aliis corporis partibus) per nervorum conſenſum correſpondentibus, ad genitalia in coitu fæcundo declinantes & determinati, auræ ſeminalis charactere, ut dictum ſignentur, & ad ovuli fæcundati rudimenta ſibi magis conformia v. g. delineamenta Naſi, fætus formandi, præ cæteris ob ſummam utriuſque proportionem advolent, eadem ſtatim expandere, evolvere, & formare inchoant, quinimo, ad ſimilitudinem naſi Patris extraordinariò configurati, juſto magis, (vel minus) dilatando, characterem ſibi impreſſum in ovuli rudimentis pro naſo fætus deſtinatis, cujuſvis impreſſionis præſertim fortioris ob mollitiem ſuſcetibilibus imprimunt; niſi (quod non raro evenit) aliquod ſit obſtaculum, vel à Matris Geſtantis imaginatione fortiori & conſtanti, vel ab activitate ſpiritus genitalis ovuli, quaſi in-

 colæ,

colæ, quandoque totum corpus quandoque certas partes , Matri ejuſvis conſanguineis aſſimilantis, una multum contribuente prævia ovuli à ſpiritu Matris (ut dictum) rudi delineatione, characteriſationi individuali auræ ſeminalis maris reſpective non raro languidioris, minus cedente.

§. 19. Hanc filii, proprio genitori aſſimilationem individualem non tantum in externis verum etiam in internorum viſcerum conſtitutione locum habere, rationi maxime conſentaneum, hinc etiam facilius concipere poſſumus, cur podagricus à podagrico confirmato, calculoſus à calculoſo, & pthiſicus à pthiſico, frequenter procreatur, & cur morbi Hereditarii à parentibus valetudinariis utriuſque ſexus in proles imo ſeros nepotes per traducem implantenrur, quia proles habent, pectus, pulmones, renes, articulos, aliave dictorum morborum ſubjecta pari modo, quo, Parentum, non raro conformatos.

§. 20. His accedit craſis ſeminalis ſpiritûs, utriuſque, vel alterutrius Parentis, plaſtici, charactere, in horum uno, podagrico, in alio, calculoſo, in tertio, pthiſico, & ſic de aliis, ſignati, in ovulo fæcundo, fætus machinam, formantis, labefactata & vitiata.

§. 21. Sanguinis enim minutiæ ſubtiliores, per renes vel articulos parentis calculoſi vel podagrici labefactatos, permeantes, haud dubie in craſi ſua plus minus vitiantur, quæ Lege circulationis ad cerebri corticem una cum reliqua maſſa quam etiam inficiunt, delatæ, facilius per illas cerebri moleculas vaſculoſo-glanduloſas, quibus fibrillæ medullares conſtituentes nervos, ad renes, articulos, vel pulmones tendentes, adjacent, quaſque in tranſitu labefactant, quam per alias ſequeſtrantur; unde & ſpiritus ſequeſtrati, & partis cerebri vel cerebelli corticalis ſequeſtrantis, labes, indies, accedentibus cau-

ſis

ſis occaſionalibus, magis magiſque augetur; qualis enim, ſanguinis, talis & fluidi cerebroſi, nec non è contra, diſpoſitio.

§. 22. Hiſce perſpectis, portio ſpirituum in craſi leſorum ad partes genitales in congreſſu venereo à tramite ordinario, (ut ante dictum) declinantium, ovulum ſubintrans, ibidem rudimenta ſibi magis conformia præ cæteris perfluit, ejuſque tubulos prævie ruditer delineatos vel nimis æquo dilatat vel ob inſufficientiam activitatis eos non ſufficienter expandens, cavitates plures obliterari in tantum ſinit, ut pro diverſitate partis vel viſceris in prima ſua conformatione leſi, diverſæ exurgunt morboſæ diſpoſitiones nobis innatæ quæ tanquam characteres quaſi indelebiles, accedente cauſa occaſionali, morbos parentum in Proles & Nepotes hereditariè inducunt.

3° *De Similitudine ſexus.*

§. 23. Unde ſimilitudo ſexus proveniat qua Proles Maſcula Patrem, fæmella Matrem quoad generationis organa refert, paululum inquirendum; Traduciani aſſerentes fæminam pure paſſive in ſui ſimilis generatione concurrere, exhibendo materiam quaſi mortuam & minime ante coitum fæcundum delineatam, nullam, nedum probabilem diverſi ſexus cauſam, aſſignare videntur, hinc de ſexus cauſa quaſi ſilent, nec eam in imaginationem Patris generantis vel Matris geſtantis refundere poſſunt, cum res facti ſit ab omnibus unanimiter accepta & recepta, Matrem, quæ non ſecus ac Pater, continuo ac ſummo deſiderio Prolem maſculam ſæpius affectat, fæmellam, ſingulis partibus perfectam, & è contra, in lucem edere, adeoque nec Matris concipientis & geſtantis, nec Patris generantis imaginationem quantumvis fortem ſexum ullatenus immutare poſſe.

§. 24. Antequam Creatianorum placita de cauſa ſimilitudinis ſexus examinaverimus, prænotandum ante Harvei celeberrimi tempora,tam VV. quam RR plerosque Medicos materiam à fæmina in generatione ſuppeditatam quam ſperma muliebre nominarunt, fluidam æque ac ſperma virile, agnoviſſe; eamque in forma fluida cum ſpermate virili commixtam, ad uterum in congreſſu fæcundo pervenire, & facta conceptione membranas utrumque ſperma commixtum involventes primo produci prætendunt, hancque contendunt fuiſſe Hipocratis ſententiam lib. *de natura Pueri* allegantis, hiſtoriam de cantatrice, quæ genituram ſex dierum, ſepties in terram exſiliens, oviformem excuſſit.

§. 25. Ab Harvei vero temporibus plerique ſi non omnes ſperma muliebre fluidum quidem ſed ante fæcundationem membranis tenuibus incluſum, ovulum formare, unanimiter conveniunt, & in hac ovuli forma poſt fæcundationem ad uterum, ex ovariorum ſive teſtium muliebrium uno, deferri, declararunt, ac per obſervationes tam Harvei hunc in finem collectas, quam celeberrimi Ruiſchii & aliorum ſatis ſuperque demonſtrârunt; hinc hominem ſicut omne animal, ex ovo naſci, comune hodiedum eſt Medicorum dicterium.

§. 26. An Ovarium Muliebre novum, in Uteri cervicis facie interna à Domino Naboth Lipſienſium Profeſſore & aliàs Anatomico celebri & perito magis quæſitum quam inventum, cujus ſententiæ, perpauci, inter quos Fridericus Hoffmannus in ſua Medicina rationali ſyſtematica, tom. 1. pag. 242. ſubſcribunt, an potius vulgo Habita bina ovaria prope uteri fundum cui connectuntur, ſita, ſecundum prævias Harvei aliorumque plurium obſervationes pro veris ovariis vera ovula generationi apta continentibus, habenda, judicent ſolertiores Anatomici. contentus pro hac vice brevibus aſſerere, novi

hujus

hujus aſſerti infirmitatem ab accuratiſſimo & curioſiſſimo Ruſchio abunde detectam in ſua nervoſa reſponſione ad Epiſtolam problematicam Etmulleri quam Vir Clariſſimus in *Adverſariorum Anatomicorum &c.* Decade 1. Amſtelodami impreſſa pag. 4ta inſeruit; hujus enim aſſenſus vel diſſenſus, ad quæſtionis preſentis & inter phiſiologos controverſæ deciſionem, parum imo nihil contribuit. Hiſce prænotatis.

§. 27. Creatiani non pauci, & olim & hodiedum, inter quos numeratur ſæpius memoratus Hoffmannus in ſua Medicina rationali ſyſtematica Tom. 1. pag. 240. dicens *neque tantum in minutiſſima genituræ virilis portione ſed in quovis fæminæ ovulo integra corporis organici ſtructura ut ut maxime exigua latitat* hi inquam contendunt toties Marem fieri, quoties auræ ſeminalis corpuſcula minima ſecundum ipſos organica, majori polleant motu & activitate quam ea, quæ in ovulo nondum fæcundato continentur, è contra femellam gigni ſi major ſit activitas in minimis colliquamenti, ovulo incluſis.

§. 28. Huic ſententiæ, (ajunt) Hipocrates, quem etiam Fridericus Hoffmannus pag. 24. citat, multum favere videtur, qui in libro de genitura prodit, *Marem generari ſi ſemen viri fortius & fæminæ debilius, fæminam vero naſci quando ſemen maris debilius & fæminæ fortius eſt.* Inſuper in calce præcedentis paginæ ſic ratiocinatur Hoffmannus *niſi in ovulo* (nondum ſilicet fæcundato) *ipſa ſtamina & prima rudimenta femellæ continerentur, nulla ratio apparet qua ex virili ſemine fæmininum corpus diverſis generationis organis donatum poſſit prodire.*

§. 28. Verùm, pace doctiſſimorum Modernorum præſertim prævias ovulorum ante congreſſum fæcundum delineationes admittentium, ſi ſpermatis virilis aura tantummodo ſeminalis, ovulum in coitu fæcundo ſubintret, idque ad generationis motum excitet & actuet, ſolaque Mater materiam ſub-

ſubſtratam generationi aptam ruditerque delineatam ſubminiſtret ſuppeditetque; tametſi non facile inficiandum, minutiſſimæ, auræ ſeminalis maſculæ, moleculæ ad ovulum fæcundandum aptæ & ſufficienti, characterem ſive Ideam corporis humani formatricem ineſſe; (idem eſto de ſpiritu genitali fæmellæ Judicium) quam, ſi Ideam activam nominare velis, per me licet; non ſatis aſſequor, quî, ſtructura machinæ corporis organici, fætus, utpote ejuſdem extructæ, & non ſpiritus ſeminalis extruentis vel formantis, modus, in minutiſſima parte virilis Auræ ſeminalis non paſſive ſed active, ſecundum modernos, in fætus generatione concurrentis latitare poteſt; idea enim characteriſans in ſemine maris cum ſtructura corporis Organici fætus minime confundenda.

§. 30. Et ſi diverſitas ſexus in partium quæ huic vel illi ſexui propriæ ſunt diverſa ſtructurâ conſiſtat, harumque rudimenta ante adventum Auræ ſeminalis, fatente Hoffmanno, præextiterint, multo minus apparet ſicut optime notat Philippus Verhyen, qua virtute ſpiritus Maris omnia tam exacte contra primam ordinationem poſſit effingere, ut ex lineamentis partium genitalium fæmellæ, partes maris, aut vice verſa conficeret, & cur eadem potentia non produceret ex rudimentis cordis, v. g. Hepar, ex Hepatis, cor, ex renibus veſicam Urinariam, & ſimilium plura, quæ non videntur minorem habere inter ſe ſimilitudinem, quam partes genitales diverſi ſexus; vel quare pater vegetus, robuſtus, & quadratus, cum Uxore debili tenera & valetudinaria prolem maſculam, & parens debilis cum fæmina robuſtiore, calidâ, & Sanâ, prolem femellam non ſemper procreat; cujus tamen contrarium quotidiana experientia ſatis ſuperque evincit.

§. 31. Similitudo igitur ſexus videtur tota deberi materiæ ſubſtratæ, ſeu rudimentis partium genitalium utriuſque ſexus, ovulo ante ſpiritus maris adventum, præexiſtentibus,

bus, hancque primam licet rudem membrorum fœtus delineationem à natura Archetypa, in prima mulieris productione fuiſſe formatam, modernorum Phiſiologorum non pauci ſentiunt.

§. 32. Sic dum ex Coſta Adæ Protoparentis formavit Deus Evam in ea ſimul plura formavit ovula, quorum alia maſculini, alia fœminei ſexus continebant rudimenta; nec iiſdem abſurdum videtur ſupponere ovulis ſexus fœminei, rurſus involvi alias utriuſque ſexus Ideas ſive characteres ſeminales, vel ſi mavis moleculas charactere utriuſque ſexus ſeminali imbutas nobis indefinitas, (& ſic ulterius concipiendum uſque ad minutiarum minimam quaſi atomum, viribus Naturæ inſectilem, ſimili charactere ornatam) quæ, accedentibus cauſis occaſionalibus & cooperante Natura Archetypa, ſimilium congenerum nexu conſociatæ in Mulieribus poſteris quaſi ex Chao evolvuntur, & in ovuli maturi colliquamento ſexum modo maſculinum modo fæmineum præpollere & formari faciunt; adeoque totius poſteritatis delineationem in prima parente præextitiſſe veroſimilimum videtur. Verum cum Hipotheſiſtam agere nolim, cuivis in hac materia utpote nullis obſervationibus vel experimentis Anatomico-Phiſicis vel Mechanico-Chimicis demonſtrabili, opinandi libertatem intactam relinquens, concludo uſque dum meliora edoctus rudimenta Genitalium ſicut & aliarum, corporis fætus, partium, ovulo, ante ſpiritus maris, qui ſexum immutare nequit, adventum, præextitiſſe.

SEC-

SECTIO V.

De Signaturis Fœtuum.

§. I.

QUandoquidem inter omnes Effectus, in quibus Imaginationis vires maxime vigent & potentius frequentiuſque operantur, ſignaturæ fætus à Matris geſtantis Imaginatione impreſſæ, principaliores jure merito cenſentur, ſupereſt adhuc indagandum qua ratione geſtantis Imaginatio fætui proprio notas imprimat, ad quam quæſtionem licet intricatam, eruendam, prægreſſorum de ſimilitudine prolis cum parentibus notio, nos (quantum auguror) quaſi manuducit; multis harum Exemplis & hiſtoriis, quorum plura citant Senertus, Fienus in Act. Naturæ Curioſ. & Marcus Marci noſter, Lectorem Benevolum, quem ad hos Aurhores ablegamus, fatigare nolo; pauca ſolummodo pro meliori & faciliori difficultatis enodatione recenſebo.

§. 2. Docent exempla plebeis & mulierculis nota, ſi mus, glis, ſciurus, aliudve ſimile animalculum in gravidam ſubito & inopinanter inſiliat, aut fructus v. g. pyrum ex arbore deciduum ſuper collum vel aliam corporis partem cadat, vel eidem ſpatianti ex improviſo obviam veniat lepus curſitans, vel homo ore leporino deformatus, fætum non raro in lucem prodire ejuſmodi rei figura ſignatum, præſertim ſi gravida ſit puſillanimis, facile terrefiat, & paſſionibus nimis indulgeat, idem etiam ſæpius contingit, ſi gravida cibum aliquem, ut peraſonem, pyra, ceraſa, fraga, piſces, &c. impenſe deſideret, cujus cito, vel quamdiu diuturniori & non vulgari appetitu eidem inhiet, non fuit facta particeps.

§. 3.

§. 3. Similis ſed magis ſingularis fœtus ſignaturæ Hiſtoriam ex Marco Marci in libro de Ideæ operatricis Ideâ cap. 5. de Viribus Imaginationis depromptam, hic referre haud inconſultum puto. " Alia mulier mercenaria, & ipſa gravida, " menſæ cum reliqua familia aſſidebat, avideque de capite " piſcis, dicti Carpionis, veſcebatur; verum ab irata coqua ſuperveniente quæ illam partem ſibi deſtinaverat acrius ob- " jurgata, & pudore affecta, in patinam rejecit ambeſum " piſcem; tametſi vero Ancilla ducta pænitentia facti, & in- " urbanæ reprehenſionis, quòd utero gravem cerneret, ad " eſum poſtea hortaretur; non tamen perſvaſit, obſtante " pudore, & doloris acerbitate, quo minus cupiditati obſe- " queretur; ſurrexit igitur incænata, & ſupramodum triſtis, " neque ſine lachrymis, cubitoque caput innixa aſſiduò piſ- " cem illum meditabatur. Accidit vero illa pariente longè " triſtius ſpectaculum: nam caput infantuli non prorſus hu- " manum ſed ex dimidio piſcem referens viſebatur, illa ni- " mirum parte, quæ cubito, matre innitente fuerat compreſ- " ſa; ita ut ipſum quoque os in duo ſemiora, in parteſque " ori humano, & quale carpioni, aſſimiles divideretur; quin " & color cyaneus, & ſquamarum ſimilitudo, eidem ineſſet. Hæc Marcus Marci.

§. 4. Horum & ſimilium non minus admirandorum quam abſtruſorum effectuum explicationem ſufficientem, &, curioſi animum, quietantem, hactenus dedit nemo, multo enim difficilius videtur rationem reddere, cur occaſione Imaginationis gravidarum partes & organa fœtus jam aliquatenus firmata, immutentur, fœtuſque notis cum utroque parente nullam ſimilitudinem habentibus ſignetur, quàm, ſimilitudinem ſpecificam & individualem prolis cum parentibus explicare; ne tamen tam notabilem ſpiritus ſeminalis & prolifici in fœtu, à recto

tramite & debitæ organiſationis ductu deviationem, Phiſici conſideratione utique dignam prorſus intactam relinquamus, veniam, ut ſpero, facile impetrabimus, ſi tam admirandi effectus rationem ſaltem valde probabilem hactenusque recenſitis ſat conformem, inveniamus.

§. 5. Pro majori dicendorum illuſtratione, obſervandum primo, ejuſmodi notas & ſtigmata non ſimplici aut quovis Imaginationis actu imprimi, aliter vix unus inter mille non ſignatus in lucem prodiret, actus igitur Imaginationis ad fætus ſignaturam vel maxime contribuens videtur ille, qui certum aliquod animi pathema adjunctum habet, quod potiſſimum ad terrorem inopinatum, vel deſiderium ardens referendum eſt, una multum conſpirante intenſa ac diuturniore, vel ſæpius iterata, rei repreſentatæ cujus figura fætui imprimitur, contemplatione.

§. 6. Notandum 2dò. Nulla geſtantis Imaginatione fætui notas vel ſtigmata imprimi poſſe, niſi à gravida ad fætum, aliquid, ipſius occaſione tranſmittatur communiceturque; ad hoc ſpiritus animales tanquam propria animæ Imaginantis inſtrumenta præ aliis noſtri Corporis fluidis aptiſſimi cenſentur, juxta omnes, ſubtiliſſimum fluidum cerebroſum, cerebelloſum, & Nerveum admittentes, quos à ſpiritibus animalibus nequaquam diſtinguo.

§. 7. Notandum 3o. Rationabiliſſimum videri, ſpiritus, impreſſionem à ſenſibili externo valde grato vel ingrato recipientes, occaſione Imaginationis à gravi animi pathemate depravatæ, de novo aliter quam ordinarie characteriſari, & characteriſatos à Cerebro per medullam ſpinalem ac nervos ad uterum transferri, indeque ulterius ad fætum transmigrare, mediante placenta uterina & funiculo umbilicali, vaſis copioſiſſimis, hinc neceſſario & nervis, ſat proviſis; de his utpote nondum ſufficienter, prout optime notat Clar. Verhien,

hien, Anatomicorum induſtria detectis, ſilent plures Anatomici, aliter circulus ſanguinis in, & mediante placenta Uterina, quæ à quibuſdam pulmo uterinus audit, à fætu ad Matrem & viciſſim, æque ac in pulmonibus neceſſarius, implicaret.

§. 8. Notandum 4to. dum affectus ſeu deſiderium intenditur, ſpiritus continuo ad iſtum locum ſenſorii communis quo res deſideratæ repreſentantur, magis magiſque ad nutum animæ imaginantis deducuntur, confluuntque; è contra in terrore à loco in quo fit rei terrentis repreſentatio ſubito diſturbantur, licet per iteratam & frequentem rei ingratæ recordationem denuo ad ſenſorium commune deducuntur; ex quo inferendum, ſubſequentem ſpirituum determinationem ad uterum non eſſe directe & abſolute voluntariam, cùm anima gravidæ fortiter imaginans, eam directe impedire nequeat, illam vero in preſenti caſu poſſe dici conſecutive, occaſionaliter, & indirecte voluntariam, quatenus Anima ut ſentiens & imaginans voluntarie plerumque ſequitur propenſionem naturalem quam habet ad rem ut ſibi gratam & convenientem affectu proſequendam, & ingratam averſione fugiendam, quæ in gravidâ nervos à cerebro ad Uterum ſolito magis conniventes & patulos habente, majori ſpirituum ut dictum characteriſatorum ad uterum determinationi motuique velociori non levem dant occaſionem.

§. 9. Hactenus nobiſcum concordes Traduciani, præſertim qui ſpiritus animales nobis ineſſe profitentur, verum de modo, quo, mediantibus ſpiritibus, fætus nævis notiſque in utero ſignatur, multum diſcordes; hi enim contendunt nævos & notas quibus fætus in utero ſignatur, remote tantum à Matris Imaginatione ſpirituumque ad Uterum hinc ad fætum determinatione fieri; ipſam vero fætus animam certis Ideis in ſe, occaſione Idearum Matris quibus afficitur, formatis, in tan-

tum affici, ut iiſdem mediantibus, in proprio corpuſculo tenello quod ſibi tanquam domicilium efformat facile & immediate talem ſignaturam imprimit, qualis in matris Imaginantis Idea repreſentatur, eoque fortius, quo copioſius & vividius, ſpiritus matris una cum alimento fætui ſuppeditato perpetuò in Uterum hinc in fætum impelluntur determinanturque.

§. 10. Ad hæc non parum conſpirant (ajunt) magna correſpondentia & harmonia inter ſpecifice & individualiter ſimilia, inter ſpiritum & ſpiritum, præſertim inter animam matris, & fætûs eodem corpore clauſi, eadem quaſi carne veſtiti, eodem nutrimento aliti, & eodem fere ſanguinis circulo gaudentis; hinc prætendunt animam fætus jure vicinitatis, ſimilitudinis, & harmoniæ facilime *obſervare*, *percipere*, *& recipere* omnes actus & motus qui fiunt ab anima matris, iisdemque, qui circa ipſum in utero matris fiunt, ſpecialius & in tantum affici, ut animam ejus diſponant & dirrigant ad explicandam & pertexendam Ideam hanc de novo occaſione Imaginationis matris formatam, magis quam primitivam ſibi originaliter connatam & naturalem, quæ licet in totum deleri & demi non poteſt, poteſt tamen adeo ſupprimi, aut, ut alii vocant, ſeduci facultas conformatrix, ut non tantum ab opere incepto deſiſtens, revocata, interturbata, ſed etiam prorſus ad depravationem uſque, in motus, & eos pertrahi errores, qui has vel illas turpes & erroneas inurant fætui notas. Vide Diſſertationem Inauguralem Medicam de Viribus Imaginationis in hac alma Univerſitate Anno 1724. publicè defenſam, à Doctiſſimo Viro Domino Antonio Franciſco Ering, ſub Præſidio piè Defuncti inſignis Domini Profeſſoris Geelhauſen pag. 30. & 31.

§. 11. *Regeritur*, maximam & quidem tantam tamque efficacem eſſe connexionem, ſympathiam, & vicinitatem inter matrem

matrem geſtantem propriumque fœtum, ut ſi non eſſet, fœtus viribus Imaginationis depravatæ, gravidæ matris, nequaquam ſignari poterit, omnes, quotquot ſcio, uno ore affirmant, verum Cardo difficultatis in hac Traducianorum ſententia quam ſpecioſe proponunt, propoſitionis vero rationem ſolidamque confirmationem haud quaquam reddunt, in duobus vel maxime punctis conſiſtere videtur, quorum 1^m^ an Anima fœtus facillime vel ullatenus poteſt *obſervare, percipere, & immediate recipere* omnes actus & motus qui fiunt ab anima matris geſtantis, 2^dum^ An, in anima fœtus ſignati, formantur certæ Ideæ mediantibus quibus in proprio corpore ſignaturam talem format, qualis in matris imaginantis Idea repreſentatur.

§. 12. Præter hactenus in ſerie hujus meæ diſſertationis præſertim cap. 9. Sectione 2. de Activitate animæ rationalis corpori unitæ, item Sect. 3. cap. 11. notata, cùm, intima noſtra conſcientia nobis dictet, ſanguinem, nobis neſciis, fluere per venas & arterias, chilum per vaſa lactea, prout optime notat Hermannus Boerhave, fluidum Cerebroſum & Cerebelloſum per Nervos irradiare, ipſumque ſanguinis circulum à corde ad Peripheriam & viciſſim; nos, uſque ad Harvei tempora latuiſſe, doceri cupio, cui ſolido fundamento innituntur Traduciani affirmantes ſed minime hactenus confirmantes, animam fœtus, cujus organa ſenſui & motui dicata ſunt imperfecta & ſemiformata, facillime *obſervare, percipere, & recipere* omnes actus & motus qui fiunt ab anima Matris etiam neſcientis, quomodo fœtus in utero concipitur, per quas vias nutritur, multoque minus, an, & quomodo, fœtus viribus ſuæ imaginationis, ſignatur, quorum motuum fœtus in lucem editus, poſtmodum adultus, plenæque rationis uſu fruens, nec non omnia organa completa habens & perfecte formata, prorſus neſcius; uſque dum per reflexum ratiocinium in horum cauſas in-

inquirens, magno ſtudio & improbo labore impenſo, *probabiles* tantummodo & vaccillantes horum ſicut & aliorum plurium conjecturas & rationes cum magno ſemper erroris formidine acquirit, *probabiles* inquam, hoc, ni fallor, diverſa Authorum inter ſe de modo conceptionis, Imaginationis viribus & effectu, pluribusque aliis Naturæ Phænominibus diſſentientium placita & Hypotheſes ſatis ſuperque confirmant; de rebus enim invicte demonſtratis nullum inter literatos diſſidium; exemplum ſit ſanguinis circulus quem veteres ob ſufficientis Anatomiæ & obſervationum defectum ignorârunt, hodiedum nemine, niſi forte Logomachiis paſto, contradicente, univerſaliter agnitus; idem de Hiſtorica Medicinæ parte licet nondum completa nec omnibus numeris abſoluta ſentiendum. Hiſce attentis, ſi ipſorum aſſertum locum habeat, fætus, in utero, rationis usûs deſtitutus, magis eſt *prudens, ſapiens, & intelligens* magiſque Naturæ latifundia, intellectus ſui acie penetrat, quam idem neonatus, adultus, plenoque rationis & judicii uſu pollens.

§. 13. Confirmatur, cùm nihil ſcire aut opinari dicatur homo ſive rudis ſive doctus, cujus ſcientiæ & opinionis ſpecimina proportionata dare nequit; cur enim concludimus indoctum non eſſe doctum, fatuum non eſſe mentis compotem, perfecte cæcum non videre, plantam non ſentire, nec locomoveri, niſi quia indoctus ſuæ doctrinæ, fatuus ſui judicii, cæcus viſionis, vel planta ſenſus & locomotionis nulla dant vel dare poſſunt ſpecimina; appello ad ipſos Traducianos, an anima fætus in utero, rationis ut dictum & diſcurſus ob organorum imperfectionem & debilitatem impos, unquam hucuſque dedit vel dare poteſt, plusquam planta, ſuæ, Idearum & motuum matris, propriæve generationis vel ſignationis *ſcientiæ, perceptionis*, vel *obſervationis*, ſpecimina; perplurima quidem ſuæ eorum neſcientiæ, quotidie nobis exhibet; adeo-

adeoque nude hæc aſſerendo & non confirmando, literato Orbi (ni fallor) imponunt, nec advertunt magnam fieri petitionem principii cui nondum ſatisfecerunt nec unquam, ſatisfacient.

§. 14. Idearum, & motuum matris naturalium, ſicut propriorum perceptione fætui denegata, nemo non videt, eum, Ideas in ſua anima, matris Ideis conformes minime formare poſſe, quoniam ad earum formationem neceſſariò prærequiritur Ideæ Exemplaris perceptio; nec ab anima matris in fætus anima immediate formantur, cum nullatenus fætûs animam quamdiu corpori unitam immediate afficere, multoque minus Ideam ſignaturæ in eadem formare poſſit; nullius enim figuræ vel ſignaturæ materialis, vel alterius rei ſenſibilis perceptio in anima fieri poteſt quæ non prius mediante ſenſu fit, hujus optime meminit magnus Stagirita cum dixit, *nihil*, ſaltem materiale, *eſt in intellectu, quod prius non fuerit in ſenſu.*

§ 15. Si dicant animam fætus, mediantibus propriis ſpiritibus, Idea rei gratæ vel ingratæ Imaginationi matris repreſentatæ ſufficienter affici, affectamque Ideas, matris Ideis conformes, formare, fit circulus vitioſus, doceant enim & demonſtrent primo, fætûs animam, functiones proprias & matris naturales percipere, quâ denegatâ quivis fatebitur prorſus implicare, animam fætus ab iiſdem cum perceptione affici, quæ eſt *conditio ſine qua non* ad Ideæ novæ formationem requiſita; adeoque ſecundum difficultatis punctum tantæ cautioni, quantum, primum, ſubjectum, æquè, infirmiſſimo ſtat talo. Hiſce attentis, evidens videtur ſignaturam fætus, cui Imaginatio matris puſillanimis depravata occaſionem haud dubie dat, minime ab anima fætus in proprio corpuſculo fieri.

§. 16. Concludendum igitur ſpiritus animales geſtantis puſillanimis & meditabundæ tám à re ſenſibili grata vel ingrata viſâ, quám, occaſione Imaginationis cui hæc repreſentatur, cha-

characteriſatos, & ad uterum, hinc per nervos ad fœtum transmiſſos, ſignaturæ, in corpore fœtus tenello, impreſſionis facile ſuſceptibili, cauſas eſſe immediatas, modus verò quo ſignaturam in fœtu formant, conceptu non adeo facilis.

§. 17. Ut hoc facilius illuſtretur 1° Examinandum quî fœtus per matris deſiderium ſignetur, deinde quomodo per terrorem; hiſce attentis, rei alicujus figura quam gravida intenſe deſiderat fœtui ſequenti modo imprimi videtur, dum anima matris rem gratam libenter contemplans ſibi multum complacet, eo uberius ea, ſpiritus a ſenſibilis externi impreſſione, in ſenſibus externis v.g. oculo, hinc & internis, factâ, modificatos & characteriſatos, in ſenſorio communi & phantaſiæ ſede ad eandem rem perfectius & conſtanter contemplandam ita copioſe determinat, ut ſpiritus ſupervenientes, alios præexiſtentes à quibus etiam characteriſantur, è ſtatione ſua dejiciant, qui inde in nervos magis patulos magiſque conniventes, quales tempore geſtationis ſunt uterini, facile ruunt. Ob continuam enim & copioſam liquidi nutritii ſequeſtrationem, multi ſpiritus haud dubie per præfatos nervos in uterum, hinc in fœtum, continuo fluere & transmitti ſolent; ita tamen ut prædicti ſpiritus præter motum progreſſivum & translatorium ordinarium, impreſſionem ſive characterem, à ſenſibilis externi figurâ, impreſſum, quô, in ſenſorio communi rem deſideratam repreſentabant, ad huc retineant, quem deinde tenello Embryonis corpuſculo, inſtar ceræ impreſſionis facile ſuſceptibili, imprimunt; ſpirituſque fœtus Genitores & congeneres, quos characteriſant in ſimilem motum rapiunt, & à regulari organiſationis ductu & tramite in certis corporis partibus modo magis, modo minus divertunt, eoque certius & efficacius, ſi mater Imaginans, rem gratam & ardenter deſideratam continuó, vel iteratò, & cum anxietate quadam contempletur, ſine hoc, fœtus tali nota raro

ſignari

ſignari obſervatur, ideo quod, animâ non fortiter contemplante, tanta ſpirituum copia ad eandem ſenſorii communis partem non confluit, quanta requiritur ut alii alios, inde, in nervos patentiores protrudant.

§. 18. In nimio & ſubito terrore, geſtantis anima rei ingratæ repreſentationi ſubito factæ ſtatim in tantum reluctatur, ut ſpiritus ſubito & fortiter tam à ſenſibili externo ingrato cujus figuram ilico repreſentant, quam occaſione Imaginationis ſubito percipientis & repreſentationi reluctantis, characteriſati, ſenſorium commune ad nutum animæ Imaginantis mox deſerere coacti, pariter per nervos ad fætum citius quam in nimio deſiderio, determinantur; hinc ſolus & brevis terror abſque contemplatione diuturniori quandoque ſufficit, ut fætus rei repreſentatæ figura ſignetur, præſertim ſi geſtans ſit puſillanimis, ſi vero iterata fiat rei ingratæ recordatio eo fortior & certior fit ſignatura.

§. 19. Adhuc ſupereſt explicare, cur fætus ſæpe in corporis ſui parte, parti à gravida perterrita & triſti, vel, à nimia cupiditate, impatiente & tetricâ in ſuo corpore tactæ, correſpondente, ſignetur; ut ſi mulier gravida cubiculo vel domo egrediens, curſitanti muriculo vel ſciuro obvians terrefiat, & terrefacta ſuas genas vel collum tetigerit, fætus imagine muris vel ſciuri potius in genis vel collo, quam alia corporis parte ſignatus in lucem prodit; idem ſæpius accidit, ſi mus aut fructus vel in ipſam projectus, vel ab alto decidens, geſtantis terrefactæ genas, brachium, aliamve corporis partem ſubito tangat. hiſtoria ſignaturæ, caput Carpionis, referentis, in eodem capitis & vultus infantis latere, lateri quo mater geſtans manu caput ſuffulſit, correſpondente, impreſſæ, ex Marco Marci §. 3. citata, huc referenda.

§. 20. Hæc cum Clar. Verhyen fieri exiſtimo ob ſimilem rationem, qua Sect. 4. hujus Capitis dixi certas partes fætus

v. g. naſum vel mentum, ſæpe majorem ſimilitudinem cum naſo vel mento patris quam matris aliorumve conſanguineorum gerere, nimirum quod à certis partibus cerebri transmittuntur ſpiritus ad certas partes mulieris, per nervos, cum dictis cerebri partibus præ aliis conſentientes, indeque in gravidis ad fætum, ut, dum gravida perterrita tangit aliquod membrum, ſpiritus propter terrorem matris fortiter imaginantis, vehementer agitati & characteriſati non tantum ad membrum tactum, ſed etiam ad Uterum indeque in partem fætus, illi, quem geſtans tetigerit præ aliis correſpondentem fluunt, & irradiant, ſpirituſque fætus plaſticos & ſeminales in iiſdem partibus quaſi incolas, à ſuo conſveto opere ad talem ſignaturam formandam determinant & characteriſant. Signaturæ, occaſione intenſi & diuturnioris, gravidæ impatientis, deſiderii, & in objecto repreſentato complacentiæ, in certis fætus partibus præ aliis impteſſæ, eodem modo explicantur, hoc tantum addito, quod in ſignaturis à nimio rei gratæ deſiderio, major, quam in formatione notarum à ſubito terrore requiratur animæ attentio, & contemplatio diuturnior.

§. 21. Signatura labii Leporini, in fætu cum labio diviſo non raro in lucem prodeunte, conſpicua, ſi mater gravida, primis præſertim geſtationis menſibus, os leporis aut labium hominis, inſtar Leporini, diviſum, anxie & cum ſolicitudine conſpiciat, ab hactenus recenſitis multum abludit; in illis enim materia quodammodo ſuperabundat, in hac vel ſimili deficit; pro hujus faciliori captu, notandum, dum Imaginatio gravidæ circa aliquam corporis ſibi repreſentati partem ut hoc aut illo modo configuratam verſatur, fætum ordinariè non notari figura iſtius partis cuti ſuperficialiter impreſſæ, ſed propriam partem priori correſpondentem, ſimiliter figuratam habere, ut jam de labio Leporino, & §. 3 hujus Sect. de ore Carpionis dictum eſt, hoc non aliter provenire videtur quam ex eo

quod

quod ſpiritus à gravida, rei repreſentatæ figurâ characteriſati, cum motu, quo, pars illa repreſentabatur, ad fœtum juxta ante dicta, confluant, ibidemque partem illam quæ magis ſimilis rei repreſentatæ, ratione cujus in dictum motum rapti ſunt, ſeligant, per cujus meatus motum ſuum poſſunt continuare, & characterem ipſis impreſſum imprimere, motumque ſpirituum fœtus, circa partium conformationem occupatorum, paulatim in eadem parte immutare, characteriſare, ſuoque aſſimilare; hæc autem vix præſtare poſſunt, niſi frequenter per alios ſpiritus pari modo characteriſatos determinatosque ſecundentur; hinc potiſſimum ad ejuſmodi partium conformationem requiritur attenta ac diuturnior, geſtantis contemplatio, ſaltem frequentius iterata rei repreſentatæ recordatio, quæ ſecum trahit diuturnam & anxiam ſolicitudinem quam gravida ex viſione oris Leporini, vel alterius animalis conceperat, cui, talis figura in fœtu multum aſcribenda; tametſi enim gravidæ, aliarum, vel propriâ experientiâ edoctæ, plerumque ſatis gnaræ, ſignaturas ejuſmodi, fœtui occaſione data, imprimi, multum cavent, ne, durante geſtatione, fœtus, ob rerum deformium perceptionem, deformetur; quoties aliquam vitioſam conformationem aſpiciunt, præ nimia & anxia earum, de debita fœtus conformatione & formoſitate, ſolicitudine, ſignaturæ pravæ, licet præter intentionem, non levem præbent anſam; ea enim, vitioſæ conformationis viſæ recordationem, hinc & Imaginationi repreſentationem, non raro excitat.

§. 22. Dum itaque gravida puſillanimis labrum diviſum ſubito aſpicit indeque horrorem concipit, ſpiritus ſtatim cum motu & charactere labrum diviſum repreſentante ad fœtum determinantur; qui, præ cæteris, labii ſuperioris rudimenta occupant: & cùm, Idea labii diviſi in eo conſiſtere videatur, prout notat prælaudatus Verhyen, quod duæ partes tanquam

non unitæ repreſentantur, ideo ſpiritus in fætu à ſpiritibus matris characteriſati, duas partes laterales tantum perfluunt, relictis in medio quibuſdam fibrillis quæ deinde ob defectum expanſionis, nutrimento deſtitutæ paulatim pereunt; unde haud infundate arbitratur vir doctiſſimus illos falli qui putant in hoc caſu labium ab aliqua cauſa partes illius poſitive disjungente, dividi.

§. 23. Idem etiam accidere poteſt, ſi geſtans piſcis impenſè deſiderati, v. g. capitis Carpionis, prout Marcus Marci in ſuo caſu §. 3. citato notavit, non ſtatim ad votum facta particeps, multum contriſtetur, & mæſta, nimis anxie de re deſideratâ non obtentâ meditetur, cum hôc tantum diſcrimine, quod in labio leporino duæ partes prout dictum tanquam non unitæ, in capite Carpionis, partes os Carpionis conſtituentes, in extremis, ſaltem uno, lateraliter unitæ repreſentabantur, hinc fætus ſignati *os in duo ſemiora, & in partes ori humano, & quale Carpioni, aſſimiles, diviſum cernebatur*. Inſuper Caput infantis ex dimidio, Carpionis caput *cum ſquamarum ſimilitudine & colore cyaneo* referens, arguit figuram capitis non ſuperficialiter cuti impreſſam, verum integram Capitis Infantuli medietatem capiti Carpionis correſpondentem, ſimiliter figuratam fuiſſe.

§. 24. Exemplum rariſſimum modo verum, virium Imaginationis potentiam vel maxime confirmans ex Diſſertatione Inaugurali de Viribus Imaginationis, cujus mentio in fine paragraphi 10. facta depromptum ob caſus raritatem, intactum relinquere nolui. Author pag. 24. in fine ſic habet. *Itidem quod adhuc plus eſt geſtiebat aliquando prægnans videre, qui decapitandus erat, accurritque curioſe & perrumpit ad penetralia uſque, ſed infortunata, Carnifex ducto ictu reſecabat eo Inſtanti Reo Caput, unde propter improviſum actum ipſa perterrita nimis, mox, vehementius angitur & partûs doloribus corripitur,*

tur, progignitque fœtum Capite deſtitutum & quidem nec fruſtulo apparente, quoad cætera omnia ſanum & perfectum.

§. 25. Hujus caſus præ reliquis admiratione digni & fidem humanam vix non ſuperantis rationem ſufficientem reddere, nimis arduum & difficilimum videtur, nec aliam mihi uſque dum à Doctioribus edocto formare poſſum, quàm, truncum decapitati, Imaginationi geſtantis non vulgariter perterritæ, ſine capite ſubito repreſentatum, in gravidæ ſpiritibus, motum extraordinarium causàſſe, & ſui ſine capite, quod à trunco ſeparatum mulier in flagranti perterrita non vidit, characterem ſolitò fortiorem in tantum & tam celeriter impreſiſſe, ut copioſius & celerius ad Uterum, inde ad fœtum confluentes, ſpiritus fœtus genitores & plaſticos ab iiſdem ſubito & fortiter characteriſatos à cæpto ſuo Capitis ulteriori formatione divertentes, ad truncum extraordinarie determinârunt, quô, vel Caput fœtus nimis molle & ſemidiffluens ob ſpirituum plaſticorum ingreſſum & influxum interruptum, hinc & partium non perfecte formatarum cohærentiam ſpiritibus incolis exhalantibus ſubito ceſſantem, in liquamen, liquori Amnii quo innatabat fœtus, congener, diffluebat, truncus vero ob ſpirituum tam plaſticorum quam matris determinantium preſentiam & copiam, ſuam partium cohærentiam retinuit; vel, ſi portio ſpirituum extraordinarie motorum una cum ſpiritibus fœtus, poſt ſubitum terrorem ad ejus caput ſicut ad truncum confluxerint; quoniam ſpiritus genitores fœtus, charactere ad trunci & non capitis formationem determinante ſignabantur; videntur potius ad Capitis diſſolutionem & diffluxum motu celeri, vitioſo, & inverſo, magnum & inſolitum, ſemi ſolidorum, & fluidorum caput conſtituentium, attritum, cauſante, quam ad ulteriorem ejus conformationem continuandam contribuiſſe.

§. 26. Si dicas, inconceptibile eſſe, Caput fœtus, ante Carnificis ictum, æque ac truncum, haud dubie, cum nullum præſupo-

ſuponatur impedimentum, ſucceſſive formatum, tam cito ac ſubito deſtrui vel in liquamen diffluere. Ingenue fateor me huic negotio imparem, non aliam poſſe rationem allegare, quam ut Lector benevolus, perpendat, 1° maximam matris extraordinariè perterritæ in toto corpore idque ictu Oculi ſuccuſſationem, fætui Jure vicinitatis, connexionis, & conſenſus, haud dubie communicatam, (hanc quivis multum terrefactus in ſe experitur), 2do inſolitam plane activitatem, elaſticitatem & penes concentratam unionem ſpirituum tàm matris characteriſantium & determinantium, quàm fætus determinatorum, ad trunci formationem & cohærentiam *directe*, capitis vero ſemi ſolidi & in liquamen facile ſolubilis diffluxum & diſolutionem *indirecte* conſpirantium.

§. 27. Si Elaſticitas activi in poris interioribus lachrimæ Batavicæ incarcerati, tanta, ut lachrimæ cuſpide vel minimum verſus baſim fractâ vel limatâ, ſtatim in minutiſſimum pulverem ſine ſtrepitu comminuatur; & quoties lachrimæ integræ cuſpis, candelæ accenſæ approximata ſufficienter calefit, toties lachrima, in minima, ictu oculi rupta, ſonum edit inſtar auri fulminantis vel pulveris pyrii in parvo ſclopeto accenſi, vide dicta Cap. XI. Sect. 2. §. 28. an par activitas, ſpiritibus noſtris à ſenſibili externo & viribus Imaginationis extraordinarie motis & moventibus, multum una contribuente Elaſticâ & reciprocâ fibrarum in tota corporis tàm matris quàm fætus machina extraordinarie ſuccuſſatarum, contractione & dilatatione, hinc & attritu ſolito celeriori, concedenda vel deneganda, Doctioribus Judicandum relinquo; Qui hunc & ſimiles effectus Viribus Imaginationis ejuſque ſpiritibus miniſtrantibus unanimiter attribuunt.

§. 28. Non ſolum Medicis verum etiam Mulierculis notum Imaginationem matris quantumvis potentem, ſexum nullatenus immutare poſſe, nullum enim hujus quod ſcio in

Do-

Doctorum monumentis & obſervationibus proſtat Exemplū. Vide dicta Sectione præcedenti §. 23. ſtructura enim interna genitalium utriuſque ſexus propriam & diverſam includentium perfectionem, & diverſo officio in ipſa generatione fungentium, minime ſub matris Imaginationem cadit, hinc minime ab eadem nedum à patre immutari poteſt; vis enim plaſtica & organorum fætus formatrix nunquam in tantum à viribus Imaginationis parentum determinari poteſt, ut in totum immutentur organa, v. g. ut ex oculo fiat naſus, ex naſo auris, conſequenter ex rudimentis genitalium fæmellæ nunquam plaſmatur organum generationis maſculi, vel vice verſa.

§. 29. Haud inficiandum tamen partes genitalium externas, æque ac alia organa ſub matris Imaginationem cadentia, viribus Imaginationis geſtantis, ſubito v. g. aſpectu Genitalium alterutrius ſexus male aut monſtroſè conformatorum terrefactæ, quamvis rariſſime, cùm ſimilia à geſtantibus rariſſime videantur, ſignari poſſe; nequaquam vero in totum, vel in tantum immutari, ut ex rudimentis fæmellæ maſculus aut vice verſa, formetur, & in lucem prodeat.

§. 30. Novi Puerum nobilem & formoſum XI. annorum qui in lucem prodiens, in ſcroto ſignatus maculâ ſanguinem recentiſſimum & floridum ad amuſſim referente, latum Imperialem longitudine & latitudine præter propter æquante, figuræ vero irregularis, & paulo magis quam cuticula, elevatâ, quæ, non obſtantibus variis topicis ab obſtetrice & mulierculis, applicatis, hactenus durat durabitque. mater à me aliquot ſeptimanis poſt partum interrogata, an tempore geſtationis aliquid viderit, quod huic ſignaturæ occaſionem dare potuiſſet, reſpondit erubeſcens, ſe nihil tale vidiſſe, nec ullius occaſionis datæ, meminiſſe; an præ pudore, quod mihi vero ſimile videtur, veritatem fateri noluerit, affirmare non poſſum.

§. 31.

§. 31. Tempus pro faciliori fætus ſignatura aptiſſimum, videtur eſſe, circa initium graviditatis, quamdiu partes Embryonis vel fætus ſunt molles, ſemiſolidæ, hinc impreſſionis facile ſuſceptibiles, nempe à ſecundo impregnationis menſe uſque ad quintum; reliquis vero, præſertim ultimis menſibus, in quibus membra utcunque formata ſunt atque perfecta, naturaliſque humorum & ſpirituum motus fortior, hinc non ita facile mutabilis, magna & profundior partium ſignatura ægre contingere poteſt; experimur tamen fætus ultimis menſibus occaſione data, ſtigmatibus levioribus, in ſola coloris cutis ſuperficiali mutatione ejuſque exigua elevatione, conſiſtentibus, quandoque ſignari.

§. 32. Brutorum Phantaſiam operoſam eſſe eorumque fætus quandoque licet rarius, niſi forte ſuperficialiter, ſignari, & ſacer codex & œconomorum obſervationes ſatis ſuperque teſtantur: in veteri Teſtamento legimus, *Jacob* oves paſcentem, bacillos variegatos impoſuiſſe in lacum vel puteum, unde bibere ſolebant ejus oves turmatim congregatæ, quæ demum agnellos plures maculatos & diverſi coloris, enixæ ſunt. œconomis præſertim Equiſonibus notum, equas luxuriantes quibus tempore coitus, & durante geſtatione, pulcher Equus & ſingulariter coloratus è regione, videndus objicitur, quandoque fætum geſtare qui in lucem prodiens, eundem ad amuſſim, ſaltem multo magis quam genitorem vel matrem, & colore & formâ refert; in hunc finem, plurium hodiedum mos eſt Equarum Luxuriantium viſui, tempore coitus, equos bene formatos, & colore & ſtatura ſpecioſos preſentare. Hæ, coloris & formæ externæ, ſignaturæ, non aliunde derivandæ quam viribus Phantaſiæ, femellæ brutæ geſtantis & ſignantis, excitatæ, quæ cum citra deliberationem agat profundiores ſignaturas imprimere nequit. plures alii caſus particulares quos hic brevitatis cauſa omitto conformiter ad modò dicta explicari poſſunt.

SECTIO VI.

In qua examinatur Sententia Leeuwenhoekij, aliorumque de ſpermatis Natura.

§. 1.

MEchanicorum & Traducianorum de ſimilitudine ſexus ſententiam, rejiciunt Dominus Leeuwenhoek, Hartſouker, aliique Naturæ, per Microſcopia indagatores curioſi & indefeſſi, quibus non parum favet Batavorum Decus Hermannus Boerhave, de re Medica quam optime meritus, aliàs, ab Hypotheſibus, præ plurimis, præſcindens.

§. 2. Hi enim acriter contendunt, ſemen omnium animalium tam terreſtrium & volatilium, quam aquatilium, recens, nec ſpermate virili excluſo, innumerabilibus conſtare animalculis exiguis, oblongis, caudatis, vivis, formâ & figurâ ſua externa, Anguillas fluviatiles referentibus, quas ideo Boerhave in ſuis inſtitutionibus pag. 222. §. 651. *Anguillulas* vocat, alteri ſpermatis parti tanquam vehiculo congruo innatantes, & agitatione vehementiſſima quamdiu ſperma recens, motas.

§. 3. Quinimo Leeuwenhoekius à Clariſſ. Verhyen fideliter citatus audacter in ſuis obſervationibus ait, ſe oculis armatis immenſum animalculorum Numerum in ſemine galli gallinacei, canis, gliris maſculi, ranæ, cuniculi, & lactibus ſive ſemine maſculo piſcis aſelli majoris, obſervaſſe, & in ſeminis galli gallinacei particula magnitudinem unius arenulæ æquante, plus quam 50. millia ejuſmodi animalculorum deprehendiſſe, nec non ſingulas lactium aſelli majoris moleculas ejuſdem magnitudinis plus decem millia vivorum animalculorum producere, & ſubducto calculo non erubuit calculator indefeſſus aſſerere his verbis: *Sole Meridiano ergo clarius liquet animalcula in lactibus unius aſelli majoris, plus decies ſuperare homines in terra-*

rum orbe viventes, & in canis fæmellæ matrice ſtatim poſtquam ter cum cane maſculo conjunctionem per aliquot horarum intervallum paſſa fuiſſet, ſe, ope microſcopii adeo immenſam animalculorum copiam obſervâſſe, ut non veritus ſit Arithmeticus per Microſcopium (ſi quis) rariſſimus & unicus, ſubjungere, *hic numerus Animalculorum in matrice erat tam magnus ut centum millia millies eum attingere ſive ſuperare non poſſet.*

§. 4. Hiſce tanquam veris à Leeuwenhoekio ſuppoſitis, contendit cum ſequacibus, conceptionem Uterinam in eo conſiſtere, quod unum aut plura ex dictis innumeris animalculis mediante coitu in materiam ſubſtratam injectis, ibidem locum, & nutrimentum ſibi conveniens inveniant, quibus debite perficiantur, & ſpeciem animalis unde ſperma provenit referant; matricem cum materia, ſive ovulo, à matre ſuppeditata, eum in finem ab Authore Naturæ duntaxat conſtitutas putat, ut unum vel plura ex iſtis animalculis matrici infuſis debite foveantur & alantur.

§. 5. nulluſque dubitat Leeuwenhoekius, manifeſtum eſſe animalcula ſpermati craſſiori innatantia, ex duplici conſtare ſexus, maſculini ſilicet & fæminini, ſpecie; conſequenter quoties horum unum vel plura ſexus maſculini, in matrice implantantur, ac ibidem debite nutriuntur, toties exinde perfecti prodeunt Mares (haud aliter de modo, quo ex animalibus fæminini ſexus prodeunt fæmellæ, ſentiendum:) tandemque concludit nec fæmellam active in ſui ſimilis generatione, nec ad ſimilitudinem ſexus, imo nec individui, niſi forte per Imaginationem, vel minimum concurrere.

§. 6. Ut hiſce melius ſatisfiat, ſerio animadvertendum, *primò* non quamlibet obſervationem, ut certam & indubitatam ſuſcipiendam eſſe, noſtroſque ſenſus non raro in tantum ſuo modo decipi vel decipere, ut objecta longe alia appareant, vel ſi mavis, ut alia, per ſenſus menti repreſententur quam re

vera

vera ſunt, imo illud quod ſenſibus externis populariter adſcribimus, quandoque magis in Imaginatione conſiſtere.

" §. 7. Sic nonnulli (Cl. Verhyen verba cito) nubium ſpe-
" culationi intenti, putant ſe in eis videre Equites armatos aut
" alia quædam mirabilia, ac ſemel præjudicio occupati con-
" tinuo magis magiſque confirmantur, ſic, ut illa quæ primò
" videbantur valde obſcura, tandem appareant iiſdem clara
" atque diſtincta: cum interim alii eaſdem nubes intuentes
" ne minimam videant iſtarum rerum apparentiam.

§. 8. *Secundo* Licet minime dubitandum quin talia oculis armatis poſſint detegi, qualia nunquam nudis viſa, nedum in rerum natura exiſtere ab obſervatoribus putabantur, nemoque facile abnegabit animalcula dari exiliſſima in variis liquoribus, qualia deſcripſerunt prælaudati viri, boni Microſcopii ope viſibilia, experientia enim Domini Vandenweld, Verhyen, & aliorum, conſtat, in aquæ pluvialis, in qua prævie accedente calore ſolis, per dies aliquot maceratum fuerit piper, guttulâ, magnitudinem capitis aciculæ majoris vix ſuperante, oculis bono Microſcopio armatis, ingentem cerni numerum animalculorum liquorem illum huc illuc, phantaſia dirrigente, percurrentium, quorum non pauca ad millepedes vulgaris magnitudinis, nudis oculis conſpectos, & mole & figura videbantut accedere, aliaque aliis minora apparebant.

§. 9. Et ipſe, Microſcopii vulgaris ope, in caſei Hollandici & Bohemici particula liveſcente & ad putredinem vergente, quoties tempore æſtivo, ſole fortiter ſplendente, radiis ſolaribus eandem per unum alterumve minutum expoſuerim, jucundo ſpectaculo vidi plura ſed non innumera animalcula, figurâ mures vel potius porcellos Indicos, mole pediculos mediocres referentia, huc inde, modo tardius, modo celerius

per moleculas & poros caſei inæquales, quaſi in magnis reſpective vallibus, inter ſcopula & rupes ſplendentes & transparentes ſitis, transcurrentia, aliaque aliis quibus obviarunt cedentia, nudorum oculorum meorum aciem prorſus effugientia.

§. 10. Ex hactenus recenſitis minime concludendum, omnes omnino moleculas, præſertim quas oculis armatis in liquoribus celerrimè, & eodem conſtanter motu & modo agitatas, imo quandoque animalcula nudis oculis viſibilia, mole & figura quodammodo & obſcure referentes, cernimus, vera & viva eſſe animalcula, niſi & unà easdem à phantaſia, (quod ſerio notandum) aliqualiter dirrigi obſervemus.

§. 11. *Tertio*, Clariſſ. Verhyen, aliique, varia animalium ſemina ope Microſcopii examinantes fatentur ſe in lactibus maturis ſive ſemine Carpionis, & exigua ſeminis cuniculi maſculi aliquorum cuniculorum patris guttula, ingentem obſervaſſe numerum particularum oblongarum, in lactibus vero Carpionis in medio latiorum, utroque extremo, Carpionis inſtar, in anguſtum abeunte, celeriter inter ſe reptantium ſeu potius *quoad apparentiam* (ut Verhyen exprimit) *volitantium:* celeritas enim motus, per Microſcopium, æque ac ſpatium in quo fit motus, repreſentatur aucta, & ſpatii magnitudini conformis.

§. 12. Exinde vero, ut tandem ad rem veniamus, minime neceſſitamur aſſentiri, multo minus concludere, moleculas illas in ſemine carpionis, cuniculi, alteriuſve animalis celerrime in vehiculo proprio agitatas vera animalcula eſſe, aut ab ulla dirrigi phantaſia, ſicut viſus fuerat dirrigi motus animalculorum in liquore piperato, vel in caſeo, recèns allegatis.

§. 13. In utroque enim cernebantur animalcula modo tardius, modo celerius, (ut dictum) moveri, aliaque aliis locum dare, certum directionis phantaſiæ indicium, quod in

præ-

præfatis animalium ſeminibus minime obſervari poteſt, horum enim moleculæ valde confuſe agitabantur, teſte Verhyen, *Sicuti moventur particulæ in radiis ſolaribus per feneſtram ſplendentibus, vel particulæ nivis tenuioris vento multum agitatæ.*

§ 14. Profecto me nimis rudem eſſe ingenue fateor ut poſſim phantaſiæ directionem concipere nedum obſervare in particulis, quarum in ſemine canino agitatarum, quaſque Leeuwenhoekius pro animalculis tenuit, numerus, (ſi ipſi fides danda) tam magnus, *ut centum millia millies eum attingere ſive ſuperare non poſſet.*

§. 15. Dictus ergo molecularum, ſolius Microſcopii ope viſibilium, per liquorem ſeminalem motus, minime ipſis moleculis quaſi tot animalculis formatis ab intrinſeco moventibus, bene vero materiæ ſubtiliori magis activæ, nulla arte viſibili, omnibus communi, auræ nempe ſeminali præfatas particulas agitanti, tribuendus; adeoque eorum Hypotheſis de ſexus diverſi origine, & individuali prolis cum parentibus ſimilitudine, fundamento ni fallor valde inſtabili innititur.

§. 16. Omitto brevitatis cauſa, non pauca quæ ex hac Leeuwenhoekii ſententia deduci poſſunt abſurda, ab inſigni Philippo Verhyen nervoſe propoſita, quibus, vix, ne dicam nullatenus, ſatisfacere poſſunt Animalculorum in ſemine fautores, haud reflectentes incredibile videri, ſanæque rationi minus conſonum, aſſerere, infinitum fere animalculorum numerum, ſaltem tantum, ut ſtante eorum Hypotheſi Anguillulæ in unius viri ſpermate innatantes ad omnium in toto Univerſo fæminarum coævarum fæcunditatem exhauriendam, abunde ſufficiant, in matricem unius mulieris immitti oportere, ut unicum, raro duo, plura rariſſime, ad perfectionem perveniant.

CAPUT XIII.

De Anima Brutorum.

§. I.

SUperata hactenus magna vaſti ac fluctuoſi Naturæ freti parte, nondum remis veliſque, portum attingere licet, adhuc enim reſtant procelloſi vortices progreſſum remorantes, nec ſine maximo Naufragii periculo ſuperandi: ſi præſumptuoſum nedum difficile viſum, de Principiis rerum hujus Univerſi Phiſicis, tam primariis, quam Mechanicis diſſerere, Authorumque Celebriorum inter ſe mordicus concertantium placita, in Compendio recenſere & pro mea tenuitate examinare, multo difficilius videri debet, Animæ Brutorum notionem & naturam, à plurimis anxie quæſitam à nemine hactenus inventam ſine erroris formidine explicationem aggredi, idque ob ſequentes ni fallor rationes. Philoſophi de Corporis & Spiritus notione, diſſentientes, uno tamen ore fatentes Corpus eſſe ſubſtantiam extenſam, impenetrabilem, entitative multiplicem, mobilem, & figurabilem; & Spiritum ſubſtantiam eſſe entitative unam, inextenſam, indiviſibilem, & cogitantem, baſim ſibi formare videntur ſolidam, cui in ratiociniis innituntur; de Brutorum Anima, quam, ſubſtantiam eſſe cognoſcitivam, dicunt fautores de ejus natura inter ſe diſſentientes, nec nomen animæ mereri contendunt Philoſophi Corpuſculares nonnulli, nihil certi ſtatuunt in quo unanimiter conveniunt & cui pro veritate exploranda inniti poſſunt, pro ut ex dicendis fuſius patebit; mihi igitur haud vitio vertendum, ſi cum Doctioribus Charibdem vitando, in Scyllam impingere periclitér, ad quod pro poſſibili præcavendum, non aliud ſubit, quàm Authorum diſſentientium Hypotheſes breviter & candide, pro

more,

more, in prægreſſis, ſolito, recenſere; & quam, probabiliorem prægreſſiſque magis conformem, inveniam, uſque dum melius inſtructus, modeſte ſeligere & amplecti. *Prudentis* enim, præſertim melius edocti, eſt, *mutare Conſilium*, ſemper in melius.

§. 2. Ut igitur ad Propoſitum redeam, Præmiſſa ſubtilis Peripati de anima tam vegetabilium quam Brutorum generali notione Capite 2. Sect. 1. & 2. hujus diſſertationis fuſe examinata, ad quod Lectorem benevolum brevitati favens refero; Cartheſius cum aſſeclis, in Brutis ſicut in Plantis, nihil niſi materiale & materia conſtans, admittentes, perceptionem aſſerunt ſine qua cognitio etiam ſenſitiva, juxta ipſos, concipi nequit, nihil habere cum extenſione commune, cùm utriuſque Idea ſit omnino diverſa, adeoque à belluarum animis corpori Organico coextenſis, quas potius principium ſive ſubſtantiam actuoſam quam animam vocant, non tantum rationem cum communiori, verum etiam omnem cognitionem cum Gomeſio Pereira de Brurorum Anima demiſſius ſentiente, adimunt.

§. 3. Contendunt quippe, cum vera cognitio conſiſtat in intima animæ perceptione impreſſionis ob objecto externo factæ, ſi ſubſtantia materialis poterit cognoſcere, poſſibilem eſſe ejuſmodi ſubſtantiam, quæ poſſet ratiocinari & cogitare, quod implicat; (hiſce Argumentis contra ſubſtantiæ pure materialis cognitionem ſubſcribunt Pneumo-Coſmici plerique, & Traduciani) hinc concludunt Cartheſiani, omnia quæ à brutis induſtrie ac ſcitè facta videntur, ad purum Mechaniſmum & motuum leges ab Authore Naturæ ſancitas, refundi; ita ut, quorundam objectorum occaſione, modo fugiant, modo ſiſtantur; modo ad gaudium, triſtitiam, & Iracundiam, vel potius ad eos motus qui hæc concomitari ſolent, ipſiſque ſimiles ſunt, excitentur.

§. 4.

§. 4. talem inter belluinos & humanos affectus ſimilitudinem Stoici pene omnes agnoſcebant, *muta animalia* (inquit Seneca lib. 1. de Ira) *humanis affectibus carent, habent autem ſimiles illis quoſdam impulſus.* idem ſentiunt Cartheſii fautores de Belluarum ſenſu & cognitione, quam non diſtinguunt ab affectione animali ſeu impreſſione facta in organis corporeis, ſpirituum, quos animam conſtituere, vel potius ſupplere, ſupponunt, ope trânsmiſſa.

§. 5. In Brutorum igitur anima, nullam impreſſionis perceptionem ſoli animæ rationali competentem, & à cogitatione indiſtinctam, admittunt; nec aliquid abſurdi ab ipſis in medium proferri putant, cum certas motuum leges ab Authore Naturæ in belluis conſtitutas dicant, per quas ſtupendos edant motus, rationem quandam ſeu rationis umbram, quæ *Inſtinctus* dicitur, æmulantes; non enim propriâ ac intimâ, ſed alienâ & externâ, Divinâ nempe ratione, juxta ipſos, gubernantur & moventur.

§. 6. Hos non parum convellunt Gaſſendiſtæ haud infundate cum Peripato aſſerentes, res dubias & obſcuras, ex ſimilibus potius explicari oportere, quam ex conjecturis, aut rebus omnino incognitis divinare, cùm igitur conſcii ſimus multas à nobis actiones cum cognitione exerceri, iis, quas bruta exerunt conſimiles, quamvis Mechanicum artificium non magis nec minus noſtris, quàm Brutorum organis deſit, cur belluis ſenſum omnem detrahamus, nobiſve perſuadeamus ea quæ agunt, puro fieri Mechaniſmo, non minus videtur certum belluas ſentire, & percipere, quam eas, auribus, oculis, aliiſque ad ſentiendum aptatis Organis eſſe præditas; nec veroſimile eſt, Bruta, oculos, aliave ſenſuum organa ab Authore Naturæ accepiſſe, quibus nihil videant aut percipiant; imo tot ac tanta, ſi non multo plura, ſenſus & perceptionis ſenſitivæ exhibent ſpecimina, quam infantes & fatui, hinc qui ſerio,

rio, & ſine præjudicio rem perpendit, rationabiliter concludet Cartheſianos ad purum Mechaniſmum recurrentes, Hypotheſium labirintho implicari, neſcientes vel ſaltem neſcire affectantes *Organiſmum* & *cognitionem* in Brutis cum *Mechaniſmo* combinare, nec unum ab altero, divellere.

§. 7. Quod autem de ſenſu & perceptione aſſerunt, Ideam nimirum rei percipientis nihil habere cum conceptu rei extenſæ commune, hoc ipſum de motu corpori ſicut & ſpiritui competente dici poteſt, quem tamen non magis eſſe de ratione corporis, ſecundum ipſos ad motum & quietem indifferentis, quam ſit cognitio ſenſitiva, vel ipſi fatentur. Taceo perceptionem ipſam, juxta Cartheſium, ad motus immanentis, quâ mens intra ſe tendit, ſpeciem reduci, haud inde igitur inferendum, utrumque non poſſe eidem ſubjecto ineſſe, nec corpus, ideo cognitionem aut motum excludere, quod nec unam nec alterum in ſuo conceptu ſaltem generico includat. Neque intellectu difficilius, quî duo modi ita diverſi, non tamen oppoſiti & repugnantes, uni & eidem ſubjecto inſint, quam ſubſtantias ita diverſas tam arcto nexu in homine conjungi.

§. 8. Tandem concludunt Gaſſendiſtæ, Animas Brutorum eſſe ſubſtantias materiales ſumme actuoſas corpori Organico coextenſas, diviſibiles, in ſanguine & fluidis gliſcentes, per traducem communicatas; (hucuſque cum Carthesianis conveniunt) quibus, ſicut vis interna motrix, plaſtica, & ſui quoad ſpeciem multiplicativa, ita & corpore rite organiſato cognoſcitiva, ab Authore Naturæ inſita.

§. 9. Pro clariori cognitionis Brutorum conceptu in hac Hypotheſi, notandum *primo* Atomiſtas modernos conformiter ſuis principiis ratiocinantes ſupponere, atomis, ſeu minimis rerum Phiſicarum corpuſculis elementaribus, quibuſdam à natura maxime activis, Ætherem ſubtiliſſimum omnia interfluentem

entem conſtituentibus, intrinſecam ineſſe vim, ſeu niſum ſeſe perpetuo movendi localiter, ab Authore Naturæ inditam & conſervatam, dum alias arbitrantur à natura ſua quietas, inertes eſſe, & mere paſſivas, mobiles tamen ; illas rerum phiſicarum, ſeu potius compoſitorum *cauſas effectrices* , quandoque, in viventibus præſertim, & corporibus ſenſibilibus à natura activis, *formas* ; has *materiam* vocant, vide Caput 6, hujus Diſſert. de Principiis rerum juxta Atomiſtas, item Cap. 8. Sect. 2. de vi interna motrice Corporum.

§. 10. *Secundo*, motum Corporis Naturalem, quem à Motu violento extrinſecus adveniente diſtinguunt, duplicem ſtatuunt; unum *realem* & Phiſicum de quo antea Cap. X. Sect. 1. quem ideo realem dicunt, quoniam id cujus eſt hic motus, per eum aliquid reale & ſenſibile acquirit de novo, vel aliquid deperdit: alium *intentionalem*, qui non aliud, quam actus potentiæ ſenſitivæ in belluis, & unà rationalis in homine, ad quem talis potentia movetur, idque vel ab objecto repreſentato, in belluarum Imaginatione, vel à potentia imaginativa in homine intellectum ad cognitiones excitante, dicitur hic motus *intentionalis*, ideo, quia Anima ſentiens ad tale objectum ſe quodammodo convertit , *intra ſe tendit*, ſeu ſic ſe *intendit* ; & quoniam objectum tanquam cauſa talem motum in Anima ſentiente excitans, influit tantum *intentionaliter* & *objective*, non phiſice, nec reali quodam modo, quô, nempe haberi ſolet effectus Phiſicus realis & ſenſibilis de novo acquiſitus, & à potentia eliciente realiter diſtinctus : haud infundate (ajunt) talis motus, *Intentionalis*, audit, cujus Exempla habemus in ſenſationibus internis, & cogitationibus intellectus. Potentia ſenſitiva, vel ſi mavis, anima ſentiens, in quantum objectum eam movet, patitur, hinc *ſentire eſt quoddam pati* in quantum vero occaſione objecti, anima intra ſe tendit, *intentionaliter & immanenter*, agit.

§. 11

§. 11. Ex dictis liquet Atomiſtas Recentiores contendere, Animam Brutorum ſenſitivam, ex Ætheris ſubtiliſſimi Characteribus ſeminalibus fæti, minimis, contextam, in corpore organico quod ſibi tanquam domicilium formavit, non tantum vi motrice ad Extra, & plaſtica, verum etiam, poſitis omnibus requiſitis, immanente ſeu intentionali, qua *intra ſe tendit*, ab Authore Naturæ dotatam eſſe, nec in hoc vident ullam implicantiam.

§. 12. *Tertio*, ut hoc melius illuſtretur, prætendunt, quaſdam Atomorum Motricium in actu primo ſed remotiori, vivere, & ſentiendi vi pollere: licet (inquiunt) vita ſenſitiva ſine motu reali & Phiſico corpuſculorum, ex quibus, ſenſorium organum, & ſenſibile objectum componuntur, adæquate concipi nedum fieri nequit, ejusmodi tamen non eſt, quæ ſoli motui locali queat in acceptis referri: ſenſatio enim & locomotio invicem toto cælo differunt, taliſque eſt ſenſationis indoles, ut intra ſubſtantiam mobilis conſtituatur, nec ullo modo extra ſuum principium egrediatur, locove extrinſeco correſpondeat. Hinc, colligunt Atomiſtæ moderni, vitam omnem ſenſitivam qua talem, *motum* corporis vivi & ſentientis *intentionalem* ſecundum ſuam, & communem omnem ſanam Philoſophiam jure meritò dicendam, utpote toto genere (ut antea dictum) ab omni motu *reali* qui affectionibus corporis Mechanicis & pure *vitalibus* attribui debet, diverſam; huic notioni conformem dant vitæ ſenſitivæ in actu ſecundo definitionem, dum eam dicunt eſſe *motum immanentem, quo vel intentionaliter objectum attingitur, vel dependenter ab organis movetur ſubſtantia.*

§ 13. Idem de cognitione Animæ Brutorum ſentit Peripatus, quam materialem & non materiam agnoſcit, nec multo aliter jamdudum Stoicos opinatos fuiſſe veroſimile eſt, aſſerentes, Deum ex Materia Chaotica, Aerem, hinc Aquam fe-

ciſſe, hiſque deinde *rationes ſeminales* motrices, ignes, indidiſſe; queis, (ſi doctiſſimo Moraſch fides danda) non aliud intellexerunt quam Atomos viventes, & in actu primo remotiori ſentientes.

§. 14. Ideo Atomis quibuſdam vi motrice præditis, hanc prærogativam, ut vita ſenſuque in actu primo remotiori gaudeant, competere putant Gaſſendiſtæ, quoniam ex Atomis pure paſſivis & inertibus cujuſcunque ſint figuræ, quocunque congerantur numero, quocunque demum ordine ſituque verſentur, corpus exinde reſultabit ſenſibile ſuis certis materiæ modis inſtructum, minime verò cognoſcitivum; quandoquidem præter complexum magnitudinis, *motus realis*, figuræ, ſitûs, aliorumque modorum ex his reſultantium, nihil eſt in receſſu: ex pluribus enim atomis inertibus & paſſivis licet mobilibus, non magis emerget ens vivax & motu immanente imbutum, quàm ex pluribus minimis corporeis, ſpiritus, ex pluribus finitis infinitum, ex ſola accidentium congerie ſubſtantia.

§. 15. Nec mirum (ajunt), ſubtilem Peripatum, Gomeſium Pereira cum Cartheſio & ſequacibus, convellere, quod ſenſationem omnem Brutis adimant, nullaſque in iis operationes niſi pure Automaticas admittant, vitamque ſenſitivam per purum Mechaniſmum fieri opinentur; ignorato cum plurimis Antiquorum, aut ſpreto, omni in corpore, præſertim vivo & ſenſitivo, motu *intentionali* & *immanente*, hinc Organiſmi cum Mechaniſmo combinatione; quod veroſimiliter & Cartheſio haud levem dedit anſam eligendi, potius ex Bruto facere Automaton, quàm rationis motuum realium mechanicæ, pro genuina objecti ſenſibilis perceptione, ſufficientiam agnoſcere; & Pneumo-Coſmicis pleriſque, quibus ſe aſſociant Traduciani, activitatem omnem Univerſæ Materiæ negantibus, tuendi, animas omnium animalium & viventium incor-

incorporeas eſſe & ſpirituales; quandoquidem ipſis, 1°. vitam veram & ſenſationem Brutis negare, paradoxum videtur: 2do motum intentionalem & immanentem in materia ſecundum ipſos inerte & pure paſſiva, nullatenus admittendam.

§. 16. Si dicas, ex hac ſententia ſequi, Atomos ejuſmodi jam ante combinationem minima eſſe animalcula, quoniam vivendi & ſentiendi potentia gaudent, & animal non aliud, quam corpus vita & ſenſu fruens.

§. 17. Reſp. Gaſſendiſtæ, hanc illationem æque ineptam eſſe, ac eam, quâ colligeres moleculas farinæ vel panis ante earum mediante chiloſi cum corpore humano vel belluino aſſimilationem, corpus humanum & belluinum eſſe; aut particulas ferreas vel æreas, jam ante compoſitionem artificialem, minima eſſe horologia. Animalis enim natura, non ratione corporis præcisè, ſed *corporis organici*, ex partibus nempe magno vaſorum & canalium apparatu, quibus liquidum vitale uberius colligi, & ulterius protrudi poſſit, formatis, adintegrati, perficitur atque abſolvitur. Licet Atomi quædam potentiam ſentiendi in actu primo remotiori, nec non characterem ſeminalem, ſibi identificatam habeant, nequeunt tamen illam exercere niſi in corpore debite organiſato, & formâ ex iiſdem rite combinatis conſtante; non ſecus ac particulæ ferreæ aut æreæ, licet omnes ſeorſim potentiam illam motricem poſſideant, quâ in horologio indicem moveant, & horas deſignent, hoc tamen extra combinationem debitam in actum reducere nequeunt.

§. 18. Objicit Peripatus non poſſe explicari in quo conſiſtit vita Atomorum, Reſp. 1° Vitam Atomorum in actu ſecundo conſiſtere in tanta earum rite in corpore animalis organico combinatarum, & animam ſenſitivam conſtituentium activitate, quanta eſt (cæteris paribus) in anima rationali ad diſcur-

diſcurſum & ratiocinationem; earum vero vitam ſenſitivam in actu primo non aliam, quam vim *intentionaliter* motricem, quæ, niſi poſitis omnibus ad motum intentionalem eliciendum prærequiſitis, in actum ſecundum reduci nequit, magis quàm, ut dictum, particulæ ferreæ aut æreæ ex quibus horologium fit, ante debitam formationem & combinationem, indicem moveant, & horas deſignent.

§. 19. Reſp. 2do, Retorquendo, & quærendo, in quo conſiſtit vita Animæ ſenſitivæ Peripateticæ, partiumque, eam tanquam ſubſtantiam corpori coextenſam & materialem, licet non materiam, conſtituentium? ſi poterit vis ſentiendi ſubſtantiæ materiali phiſice incompletæ tribui, quidni, potiori jure, ſubſtantiæ *in eſſe abſoluto* completæ.

§. 20. Nec obſtat dicere, ſi Atomis Epicureis vita & ſenſus adjudicetur, minima Elementaria v. g. Ignis, æque poterunt dici vivere, quod tamen Atomiſtæ non admittunt. Reſpondetur *primo*, ea non poſſe dici vivere in actu 2do bene vero in actu primo remotiori, ob rationes antea datas.

§. 21. *Secundo*, nonnulli Atomiſtarum opinantur ea non poſſe dici vivere, ideo, quòd minima Elementaria ſint, quæ habent naturam Ignis, quæque toto genere (ajunt) differunt à natura viventis, non poteſt igitur id, quod eſt Elementare, eſſe vivens, ſeu dici vivere; ſicut non poſſunt particulæ ferreæ vel lapideæ eſſe ſenſitivæ. vide Clariſſ. Moraſch Phiſicam Univerſalem pag. 208.

§. 22. Verùm, ſi replicando urgeas, Atomos phiſicas & ſimplices quas Atomiſtæ dicunt vivendi & ſentiendi potentiâ pollere in actu primo, haud dubie minima Elementaria eſſe, adeoque minima Ignis Elementaria utpote activiora, ſi non omnia, ſaltem quædam in actu primo vivere viqueſentiendi pollere, clarum, difficultatem nondum ſolutam.

§. 23.

§. 23. Reſpondetur igitur 3° nihil ſequi abſurdi, ſi dicatur quædam minimorum, Elementa vulgaria, in ſpecie Ignem, omnium maxime activum, conſtituentium, remote ſeu in actu primo remotiori vivere & ſentire, hoc eſt vim habere internam motricem tàm ad *motum realem* producendum, quàm, factâ debitâ, cum aliis congeneribus characteriſatis ad Animæ ſenſitivæ complementum requiſitis, in corpore rite organiſato combinatione, *intentionalem*. nemo enim dicet Atomos vi ſentiendi remote pollentes, ſolitarie ſumptos, ſine combinatione actu ſentire vel organice vivere poſſe, magis, quàm particulæ ferri vel æris in ſua reſpective fodina deliteſcentes, & nondum in corpus malleabile redactæ, poſſunt dici horologium, licet in actu primo remotiori, poſſunt dici id, quod per artem ex iiſdem fabricari poſſet.

§. 24. *In actu primo remotiori inquam*, quis enim dicet laminam horologii elaſticam, perpendiculum, catenam, cochleam, rotulas, indicem, aliaſque horologii partes actu fabricatas, nondum vero rite combinatas, horas deſignare, indicem actu movere, vel horologii automaton, niſi in fieri, dici poſſe; licet in actu primo multo proximiori quam ferrum aut æs in fodina, nondum malleabilia nec malleata, horologii machinam conſtituere poſſunt; ita Atomi vi ſentiendi in actu primo ſed remotiori pollentes, in Elementis vulgaribus & mixtis Univerſi inanimatis latenter ſparſæ, reſpectu illorum vi ſentiendi minime imbuuntur, ob defectum combinationis earum, pro forma ſenſitiva debitæ, & tanquam conditionis *ſine qua non*, abſolute neceſſariæ, & cum mixti inanimati configuratione interna incompatibilis; hac vero combinatione ſemel inchoative introducta, vel per generationem univocam vel æquivocam, ut dictum; nemo non videt, eaſdem atomos licet nondum in actu ſecundo ſentientes, in actu primo multo proximiori vita & ſenſatione imbui poſſe, quam, quoties & quam-

quamdiu, in mixto inanimato, cum aliis diverſæ figuræ & activitatis irretitæ, & in moleculas coadunatæ, latent.

§. 25. Nec deſunt inter Recentiores, Doctiſſimi Philoſophi & Medici, qui poſt Democritum, Epicurum, Laertium, Lucretium, aſſerentes Animam Brutorum aut ignem eſſe, aut quoddam ei analogum, unanimiter junctis quaſi manibus in hanc iverunt ſententiam; inter hos haud infimi Gaſſendus, Bernierus, Hogelandus, Honoratus Fabri Soc. JEſu, qui Bruti Animam Corpoream, ejuſque ſubſtantiam ignem eſſe expreſſis verbis tradidit: nec aliter ſentire videtur Doctiſſimus Pater Caſtell Soc. JEſu, doctrinæ Atomiſticæ fautor, Verulamius, & Celeberrimus Thomas Willis Profeſſor Oxonienſis, qui in ſuo Tractatu de Anima Brutorum, minime paradoxum putat ſtatuere, Animam ſenſitivam in ſanguine aut liquore vitali gliſcentem, aut ignem aut flammulam quandam eſſe.

§. 26. Hanc ſicut materialem, ita diviſibilem eſſe & corpori organico coextenſam, dicit; duplexque in corpore, animæ ſubjectum ſupponit, in quibus eminentius & immediatius ſubſiſtit, *liquorem* nimirum *vitalem* ſive ſanguinem rubrum in corde & vaſis ſanguiferis perpetuo gyro circulantem, & *liquorem animalem* cerebroſum nempe, cerebelloſum, & nerveum, intra cerebrum & appendices, ſcaturientem; hujus animæ portio in ſanguine phlogiſtico gliſcens, quaſi *flamma accenſa*, licet ſub hac forma inviſibilis; altera per liquorem animalem diffuſa videtur, quaſi *lumen aut radii lucis è flamma iſthac emanantes.*

§. 27. Præter binas has animæ portiones corpori individuo accomodatas, & inter ſe combinatas, tertiam ab utriſque illis delibatam, propter ſpeciei conſervationem, velut totius animæ epiphiſim ſupponit in humore appropriato, genitali ſilicet, intra corpora ſpermatica reconditam, *propterea quidem* (Williſii verba repeto) *ut cum opportunum fuerit, iſte ſpiri-*

tuum

tuum manipulus quaſi Facula nondum accenſa (ajo ego , ſaltem propria vitâ non vivens,) *illinc in Focum idoneum depromi, ac in flammulam alteram vitalem, novi corporis animati formatricem accendi, poſſit.*

§. 28. Quod Brutorum cognitionem ſenſitivam attinet, ſupponit vir ingenioſiſſimus cum communi Epicureorum Modernorum, non quaslibet Materiæ moleculas ſeu minima, animationi & ſenſationi aptas; *Materia* (inquit) *qualibet uti non comburitur ita nec animatur,* prætenditque, *inter corpus inſenſile & ſenſile haud multo majus diſcrimen eſſe, quam inter corpus inaccenſum accenſumque, & tamen hoc ex illo fieri paſſim cernimus; quidni pariter exiſtimemus ſenſile fieri ex inſenſili.*

§. 29. Fatetur candide vir præclariſſimus, dum animam & corpus, per ſe, & diſtincte perpendit, ſe, nec in uno nec altero, ullove ſubjecto materiali ſolitariè ſumpto, quidpiam detegere poſſe, cui talis potentia attribui debet; at vero quando corpus animatum, ſummo, divino nempe, artificio, in certos quoſdam fines ac uſus deſtinatum, conſiderat, nihil (ait) vetat dicere, Creationis lege, ſive Dei ter Optimi, Maximi, inſtituto ita comparatum eſſe, ut ex anima & corpore ſimul commiſſis & unitis, ejuſmodi facultatum confluentia reſultet, quibus, unicuique animali in fines & uſus ei deſtinatos opus fuerit. Sicut in Mechanicis & arte humana conditis, ita in animatis, *Materiam ſuperabat opus.* Tum ſubjungit, *ecquis putaret ex ferro & ære utpote fixiſſimis metallis inſtrumentum parari, cujus Orbes cæleſtium æmuli abſque motore externo, motus fere continuos obſervarent, quorum periodi vice conſtanti renovatæ, temporum ſpatia certiſſima emetirentur.* Ita Williſius Tomo poſteriori de ſcientia Brutorum Cap. VI. pag. 49.

§. 30. Hanc ſuam de Animâ ſenſitivâ ſententiam Sacræ Scripturæ præ aliis conformem prædicant Atomiſtæ. ſacer textus, Levit. cap. 17. verſ. 13. & 14. dicit: *Anima omnis Car-*

nis, id eſt Brutorum, *in ſanguine eſt*, & Deuteron. cap. 12. verſ. 23. ut, Iſraeliticum Populum ſic alloquitur Deus, *hoc ſolum cave ne ſanguinem commedas, ſanguis enim eorum pro anima eſt.*

§. 31. Belluis vero, non tantum, ſenſum, verum etiam rationem licet hominum imperfectiorem tribuunt Gaſſendiſtarum nonnulli, variis ut ſibi videntur exemplis, illuſtrantes ſtupendam planè belluarum quarundam, inter quas, vulpes haud infima, in captanda præda, ſuique à canum venaticorum proſequentium inſultu, conſervatione, aſtutiam, ſubtilitatem, deliberationem, & inventionem quaſi diſcurſivam, miram aliarum, Exempli gratia ſimiæ, Elephantis, accipitris, & canis docilitatem, tantamque, ſimiæ præſertim, in imitando facilitatem, ut non paucæ eorum actiones mera & formalia videantur eſſe ratiocinia, quorum plura citat Illuſtris Anglus Kenelmus Digby in ſuo erudito tractatu de natura Corporum, Cap. 36. in Idiomate Anglico, Londini impreſſo, ad quem brevitati conſulens, lectorem benevolum refero.

§. 32. Pace tamen illorum, quamvis fateamur Bruta non omni ſenſu aut cognitione deſtitui, quæ ſine injuria rationis umbra intitulari poteſt, illis veram rationem, nos ab eis ſecernentem, cum S. Auguſtino negamus, qui lib. 2. de Ordine dicit: *Non ergo numeroſa faciendo, ſed numeros faciendo, melior ſum beſtiis,* tum ſubjungit *at me non aliud peccori præponit, niſi quod rationale animal ſum.*

§. 33. Cognitio enim Brutorum utpote ſenſitiva circa res materiales & pure ſenſibiles verſatur, longeque major inter ejuſmodi cognitionem & materiam rite organiſatam, actuatam, & animâ, vi interna immanenter activa, informatam, cognatio eſt, quam materiam inter & perceptionem pure ſpiritualem, ſolis agentibus rationalibus competentem, quâ, non tantum, ſingularia, & ſenſibilia, verum etiam univerſalia &

ab omni materia abſtracta, tam directè quam reflexè percipiunt. Hæcque eſt vera cogitatio qua mens *ſe ſcire ſcit*, & *animadvertit*, vel *ſe percipere percipit*, Brutis nullatenus competens, quorum *cognitiones materiales*, ut pulchre notat Doctiſſimus Pater Pardies Soc. JEſu, *reddunt objecti, non ſui, notitiam*.

§. 34. His attentis, liquet, cognitionem Brutorum, quam, ſi perceptionem ſenſitivam nominare velis, per me licet; minime ſpiritualem, vel intellectionem dici poſſe; quinimo æque impoſſibilem eſſe ſubſtantiam materialem quæ poſſit cogitare, ſive intelligere & velle, ac impoſſibilis eſt ſpiritus qui, niſi corpori organico unitus poſſit ſentire & ſenſualiter appetere; adeoque Cartheſium & Traducianos haud fundate inferre, ſi ſubſtantia materialis poterit ſenſitive cognoſcere, poſſibilem eſſe ſubſtantiam ejuſmodi quæ poſſit ratiocinari & cogitare.

§. 35. Objicies forte, motum animæ ſenſitivæ materialis immanentem, nec materialem eſſe, nec diviſibilem, ſicut ipſius cauſa & ſubjectum ſupponitur eſſe, adeoque motum immanentem ab anima ſenſitiva, vel ulla cauſa materiali, nec elici, nec in ea ſubjectari poſſe.

§. 36. Reſp. motum animæ materialis immanentem 1°. non eſſe materialem niſi intentionaliter & cauſative, quatenus eſt effectus animæ materialis intra ſe tendentis, ſeu ſe ad objectum ſenſibile in ſe repreſentatum convertentis, cum non influat realiter & phiſice niſi in effectus, quos in corpore proprio & extra ſe producit. 2do Nec diviſibilem, quia indiviſibiliter & abſolute dependet à combinatione partium, Animæ Hypoſthaſim conſtituentium, quâ deſtructa deſinit ipſa anima ſenſitiva & unà motus ejus immanens, non aliter (proportione ſervata) quam circulô vel globo rotundo in fruſtra diviſo, deſinit rotunditas, etſi modus realis, minime intentionalis, in-

diviſa; diviſio enim ſupra rem rotundam & non rotunditatem cadit, ſi enim verum Ariſtotelis effatum à modernis generaliter acceptum, quod, *non ſit rotunditas ſed res rotunda*, nec dividitur rotunditas ſed res rotunda.

§. 37. Inſuper ſi Natura Archetypa pro ſua infinita bonitate, ſine vel minima fundata implicantia ab adverſæ ſententiæ fautoribus aſſignabili, partibus materiæ à natura actuoſis vim internam motricem ad extra, hinc & plaſticam, ſuique quoad ſpeciem multiplicativam, Deo una cooperante, largiri poterit; nullam video implicantiam, ſi iiſdem ſpeciali & organico modo combinatis, motum quo intra ſe tendant, ſive immanentem, largiatur; & cùm hoc pro majori Omnipotentiæ & Sapientiæ Divinæ manifeſtatione *decuerit*, quare hoc non liberrime *voluerit*, nec ipſi (ni fallor) rationem reddere queunt; nec ſatis mirari poſſum, Cartheſium, qui dixit Deum poſſe facere, ut *unum & duo non ſint tria*, nec non & Traducianos cum Pneumo-Coſmicis, ſuis Hypotheſibus, non ſine præjudicio, aſtrictos, tam deſpotice Divinam Omnipotentiam limitare velle, ut corporibus actuoſis vim internam motricem tàm ad extra, quàm, iiſdem debite combinatis, ad intra, largiri non poterit, ideoque præcisè, quod ipſorum Hypotheſibus adverſetur. Hactenus Atomiſtæ.

§. 38. Traduciani cum Pneumo-Coſmicis nonnullis, Animam Mundi, ſecus ac Marcus Marci cum adhærentibus opinantur, ſpiritualem aſſerentibus, tres memoratas Hypotheſes plane rejiciunt, aſtruuntque Animas Brutorum æque ac hominum, ſubſtantias eſſe ſpirituales, animâ rationali à qua ſpecie differunt, ſicut hæc ab Angelis, imperfectiores; juxta quoſdam, nullius Judicii, diſcurſus, actuſve liberi, magis quam Anima Brutorum in Hypotheſi materialitatis, capaces; juxta alios vero præſertim Celeberrimi Stahlii ſequaces, prudentiæ, ſapientiæ, & intelligentiæ, licet reſpectu Animæ rationalis, imper-

perfectioris, compotes, per traducem productas, ſui proprii domicilii, corporis nempe Organici fabricatrices.

§. 39. De Animæ Brutorum Immortalitate inter ſe ſunt diviſi; quidam tuentur eas, in quantum à nulla cauſa creata deſtrui poſſunt, immortales eſſe; alii è contra contendunt eas poſt ſeparationem à corpore exigere à Deo deſtrui, utpote unico ſuo officio ſentiendi defunctas, nullam enim (ajunt) neceſſitatem vident concluſionis abſolutæ à rationalitate vel ſpiritualitate ad Immortalitatem. vide Clariſſ. Coſchwitz Organiſmum & Mechaniſmum pag. 92.

§. 40. Pneumo Coſmici aſſerentes Animam, ſive Archæum Bruti, non aliam eſſe, quàm ipſam Mundi Animam ab Ideâ hujus vel illius Bruti v. g. Leonis vel Elephantis, in materia apta, evolutâ, limitatam; & Brutorum interitum non alium quam Ideæ hujuſmodi evolutæ, in Chao mentali involutionem, de quibus antea Cap 11. & 12. ſatis ſuperque actum, ſe multo plauſibilius de Animæ Brutorum deſitione ſive interitu explicant; verùm juxta hanc ipſorum Hypotheſim, limitatio Animæ Mundi ab Idea quacunque evolutâ, minime niſi abuſive, generatio per traducem dicenda, in qua fit productio ſimilis, à ſimili quoad ſpeciem inter ſe entitative & realiter, non ſolumodò Idealiter, diſtinctis: anima enim Bruti gignentis & geniti, juxta Traducianos, ſi ſuis principiis unanimiter conformes, inter ſe *realiter*, juxta Pneumo-Coſmicos *idealiter* tantum diſtinguuntur; hinc vulgare horum eſt dicterium, Animam Mundi in Leone, à ſe alibi v. g. in Elephante exiſtente, quodammodo differre.

§. 41. Traduciani cum Carthesii aſſeclis allegantes, minime vero demonſtrantes impoſſibilitatem ſubſtantiæ materialis cognoſcitivæ, ſubſtantiæ ſpiritualis anima rationali imperfectioris, non magis, quam Angelorum Anima rationali perfectiorum, exiſtentiam, repugnare putant; contenduntque rectæ

ctæ rationi minus conſonum videri, cognitionem Brutorum quæ in multis belluis quoad vim directivam & repreſentativam longè perfectior eſt perceptione fatuorum & Infantum, materialem eſſe; hujus enim admiſſi conſectarium eſſet, cognitionem Brutorum utpote materialem, cognitione ſive perceptione ſpirituali, à natura ſua, ſecundum omnes, imperfectiorem, ſimul & perfectiorem eſſe, quod implicat.

§. 42. Si quis (ajunt) objiciat animas inſectorum dividi adeoque materialem eſſe; reſpondent nonnulli, non animam ſed animæ replicationis continuitatem dividi, vel ſi hæc reſponſio non placeat, dicunt, motum, quem advertimus in utraque parte diviſi v. g. ſerpentis vel anguillæ, non utrumque continuari ab Anima ſerpentis vel inſecti diviſi, ſed illum tantummodo, quo movetur caput ſive pars, in quâ anima ſedem figit; alterum continuari ab impulſu ſpirituum, quorum exiſtentiam, alii Traducianorum ad confuſionem & nauſeam inter ſe diſſentientium, prorſus rejiciunt, mordicus tuentes nihil in corpore, præter ipſam animam, activum.

§. 43. Nec ipſis error Manichæorum aſſerentium animas humanas & belluinas non magis inter ſe, quam animas prudentis & fatui, diſtingui, attribui poteſt; cum Animas Brutorum ſpirituales, ſpecie & eſſentialiter, ſicut Angelos, ab Anima rationali, differre ſupponant.

§. 44. Verum enimvero, licet cum Clariſſ. Purchotio ingenue fatendum, totum illud ſenſationis aut perceptionis negotium nobis non eſſe omni ex parte notum, id quippe nec à nobis ipſis ſcire, nec ab aliis percunctari poſſumus, nec magis ejuſmodi ſubſtantiæ ſpiritualis, animâ rationali inferioris, quàm alterius mundi, vel ſagacitatis & prudentiæ externæ in Brutis ab Authoris Naturæ immediata directione provenientis, prout Cartheſianis viſum, exiſtentia & poſſibilitas implicare videtur, *à poſſe*, tamen *ad actum* ut ſcholæ aſſerunt, *non valere*,

neque

neque in una, neque in altera Hypotheſi *conſequentiam*, ex prægreſſis in tota ſerie hujus Diſſertationis, ſatis (ni fallor) ſuperque clarum.

§. 45. Neque magis rectæ rationi adverſatur, cognitionem belluarum, materialem, cognitione infantum & fatuorum, quam motus Brutorum motibus eorundem perfectiores eſſe, quis enim non videt cognitionis & motuum in fatuis & infantibus imperfectionem non ab eorum anima, ſed à conformatione organorum ſenſui & motui dicatorum, in fatuis depravata, in Infantibus nondum perfecta, provenire.

§. 46. Inſuper ſecundum ſanæ Philoſophiæ principia implicat ſubſtantiæ ſpiritualis per traducem productio prout Cap. XI. Sect. 3. hujus Diſſert. §. 12. 13. & 14. evidenter (ni fallor) demonſtratum, Poſitoque, licet non conceſſo, nullam eſſe neceſſitatem conclusionis abſolutæ, à rationalitate & ſpiritualitate ad immortalitatem, profectò, multo minor ad veram mortalitatem, quæ unionis inter compartes phiſicas quas anima ſpiritualis indiviſibilis in ſe non habet, diſſolutionem, indiſpenſabiliter connotat; hinc, ſicut non ſolide demonſtrant ita nec tueri poſſunt, ſubſtantiam pure ſpiritualem mortalem eſſe, quæ ipſis fatentibus, & recta ratione dictante, à nulla cauſa creata aſſignabili deſtrui poteſt; nec à natura ſua, magis quam Angelus vel anima rationalis ſeparata, exigit (ut ipſorum aliquot viſum) facta ſeparatione deſinere eſſe ſeu annihilari, cum Author Naturæ, qui verè contrarium eis non revelavit, cuilibet creaturæ ſpirituali & cognoſcitivæ, Ideam indidit ſe conſervandi. Taceo belluarum animas in Hypotheſi quòd ſint *prudentes*, *ſapientes*, & *intelligentes*, nullo prædicato notò ab anima rationali, hinc nec hominem à bruto niſi nomine tenus, & ſecundum magis & minus, quod ſolum non mutat ſpeciem, diſcrepare.

§ 47.

§. 47. Alii denique inter quos non infimi numerantur recentiſſimus Author, Pater Noel Regnault Soc. JEſu, Natione Gallus, alias maximus, in ſuis Colloquiis Phiſicis Cartheſii Fautor, & Fridericus Hoffmannus, Medicinæ Profeſſor & Senior Hallenſis ſpectabiliſſimus, ob maximas, quas, in quatuor Hypotheſibus modo recenſitis, ſibi formârunt difficultates, Brutorum animas opinantur ſubſtantias eſſe ab omni Materia & Spiritu diverſas, corpus inter & ſpiritum, quaſi medias.

§. 48. Prælaudatus Regnault in Colloquiorum Phiſicorum Idiomate Gallico Lutetiæ Pariſiorum Anno 1729. impreſſorum ſexto, Tomi 2di. pag. 98. fideliter hic translato, dicit, " Cùm Materia quæ in ſuo ſtatu naturali non alia quam ſub-" ſtantia extenſa & impenetrabilis, ſolius quietis, motus, & fi-" guræ, ſuſceptibilis, ſentire, cognoſcere, appetere, timere, " pati, nequeat, (*hucuſque Cartheſianum agit*) nunquid probabilius eſt Animam Brutorum ſubſtantiam eſſe, quæ nec " vere ſpiritus eſt nec corpus, tertiam ſubſtantiæ ſpeciem, " paſſionum & cognitionis ſenſitivæ, ſive ſenſationum ita ex-" quiſitarum, ut ratiociniis quandoque æquivaleant, unice " capacem; ſubſtantiam ab organis corporeis dependentem, " ſine corpore inutilem, ſine ſuarum cognitionum reflexione, " ſine deliberatione, ſine merito, conſequenter cum corpore " perire deſtinatam.

§. 49. Nec aliter opinatur Fridericus Hoffmannus in ſuæ Medicinæ rationalis Syſtematicæ Tom. I. pag. 487. ubi aſ-" ſerit, cujus Indolis ſit illud principium (*animam vult ſenſiti-* " *vam*) à quo tanquam à cauſa & fonte vires percipiendi ac " appetendi, ac certos motus determinandi profluunt, peni-" tus humani intellectus captum exſuperat, ex ejus vero ope-

" ratio-

" rationibus cognoſcimus, quod ad corpora quorum vires no-
" bis perſpectæ ſunt, minus recte referri poſſit. Num præ-
" ter Corpus & ſpiritum, alia ſubſtantia adhuc detur, quæ E-
" lementum puriſſimum homogeneum & ſimpliciſſimum, ad
" impreſſiones recipiendas, & ſecundum has, ordinatas rea-
" ctiones producendas, aptiſſimum ſit, ad altiorem Meta-
" phiſicam, magis quam Medicam indaginem pertinere vide-
" tur.

§. 50. De ſubſtantiæ hujus mediæ ortu, an nimirum per creationem, per traducem, vel per Peripateticam è ſinu materiæ eductionem, producta ſit, vel indies producatur, altum apud viros doctiſſimos ſilentium.

§. 51. Cum tertiæ hujus, ſubſtantiæ, ſpeciei indoles & natura nondum ad captum à prælaudatis viris explicata; curioſior Naturæ indagator regeret, mediam illam ſubſtantiam ſimplicem & homogeneam, neceſſariò, actu extenſam eſſe & diviſibilem, vel inextenſam & indivisibilem cùm inter rem vere extenſam & inextenſam, diviſibilem & indiviſibilem, non aliud medium hucuſque notum, quam non extenſum, non diviſibile, quæ ab inextenſo & indiviſibili diſtincta, pro nihilo vel non ente, utpote nec extenſo, nec inextenſo, nec diviſibili nec indiviſibili reputanda, niſi forte velis per Logomachias inter ſubſtantiam extenſam & inextenſam fingere *indeextenſam* & inter diviſibilem & indiviſibilem *indediviſibilem*, quemadmodum Carthesius finitum inter & infinitum, finxit *indefinitum*; æque dici poteſt inter par & impar datur *indepar*, inter creatum & increatum *indecreatum*, quod nec ipſi dicent.

§. 52. Si prætenſa ſubſtantia media ſecundum ejus protectores cognoſcitiva, ſit inextenſa & indiviſibilis, erit entitative una, conſequenter æque purus ſpiritus ſive ſubſtantia ſpiritualis ab omni corpore, & corporeo ſive materiali, diſtinctus ac Angelus, vel Anima Rationalis, aut Brutorum, in Hypotheſi ſpiritualitatis.

§. 53. Si extenſa & diviſibilis dicatur, nemo non videt eam eſſe entitative multiplicem, figurabilem, partes ejus poſſe transponi, iis addi, vel demi, proindeque vel delibatiſſimam maximéque activam Materiæ Primordialis portionem prout prætendunt Gaſſendiſtæ, vel ſubſtantiam corpori organico coextenſam, penetrabilem & penetratam, materialem & non-materiam prout opinantur Peripatetici, de animæ ſuæ ſenſitivæ diviſibilitate inter ſe diviſi, nec aliter de Animæ Mundi natura & indole ſentit Marcus Marci in ſua Philoſophia Veteri reſtituta.

§. 54. Si per modum effugii contra communem Metaphiſicorum ſententiam, dicant eam eſſe ſubſtantiam ſpiritualem & non ſpiritum, nec à fortiori corpus, aſſignent, quæſo, aliam ſpiritus ſive ſubſtantiæ vere ſpiritualis differentiam eſſentialem ſpecificam & ab omni quod non eſt ſpiritus, diſtinctivam, quàm ſpiritualitatem ſubſtantialem: idem plane ſentiendum (ſemotis logomachiis) ſi dicant eam, cum Marco Marci & Peripato, ſubſtantiam eſſe materialem & non materiam.

§. 55. Si denique opinentur prætenſam mediam ſubſtantiam eſſe partim materialem, ſpiritualem partim, quomodo ſine implicantia, ſubſtantia vel Elementum ſimplex & homogeneum poſſit dici partim extenſa & diviſibilis, partim indiviſibilis & inextenſa (talis neceſſario debet eſſe ſubſtantia partim corporea, ſpiritualis partim) me non ſatis aſſequi poſſe candide fateor. Longe aliter ſentiendum de compoſito Phiſico v. g. homine, ex corpore humano vivo & anima ſpirituali conflato. ex dictis manifeſte liquet fautores ſubſtantiæ mediæ in unam vel alteram à modò recenſitis Hypotheſibus quas evitare vel ſaltem emendare molliuntur, vel inſcios vel invitos coincidere.

§. 56. In tanta rerum calligine, & Hypotheſium de Brutorum anima varietate, anceps hæreo, an judicio impari, an ſilen-

tio

tio humili, conjecturam meam proponere debeam; ne tamen nihil dicere videar, utque in re tam ardua & abſtruſa nedum indeciſa, laudabili Auditorum meorum in veritate indaganda curioſitati pro poſſibili ſatisfaciam, ſequentia, pro more meo, prænotare, antequam me expectorem, haud inconſultum puto.

§. 57. Prænoto igitur *primo* Naturam & indolem Animæ Brutorum, nulla evidenti ratione phiſica vel metaphiſica nobis hucuſque perſpectam eſſe; hocque haud dubie, tot, tamque diverſis doctiſſimorum Virorum de belluarum anima diſſentientium, placitis & Hypotheſibus, ad praxim Medicam parum vel nihil conferentibus, non levem dedit anſam.

§. 58. *Secundo*, Si tam vera, quam non implicans, ſit ſententia aſſerentium, certis Materiæ præſertim Cæleſtis ſubtiliſſimæ, fluidiſſimæ, omnia quæque mundi aſpectabilis, perfluentis, partibus, vim ineſſe internam *motricem*, ſe, pro re nata, localiter movendi, & unà, pro diversâ, à Natura Archetypa, characteriſatione Seminali, *plaſticam:* non video quare ſubſtantiæ vi motrice *reali* & *ſeminali* imbutæ, corpori Organico ſive domicilio proprio rite pro ſenſatione interna & externa organiſato, inexiſtenti, vis motrix *immanens* ſive intentionalis denegetur, quâ, poſitis omnibus ad ſenſationem internam requiſitis, debitâ nempe & animæ ſive ſubſtantiæ hujus actuoſæ, & Corporis ſui Organici quoad integrum Organorum apparatum combinatione & unione, ſe, Deo ſemper cooperante, ad impreſſiones tàm in ſe ipſa, quàm in organis ſenſoriis à ſenſibili externo proxime vel remote factas quodammodo convertere, *intra ſe* immanenter *tendere*, ſive ſenſitive *intendere* queat. Hiſce requiſitis ad veram ſenſationem ablatis, actualis motus haud dubie ceſſat, & principium immanenter movens in Auras evaneſcit. Hic (inquam) nullam video apertam implicantiam, quini no magnam Omnipotentiæ & Sapientiæ Divinæ manifeſtationem.

§. 59. Si Cartheſii fautor objiciat, motum immanentem in ſubſtantia materiali nulla ratione phiſica demonſtrabilem, Animæ igitur Brutorum materiali, omnino denegandam.

§. 60. Reſp. non ſtatim concludendum aliquod non eſſe verum, ideo quòd illud evidenter, vel Ideâ clara & diſtincta non percipiamus; aliàs, rerum Creatio falſa eſſet, Creationis enim modus nobis nulla ratione naturali demonſtrabilis, hinc veteres Gentiles concluſerunt materiam Mundi Chaoticam fuiſſe ab Æterno, & *ex nihilo nihil, in nihilum nihil poſſe reverti*, quemadmodum enim *non omnia poſſumus*, ita non omnia intelligimus, *omnes*.

§. 61. Reſp. 2do. Retorquendo, nulla ratione phiſica invicte demonſtrabit Carthesius ejuſve ſequax, Bruta animantia pura eſſe & vera automata nullo ſenſu interno prædita, nullamque creaturis vim ineſſe internam motricem à Deo inditam, igitur Bruta non ſunt pura Automata nec ipsis vis interna motrix plaſtica & immanens deneganda.

§. 62. Hiſce prænotatis breviter dico mihi præplacere ſententiam, nullam harum Hypotheſium prorſus & adæquate amplectentem; quare ſicut nec belluis veram rationem, prout volunt Gaſſendiſtarum non pauci, nec aliunde mentem & cogitandi vim contra certiſſimam & indubitatam Sacræ Scripturæ Authoritatem attribuere poſſimus, cum omnes ſint *ſicut Equus & Mulus quibus non eſt intellectus*. Nec vera ſenſatio aut cognitio materialis, ipsis detrahenda, ob prægnantes (ut mihi videntur) rationes quæ Carthesianis objici ſolent.

§. 63. Id unum reſtat ut cum Ariſtotelicis, quibus ſe aſſociare videntur fautores ſubſtantiæ corpus inter & ſpiritum mediæ, ſubſtantiam materialem eſſe dicamus quæ tamen non ſit materia, vel cum Mollioribus Gaſſendiſtis, eam eſſe ſpiritum plaſticum ex delibatiſſima & ſumme actuosâ materiâ conſtantem, sicut vi plaſtica, proprij ſui domicilii (Natura Archetypa duce

duce) formatricem, ita corpore rite organiſato, in Brutis cognoſcitiva minime vero ratiocinativa, imbutam; huic ultimæ ſententiæ tanquam veroſimiliori & Sacræ Scripturæ magis conformi, uſque dum meliora edoctus, ſubſcribo, cui concinnunt plurima Sanctorum Patrum teſtimonia, & vel maxime ſequens ex Capite 4to Libri de Cognitione veræ vitæ qui inter opera Sancti Auguſtini Tomo ſexto Editionis Benedictinorum Sancti Mauri editus eſt depromptum, & à Clariſſ: Purchotio, pag. 299. Tom. 3. parte 3. citatum. *Vita Brutorum animalium eſt ſpiritus vitalis conſtans de aere & ſanguine, animalis, inviſibilis, ſed ſenſibilis, memoriam habens, ſed intellectu carens, cum carne moriens, in aere evaneſcens.*

§. 64. Hæcque ſunt quæ de Principiis rerum Phiſicis ſentit Ingenii mei tenuitas, *ſi non valui quæ volui, in magnis voluiſſe ſat eſt*, unà Lectori Candido, qui, quæ manca quæ ambigua, in hoc Opuſculo, ob temporis & Otii defectum non ſufficienter reviſo, reperiet, charitativé & benevole interpretabitur; Horatii verbis valedico

- - - Si quid noviſti rectius illis
Candidus imperti, ſi non, his utere mecum.

quod ad Majorem ſui Nominis Gloriam faxit.

D. T. O. M.

F I N I S.

INDEX

INDEX
Capitum & Sectionum quæ in hac Diſſertatione continentur.

CAPUT I. De Materia rerum Primordiali.

Sectio I. *De Materia prima Ariſtotelica.* - pag. 1.
Sectio II. *De Materia prima ſecundum Cartheſium, & Gaſſendum.* - - - - - - - 9
Sententia Gaſſendiſtarum. - - - - 14.§.15
Sectio III. *De Materia Primordiali ſecundum Dagoumerum.* 16
Sententia Authoris. - - - - 18.§.9.

CAPUT II. De Formârerum Phiſicâ.

Sectio I. *De Forma rerum inanimatarum.* - 18
Diluuntur Objectiones. - - - - 27.§.30
Sectio II. *De Forma Vegetabilium* - - 29

CAPUT III. De Accidentibus.

Sectio I. *De Accidentibus in genere.* - - 33
Sectio II. *De Quantitate, ſeu Magnitudine.* - 36
Sectio III. *De Qualitatibus Phiſicis in genere* - 41
APPENDIX de Speciebus Eucbariſticis. - 50

CAPUT IV. De Principiis rerum Mechanicis. 71
Sectio I. *De Corpore & Spatio ſecundum Carthesium.* 72
Sectio II. *De Spatio Gaſſendiſtarum.* - - 84
Sectio III. *De Spatio ſecundum Dagoumerum.* - 89
Sectio IV. *Authoris Sententia.* - - - 93

CAPUT V. De tribus Elementis Carthesii.

Sectio I. *In qua proponitur ejus Hypotheſis.* - 97
Sectio II. *In qua Carthesii Hypotheſis examinatur.* 102

CA-

CAPUT VI. De Principiis rerum juxta Atomiſtas. *pag.*
Sectio I. *De Pleno & Vacuo.* - - - - 115
Sectio II. *De Atomis.* - - - 118
Sectio III. *De Continui diviſibilitate ſecundum Atomiſtas* 124
Sectio IV. *De abſurdis quæ Atomiſtæ inferunt admiſſa Continui Diviſibilitate in infinitum.* - - 132
Sectio V. *De Atomorum Extenſione, ubi de Punctis Zenonicis.* 135
Sectio VI. *De Diviſibilitate Continui ſecundum Ariſtotelicos.* 140
Sectio VII. *Authoris Sententia de Atomorum Diviſione.* - 145

CAPUT VII. De Principiis rerum ſecundum Philoſophiæ Moſaicæ Cultores. - - - - 150
Sectio I. *De Cælo & Terra Primordiali.* - - 151
Sectio II. *De Prima Luce.* - - - 155
Sectio III. *De Chao Veterum & Moyſis abyſſo.* - - 158
Sectio IV. *De Firmamento & Diviſione Aquarum.* - 164
Sectio V. *De operibus reliquorum quatuor Dierum.* - 174
Sectio VI. *De Corrolariis quæ ex hac Doctrina formari poſſunt.* 177
Sectio VII. *In qua Naturæ Natura & Notio examinatur.* 182

CAPUT VIII. De Activitate & vi Corporum Motrice
Sectio I. *In qua Authorum diſſentientium Placita proponuntur.* - - - - 193
Sectio II. *Argumenta pro vi interna Motrice Corporum* 200
Sectio III. *Argumenta contra vim Motricem internam Corporum.* - - - - 207
Aliud Occaſionaliſtarum Argumentum tripartitum. - 210
Argumentum Wyeri Guilielmi Muis in ſuis Elementis Phiſices. - - - 214. §. 25.
Sectio IV. *In qua proponitur Authoris Sententia.* - 217.

CAPUT IX. De Mentis Creatæ activitate Motoria.
Sectio I. *An Angeli, & Animæ rationales ſeparatæ vim habeant internam Motricem ad extra?* - 220
Sectio

Pag.
Sectio II. *De Activitate Animæ Rationalis Corpori Unitæ.* 229
Proponuntur & Solvuntur varia Traducianorum Argumenta. - *à pag. 232. §. 13. ad pag.* 246. §. 5
Gaſſendiſtarum Placita. - - 246
Sententia Peripateticorum examinatur. - - 247
Authoris Sententia. - - - - 249

CAPUT X. De Motu Corporum.

Sectio I. *De Definitione & Diviſione Motûs.* - - 251
Sectio II. *De Gravitate Corporum.* - - - 264
Sectio III. *De vi Elaſtica Corporum.* - - 274

CAPUT XI. De Anima Mundi.

Sectio I. *In qua Pneumo-Coſmicorum Sententia examinatur* 291
Sectio II. *In qua ſatisfit Argumentis Pneumo-Coſmicorum.* 315
Sectio III. *In qua Argumenta Pneumo-Coſmici Anonimi examinantur.* - - - 324

CAPUT XII. De Ideis Seminalibus.

Sectio I. *De Ideis in genere.* - - - - 337
Sectio II. *De Ideis ſeminalibus juxta Pneumo-Coſmicos.* 342
Sectio III. *De Ideis ſeminalibus juxta Mechanicos & Chymicos ſaniores.* - - - 356
Sectio IV. *De Similitudine Prolis cum Parentibus, 1mò. De Similitudine ſpecifica.* - - - 369
2dò *De Similitudine Individui.* - - - 372
3tiò *De Similitudine Sexus.* - - 377
Sectio V. *De Signaturis Fœtuum.* - - - 382
Sectio VI. *In qua Examinatur ſententia Leeuwenhockii aliorumque de ſpermatis Natura.* - - 399

CAPUT XIII. De Anima Brutorum. - - - 404